Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/verboincarnatoho0000unse

Cohen

Verbrauch

BIBL. TH.
P. R.

PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

LADISLAUS LOHN S. I.

DE VERBO INCARNATO HOMINUM REDEMPTORE

SCHEMA TRACTATUS

AD USUM PRIVATUM AUDITORUM
UNIVERSITATIS GREGORIANAE

ALMA COLLEGE
233
LIBRARY
1833
Alma, California

Pol. TH.
P. L.

ROMAE
APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE
1930

7613

ERRATA.

Pag.	Lin.	LEGITUR	LEGATUR
17	2	τὸυ ἐκ τοῦ πατρὸς	τὸν ἐκ τοῦ πατρὸς
20	10	παρὰ πατρος (*Ioan.* 3, 16-18).	παρὰ πατρός (*Ioan.* 1, 14).
29	40	Ergo si me bonus appellas	Ergo si me bonum appellas
39	23	*Qui, eum Verbum sit*	*Qui, cum Verbum sit*
46	10	Patri adventum eius,	Patris adventum eius,
46	19	*per quem pactum*	*per quem factum*
46	21	inter homines pactus est,	inter homines factus est,
109	15	stante unione hypotastica,	stante unione hypostatica.
125	24	EXPLICATIONIS CAJETANAE.	EXPLICATIONIS CAJETANAE.
158	1	facteque *synonyma esse.*	fectaque *synonyma esse.*
208	17	*Filio exclusive* convenit.	*Filio exclusive non convenit.*
268	11	tizantum velut columba	tizatum velut columba

ROMAE — EX TYPOGRAPHIA AUGUSTINIANA

PRAENOTANDA

1. — Tractatus Christologici et Soteriologici Argumentum et Momentum.

Quod praecipuum obiectum apostolatus S. Pauli fuerat, hoc ipsum argumentum nostri tractatus evadit. *Praedicamus* videlicet *Christum crucifixum*: *Iudaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Iudaeis, atque Graecis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam* (*I Cor.* 1, 23-25). Christum, *Dei Patris sapientiam*, illud *Verbum*, quod in principio erat apud Deum et in plenitudine temporum *caro factum est*; exactius et profundius quam in tractatu Apologetico scrutandum assumimus. Nec solum Verbum Dei incarnatum, verum insuper Verbum *Dei virtutem*, contemplaturi sumus; *Dei virtutem* dico, quae in infirmitate carnis humanae iram Dei placavit, peccatum et mortem vicit, potentiam diaboli subvertit, valvas caeli reseravit, ideoque *in vestimento et in foemore suo scriptum habet*: *Rex regum et Dominus dominantium* (*Apoc.* 19, 16).

Cum illud unicum, sacrosanctum suppositum scl. Verbum Dei inhumanatum, Iesum Christum penitius cognoscere studebimus; *Christologiae* vacabimus. Cum vero opus, quod Christus in cruce consummavit, contemplabimur; *Soteriologiae* operam dabimus. Tractatus sponte sua in duas dividitur partes; *pars* 1ª: *Christologia, pars* 2ª: *Soteriologia.*

Obiectum tractatus christologici et soteriologici altissimum simulatque suavissimum erit. Altissimum, nam *loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum huius saeculi cognovit: nobis autem revelavit Deus per spiritum suum* (*I Cor.* 2, 7-10). Sub ductu magisterii infallibilis, phalanga gloriosorum Patrum et Theologorum praeeunte, S. Thoma Aquinate facem praeferente, penetrare conabimur in illud *mysterium, quod absconditum fuit a saeculis et generationibus. nunc autem manifestatum est sanctis eius, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriae, sacramenti huius, quod est Christus* (*Colos.* 1, 26-27); in quo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Colos.* 2, 9); *in quo, sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi* (*Colos.* 2, 3). Obiectum igitur tractatus christologici altissimum est: « comprehendere » enim quodammodo studemus, *quae sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum* (*Eph.* 3, 18) huius mysterii, quod Verbum Dei Incarnatum nuncupatur.

Suavissimum quoque dici debet argumentum nostri tractatus. Christus enim *manifeste est magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum in spiritu, apparuit angelis, praedicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria* (*I Tim.* 3, 16). In Christo et cum Christo, pientissimo humani generis Redemptore, *maxima et pretiosa nobis* Deus *promissa donavit* (*II Petri* 1, 4).

His attente perpensis, iure meritoque concludit *S. Ambrosius*: « Omnia habemus in Christo. Omnis anima accedat ad eum, sive corporalibus aegra peccatis, sive clavis cupiditatis infixa, sive imperfecta adhuc sive multis iam perfecta virtutibus. Omnia Christus est nobis. Si vulnus curare desideras, medicus est: si febribus aestuas, fons est: si gravaris iniquitate, iustitia est: si auxilio indiges, virtus est: si mortem times, vita est: si caelum desideras, via est: si tenebras fugis, lux est: si cibum quaeris, alimentum est. *Gustate* igitur *et videte, quoniam suavis est Dominus* (*Ps.* 33, 9) ». (*S. Ambros. De Virgin.* 16, 99; ML. 16, 291 C.).

Obiectum tractatus christologici et soteriologici *fide apprehendimus* et intellectu, fide illustrato, profundius scrutari satagimus. *Creditis*, inquit Christus, *in Deum et in me credite* (*Ioan.* 14, 1). Quod praeclare, ut assolet, S. *Augustinus* interpretatur. Iesus Christus postulat exigitque, ut credamus *in eum*, non solum ut credamus *ei*. Sed si credimus in eum, etiam credimus ei; « non autem continuo qui credit ei, credit in eum. Nam et daemones credebant ei et non credebant in eum. Rursus etiam de Apostolis ipsius possumus dicere, credimus Paulo; sed non, credimus in Paulum: credimus Petro; sed non, credimus in Petrum. Quid est ergo credere in eum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire et eius membris incorporari » (S. *Aug.*, *In Ioan. Evang. Tract.* 30, 29, 6; ML. 35, 1631). Cum igitur obiectum nostri tractatus fide attingatur, *methodus* nostra *dogmatica erit* (1).

2. — Insigniores Tractatus Christologici (2).

Inde a primis temporibus ecclesiae Christi SS. *Patres* summo studio et indefessa constantia mysterium Incarnationis et Redemptionis elucidare, commendare atque defendere conati sunt. Inter caeteros excellunt: S. *Iustinus* († 163/7) in *Apologiis* et

---

(1) Opera, quae in tractatu nostro frequentius allegantur et consulenda sunt, sic abbreviabuntur:

DB. = Denzinger-Bannwart, *Enchiridion Symbolorum*, Friburgi Br. 1928[7].

DTC. = Vacant-Mangenot, *Dictionnaire de Théologie catholique*, Paris 1903.

DAFC. = d'Alès. *Dictionnaire apologétique de la foi catholique*, Paris 1911[4].

MG. = Migne, *Patrologia graeco-latina.*

ML. = Migne, *Patrologia latina.*

RJ. = Rouët de Journel S. I., *Enchiridion Patristicum*. Friburgi Br. 1929[7].

(2) Copiosam et exactam Bibliographiam videsis apud: A. Michel. *Incarnation*, DTC. 7, 1530-1539.

Dialogo cum Tryphone Iudaeo (MG. 6) ([1]); *S. Irenaeus* († 202), *Adversus Haereses*, L. 3-5 (MG. 7) ([2]); *Clemens Alexandrinus*, *Cohortatio ad Gentes*, *Stromata* (MG. 8) ([3]); *S. Athanasius* († 373), *Adversus Arianos Orationes IV*, *Epistulae IV ad Serapionem*, *De Incarnatione Dei Verbi et contra Arianos* (MG. 26) ([4]); *S. Hilarius Pictaviensis* († 366), *De Trinitate*, L. 6-10, (ML. 10) ([5]); *S. Gregorius Nyssenus* († 394), *Oratio Catechetica*, *Contra Eunomium*, *Adversus Apollinarium*, *Antirrheticus* (MG. 45) ([6]); *S. Ioannes Chrysostomus* († 407), *In Matthaeum Homiliae*, *In Ioannem Homiliae* (MG. 57-59) ([7]); *S. Ambrosius* († 397), *De Fide ad Gratianum*, *De Incarnationis Dominicae Sacramento* (ML. 16); *S. Augustinus* († 430), *In Evangelium Ioannis Tractatus* (ML. 35); *Sermones* (ML. 38, 39); *Enchiridion sive de Fide* (ML. 40); *De Trinitate* (ML. 42) ([8]); *S. Cyrillus*

([1]) Cfr. Feder, *Justins des M. Lehre von Jesus Christus*, Freiburg 1906; G. Bardy, *S. Justin*, DTC. 8, 2256-2265.

([2]) Cfr. Stoll, *Die Lehre des hl. Irenaeus von der Erlösung und Heiligung*. « Katholik » 1905, t. 31. J. Chaine, *Le Christ rédempteur d'après St. Irénée*. Le Puy 1919; F. Vernet, *Saint Irénée*, DTC. 7, 2461-2484.

([3]) Cfr. E. de Faye, *Clément d'Alexandrie*, Paris 1902², p. 248-273; A. de la Bareille, *Clément d'Alexandrie*, DTC. 3, 160-163.

([4]) Crf. E. Weigl, *Christologie des hl. Athanasius*, Paderborn 1914.

([5]) Cfr. Le Bachelet, *Saint Hilaire*, *DTC*. 6, 2426-2449; Rauschen, *Die Lehre des hl. Hilarius von Poitiers über die Leidensfähigkeit Christi*, « Theol. Quartalschr. », Tübingen 1905, t. 87, p. 424-439; A. Beck, *Die Lehre des hl. Hilarius von Poitiers über die Leidensfähigkeit Christi*, « Zeitschr. f. Kath. Theol. », Innsbruck 1906, t. 30, p. 108-122; 295-305.

([6]) Cfr. J. Lenz, *Jesus Christus nach der Lehre des hl. Gregor von Nyssa*, Trier 1925.

([7]) Cfr. Juzeck, *Die Christologie des hl. Johannes Chrysostomus*, Breslau 1912; E. Weigl, *Christologie vom Tode des Athanasius bis zum Ausbruch des Nestorianischen Streites*, München 1925, p. 49 seq.; Chr. Baur O. S. B., *Joannes Chrysostomus und seine Zeit*, München 1929, p. 294 seq.

([8]) Cfr. Scheel, *Die Anschauung Augustinus über Christi Person und Werk*, Leipzig. 1901; Van Crombrugghe, *La Doctrine Christologique et Sotériologique de St. Augustin*, « Rev. d'hist. ecclés. », Louvain 1904, t. 5, pp. 237-257; 477-504; Jouassard, *L'abandon du Christ d'après St. Augustin*, « Rev. de Sciences Phil. et Théol. », Paris 1924, p. 310-326; J. Rivière, *Le dogme de la Rédemption chez St. Augustin*, Paris 1928.

Alexandrinus († 444), *Scholia de Incarnatione Unigeniti, De Recta Fide ad Reginas, Adversus Nestorium, Quod Unus sit Christus* (MG. 75 et 76) ([1]); *S. Leo I Magnus* († 467), *Epistolae, Sermones* (ML. 54) ([2]); *S. Leontius Byzantinus* († 453), *Contra Nestorianos et Eutychianos, Liber contra Monophysitas, Capita Triginta contra Severum* (MG. 86 et 86 *bis*) ([3]); *S. Maximus Confessor* († 662), *Opuscula theologica et polemica ad Maximum, Disputatio cum Pyrrho* (MG. 90) ([4]); *S. Ioannes Damascenus* († 749), *De Fide Orthodoxa* (L. 3 et 4), *Contra Iacobitas, Adversus Nestorianos, De Duabus in Christo voluntatibus* (MG. 94 et 95) ([5]).

Media aetate inter theologiae Scholasticae *prodromos eminent*: *S. Anselmus Cantuariensis* († 1109), *De Fide Trinitatis et Incarnatione Verbi, Cur Deus Homo, De Conceptu Virginali* (ML. 158); *Rupertus Tuitiensis* († 1135), *De Victoria Verbi Dei* (ML. 169); *S. Bernardus Claravallensis* († 1153), *De Consideratione, De Diligendo Deo, Contra quaedam Capitula Errorum P. Abaelardi* (ML. 182); *Hugo Victorinus* († 1141), *De Sacramentis* L. 2; *De Quatuor Voluntatibus in Christo, De Sapientia Animae Christi* (ML. 176); *De Verbo Incarnato Collationes seu Disputationes Tres* (ML. 177) ([6]); *Petrus Lombardus* († 1160), *Sententiarum* L. 3; *Magister Bandinus* († 1150), *De Verbo Incarnato et Hominis Restauratione* (ML. 192); *Richardus Victorinus* († 1173), *De Verbo Incarnato, Quomodo Christus ponitur in signum*

([1]) Cfr. Rehrmann, *Die Christologie des hl. Cyrillus von Alexandrien*, Hildesheim 1912; E. Weigl, *Christologie vom Tode des Athanasius bis zum Ausbruch des Nestorianischen Streites*, München 1925, p. 121-194.

([2]) Cfr. Kuhn, *Die Christologie Leos I*, Würzburg 1894.

([3]) Cfr. Junglas, *Studien zu den Schriften, Quellen, und Anschauungen des Leontios von Byzanz*, Paderborn 1908; V. Grumel, *Leonce de Byzance*, DTC. 9, 408-423.

([4]) Cfr. Straubinger, *Die Christologie des hl. Maximus Confessor*, Bonn 1906; V. Grummel, *Maxime de Chrysopolis ou Maxime Le Confesseur*, DTC. 10, 453-457.

([5]) Cfr. M. Jugie, *S. Jean Damascène*, DTC. 8, 730-737.

([6]) Cfr. F. Vernet, *Hughes de Saint-Victor*, DTC. 7, 277 seq.

populorum, (ML. 196); *Petrus Cantor* († 1190), *Verbum Abbreviatum*, (ML. 205).

Christologia Scholastica culmen suum atque fastigium conscendit cum *B. Alberto Magno* († 1280); *S. Thoma Aquinate* († 1274); *S. Bonaventura* († 1274) et *B. Ioanne Duns Scoto* († 1308). Sive Librum Sententiarum sive Summam S. Thomae commentando, celebre nomen meruerunt in *Ordine Praedicatorum*: *Ioannes Capreolus* († 1444); *Franciscus Sylvester* (*Ferrariensis*) († 1528); *Didacus Deza* († 1523); *Thomas de Vio* (*Cajetanus*) († 1534); *Franc. de Victoria* († 1546); *Bartholomaeus de Medina* († 1581); *Martinus de Ledesma* († 1584); *Raphaël Ripa* († 1611); *Didacus Alvarez* († 1635); *I. P. Nazarius* († 1646); *Ioannes a S. Thoma* († 1644); *Petrus Godoy* († 1677), *Ioannes Gonet* († 1681); *Vincentius Gotti* († 1742); *Renatus Billuart* († 1757).

Insigniores *Scoti sequaces* fuerunt: *Franc. de Mayronis* († 1327); *Ioan. de Bassolis* († 1333); *Petrus de Aquila* (Scotellus) († 1361); *Ioan. de Rada* († 1608); *Barth. Mastrius* († 1673); *Claudius Frassen* († 1711); *Franc. Henno* († 1713); *Hier. de Monte Fortino* († 1738).

E Theologis *Societatis Iesu* ob insigniores tractatus christologicos laudantur: *Franc. Toletus* († 1596); *Gregorius de Valentia* († 1603); *Gabr. Vasquez* († 1604); *Franc. Suarez* († 1617); *B. Robertus Bellarminus* († 1621); *Theoph. Haynaud* († 1622); *Dion. Petavius* († 1652).

Aevo elapso nostrisque temporibus speciali mentione digni sunt: *I. B. Franzelin* S. I. († 1886), *Tractatus de Verbo Incarnato*, Romae 1902[5]; *F. A. Stentrup* S. I. († 1898), Praelectiones Dogmaticae *De Verbo Incarnato*, *Christologia* I, II, Oeniponte 1882, *Soteriologia* III, IV, Oeniponte 1889; *I. Muncunill* S. I. († 1928), *Tractatus de Verbi Divini Incarnatione*, Matriti 1905; *Ch. Pesch* S. I. († 1925), Praelectiones Dogmaticae *De Verbo Incarnato*, IV Friburgi Br. 1922[5]; *L. Janssens* († 1925), Tractatus *De Deo Homine*, *Christologia*, I, Friburgi Br. 1901, *Soteriologia* II, Friburgi Br. 1902; *L. Billot* S. I., *De Verbo Incarnato*, Romae 1927[7]; *Van Crombrugghe*, *De Verbo Incarnato*, Gandavii

1909; *E. Hugon* O. P. († 1929), *De Verbo Incarnato et Hominum Redemptore*, Paris 1921; *J. Bernardus Otten* S. I., Institutiones Dogmaticae, *De Verbo Incarnato*, Chicago 1922; *P. Galtier* S. I., *De Incarnatione ac Redemptione*, Paris 1926.

In Germania floruerunt ac florent: *Schätzler* († 1880), *Das Dogma der Menschenwerdung Christi*, München 1870; *J. Bach*, *Die Dogmengeschichte des Mittelalters vom christologischen Standpunkte*, Wien 1874; *J. Kleutgen* S. I. († 1883), *Die Theologie der Vorzeit* III. Münster 1870; *M. J. Scheeben* († 1888), *Handbuch der Katholischen Dogmatik* III, Freiburg 1882; *J. B. Heinrich* († 1891), *Dogmatische Theologie* VII, Mainz 1896; *J. Pohle* († 1922), *Lehrbuch der Dogmatik* II, Paderborn 1909: *Gutberlet, Gottmensch Iesus Christus*, Regensburg 1913; *Fr. Diekamp, Katholische Dogmatik* II, Münster 1921[5]; *Reatz, Iesus Christus*, Freiburg 1925; *B. Bartmann, Lehrbuch der Dogmatik* I, Freiburg 1928[7]; Idem, *Iesus Christus unser Heiland und König*, Freiburg 1928[2].

Gallico idiomate christologicos tractatus publicarunt: *St. Minjard, L'Homme-Dieu*, Paris 1898; *J. Rivière, Le Dogme de la Rédemption, Essai d'étude historique*, Paris 1905; *Idem, Le Dogme de la Rédemption, étude théologique*, Paris 1914; *Lepin, Christologie*, Paris 1908; *Villard, L'incarnation d'après St. Thomas*, Paris 1908; *Schwalm, Le Christ d'après St. Thomas*, Paris 1910; *E. Hugon* O. P., *Le mystère de l'incarnation*, Paris 1913: *Idem, Le mystère de la rédemption*, Paris 1916; *Jules Souben, Le Verbe Incarné*, Paris 1914; *P. Richard, Fils de Dieu*, DTC. 5, 2353-2476; *A. Michel, Incarnation*, DTC. 7, 1445-1539; *Idem, Jésus-Christ*, DTC. 8, 1108-1411; *Idem, Union Hypostatique*, DTC. 7, 437-568.

3. — Summa Totius Tractatus.

Summa totius tractatus tribus propositionibus breviter enuntiari potest: *Iesus Christus est Deus et Homo, Deus-Homo, Cur Deus-Homo*. Quae tria capita incomparabili cum simplicitate et claritate in symbolo « *Quicumque* » credenda proponuntur: « Est

ergo fides recta, ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster *Iesus Christus Dei Filius, Deus et homo est.* Deus est ex substantia Patris, ante saecula genitus et homo est ex substantia matris in saeculo natus: perfectus Deus et perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens, aequalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Qui, licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed *unus est Christus*, unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum, unus omnino non confusione substantiae, sed *unitate personae.* Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita *Deus et homo unus est Christus.* Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos tertia die resurrexit a mortuis » (DB. 40). Hoc magnum pietatis divinae erga homines mysterium christiani in primordiis ecclesiae symbolico signo *piscis*, ἰχθύς, delineare sibique mutuo in memoriam revocare solebant:

Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱός Σωτήρ

Ad exprimendam naturae divinae cum humana in hypostasi Verbi mirabilem coniunctionem varia nomina adhibebantur. A Latinis passim dicitur: *incarnatio, inhumanatio, incorporatio, assumptio* naturae humanae ab hypostasi Verbi. A Graecis appellatur: πρόληψις, ἀνάληψις, ἐνανθρώπησις, ἐνσωμάτωσις. Incarnatio in duplici stadio considerari potest: in fieri aut in facto esse. Incarnatio *in fieri* est illa stupenda *actio,* per quam humanitas in visceribus Mariae Virginis formata, a Secunda Persona SS. Trinitatis assumpta et ad unitatem hypostaticam Verbi tracta est. Incarnatio in *facto esse* est *status* inductus per creationem et assumptionem humanae naturae Christi. Stabilis coniunctio humanae naturae cum hypostasi Verbi et existentia permanens humanitatis Iesu Christi per personalitatem Verbi efficit, ut Iesus Christus verus *Deus-Homo*, Θεάνθρωπος sit. Quare imprimis existentiam divinae et humanae naturae (Deus *et* Homo), ac unionem hypostaticam divinitatis et humanitatis (*Deus-Homo*) in persona Verbi vindicare debemus;

quo in tuto posito atque collocato, sequelas huius unionis et palmare opus Christi i. e. redemptionem generis humani, Deo iuvante, intelligere poterimus. Quod ut obtineamus, cum Ecclesia enixe precemur:

Deus, qui de Deo Patre,
Homo Virgine de Matre,
Idem Unigenitus:

Deus-Homo, Iesu Christe,
Humilis conatus iste,
Fac, sit tibi placitus!

PARS I.

DE INCARNATIONE VERBI SEU CHRISTOLOGIA

S. Thomas Aquinas, quem studiorum ducem sequimur, in Summae Theologicae P^e^ III^a^ hoc modo procedit: Primo considerandum occurrit de ipso Salvatore. Circa primum duplex consideratio instituitur: *prima* de ipso *Incarnationis mysterio*, secundum quod Deus pro nostra salute factus est homo; *secunda* de his, quae per ipsum Salvatorem nostrum, idest Deum incarnatum, sunt acta et passa (*Prologus* P^is^ III^ae^). In exponendo mysterio Incarnationis Doctor Angelicus hac via graditur: 1° de *convenientia* incarnationis, 2° *de quidditate* mysterii i. e. de facto ac *modo unionis* hypostaticae duarum naturarum in Christo agit, 3° *de sequelis unionis* ac *proprietatibus* naturae assumptae disserit.

Ut notum et ab omnibus admissum supponit: Iesum Christum verum et unigenitum Dei Patris Filium esse atque e Maria Virgine veram humanam naturam assumpsisse, proindeque perfectum Deum et perfectum hominem esse.

Iniuria et incredulitate nostrorum temporum factum est, ut continuo argumenta pro vera divinitate et humanitate Iesu Christi in memoriam revocare cogamur. Quare in 1^a^ nostra *sectione* de divinitate et humanitate Christi loquemur. In 2^a^ *sectione* de unione hypostatica duarum naturarum, in 3^a^ *sectione* de sequelis unionis, in 4^a^ de proprietatibus humanitatis Iesu Christi acturi sumus.

SECTIO 1ª

DEUS ET HOMO

Cap. 1. — De Divinitate Iesu Christi.

Thes. 1. — Libri Sacri Novi Testamenti testantur Iesum Christum esse verum Deum.

S. Thomas, *Summa Contra Gentiles*, 4, 3-8; Stentrup, *Christologia* I, th. 1-4; Franzelin, *De Verbo Incarnato*, th. 2-9; Pesch, *De Verbo Incarnato*, th. 1; Billot, *De Verbo Incarnato*, th. 56; Otten, *De Verbo Incarnato*, th. 1-6; Galtier, *De Incarnatione et Redemptione*, th. 2-5.

Status Quaestionis.

1. Divinitatem Iesu Christi e S. Scripturis N. T. demonstraturi, *supponimus;* Iesum Christum de Nazareth, qui temporibus Herodis totam Palestinam sua praedicatione commovit, verum prophetam, legatum Dei promissumque Messiam fuisse. Haec in tractatu Apologetico abunde probata fuere. Rursus e tractatu de SS. Trinitate supponimus; in una numero natura divina tres realiter distinctas et consubstantiales personas subsistere. Cum autem, absolute loquendo, merus homo munere prophetico et legati divini fungi possit, in praesenti thesi *demonstrare conabimur; Iesum Christum non tantum hominem, sed etiam verum Deum, Filium Dei*, Secundam SS. Trinitatis Personam fuisse. Quod imprimis quam exactissime et quam clarissime probandum est, cum in divinitate Iesu Christi tum fidei nostrae obsequium tum redemptionis negotium ut in fundamento innitatur. Ideo insuper divinitas Iesu demonstranda est, quia longa densaque adversariorum phalanx hoc fundamentum evertere et convellere conabatur. Frustra tamen, vel potius, ut adimpleretur, quod a Simeone praenuntiatum est: *Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israël et in signum, cui contradicetur* (*Lc.* 2, 34).

2. Praeter Scribas et Pharisaeos, qui perfracte praedicationi et miraculis Christi resistebant, primo saeculo *Cerinthus*, Simonis Magi discipulus, divinitatem nostri Servatoris negavit. Cerinthus Iesum Christum divisit in duo: In Iesum et Christum. *Iesus*, filius Ioseph et Mariae, merus homo erat, in quo a baptismi momento Spiritus Sanctus sedem suam fixit et per eum varia miracula patravit. Iesus, quatenus templum et instrumentum Spiritus Sancti fuerat, *Christus vocari debet* (1). Saeculo II *Ebionitae* eundem errorem ac Cerinthus spargebant; putabant enim incarnationem dignitati divinae personae omnino derogare adeoque impossibilem esse (2). Secundum *Gnosticos*, ut *Basilides*, *Satornilus*, *Heracleon*, *Carpocrates*, *Bardasanes*, qui de Divino Servatore somnia incohaerentia somniarunt; in Christo homine aliquis e primariis aeönibus habitavit, Iesus igitur qua purus homo genus humanum redimere non potuit nec redemit (3). Sub finem saeculi II *Theodotus Corriarius*, *Bizanthinus*, et saeculo III *Paulus Samosatenus* († 268) veram divinatem Iesu Christi agnoscere recusabant. In Iesu Nazaraeno sapientia divina, dumtaxat habitavit. συναφθεὶς τῇ σοφίᾳ, eoque virtus Dei ut instrumento utebatur. Per inhabitationem Verbi unctus, omnibus aliis longe, superior, immo impeccabilis factus, peccatum protoparentis vicit, genus humanum redemit, aeternum nomen Servatoris sibi promeruit (4).

Infensissimus divinitatis Verbi hostis *Arius* († 339) fuit, qui, cum Verbum Dei ad genus creaturarum deiecisset, Iesum Christum dumtaxat adoptivum filium Dei esse dogmatizabat. Longa cohors *Anomaeorum*, *Homoeanorum* et *Homoeusianorum*

---

(1) Cfr. J. Tixeront, *Histoire des dogmes*, Paris 1924[10] I, p. 178 seq.

(2) Cfr. G. Bareille, *Ebionites*, DTC. 4, 1987-1995.

(3) Cfr. E. de Faye, *Gnostiques et Gnosticisme*, Paris 1923; J. Steffes, *Das Wesen des Gnostizismus und sein Verhältnis zum Katholischen Dogma*, Paderborn 1922, p. 293-299; G. Bareille, *Gnosticisme*, DTC. 6, 1434-1467.

(4) Cfr. G. Bardy, *Paul de Samosate*, Louvain 1923, p. 370-379; Loofs, *Paulus von Samosata*, Leipzig 1924. Loofs Paulum Samosatenum ab omni errore absolvere studet, sed immerito (Cfr. J. Lebreton, « Rech. Sc. Rel. », 1925, p. 365 seq).

Ario amplius per tria saecula buccis crepantibus concinnabat; quin immo saeculo VIII *Elipandus* archiepiscopus Toletanus et *Felix Urgelitanus* purum putumque adoptianismum arianum recoxerant. Similiter saec. XVI *Laelius Socini* († 1562) et *Faustus Socini* († 1604) rigidum arianismum in Helvetia, Transsylvania, et Polonia redivivum fecerunt ([1]).

A saec. XVIII ad nostra usque tempora negatio divinitatis Iesu Christi novas formas pedetentim induit: scl. Rationalismi, Protestantismi-Liberalis et Modernismi.

Rationalismus purus, *Protestantismus-Liberalis* simul atque *Modernismus* in erroribus Lutheri et Kantii altas egit radices, ex quibus succum ac vigorem usquequaque trahit. Lutherus quidem divinitatem Iesu Christi indubie admisit. At, necessitate cuiuscumque interventus ecclesiae hierarchicae in negotio salutis denegata, reiectoque pariter magisterio infallibili, fide fiduciali ut unico medio et instrumento iustificationis proclamata, viam latam in vastissimum subiectivismi mare stravit. Lutheranum subiectivum examen protestantismi sequaces vel fautores sensim sine sensu ad negationem fere omnium dogmatum perduxit, fides vero fiducialis modernisticam experientiam religiosam peperit aeducavitque ([2]).

Sicut Protestantismus-Liberalis et Modernismus E. Kantio ita Rationalismus purus Deistis Anglis plurimum debet. *Toland* († 1722), *Collins* († 1729), et *Tindal* († 1733), quia providentiam divinam inficiati sunt, simul etiam fundamentum ordinis supernaturalis omnisque interventus divini e medio sustulerunt. Kantius autem, vocata in dubium naturali capacitate intellectus ad cognoscendum quodcumque suprasensibile, existentiam cuiuscumque revelationis et ordinis supernaturalis abnuit adeoque re-

---

([1]) Cfr. Le Bachelft, *Arianisme*, DTC. 1, 1779-1863; Bardy, *Op. Cit.* p. 493 seq.; F. Cayré, *Précis de Patrologie*, Paris 1927, p. 299 seq.

([2]) Cfr. E. Troeltsch, *Der Protestantismus in seinem allgemeinen Verhältnis zu Mittelalter und moderner Welt*, Leipzig 1922, p. 456; H. Strohl, *L'épanouissement de la pensée religieuse de Luther*, Paris 1924, p. 4-6; 45 seq.; L. de Grandmaison S. I., *Jésus-Christ. Sa personne, son message, ses preuves*, Paris 1929[8] II, p. 164.

ligionem intra sphaeram rationis autonomae clausit ([1]). Si his Lutheri, Kantii et Deistarum principiis centies decantatam a *Herder* († 1803), *Fichte* († 1814), *Schelling* († 1854) et *Darwin* († 1881) legem universalis fatalisque *evolutionis* adiunges, omnia iam, elementa et momenta habebis, ex quibus negatio divinitatis nec non totius supernaturalis oeconomiae Iesu Christi logice consequitur et ex quibus innumera systemata Rationalistica, Neo-Protestantica atque Modernistica pullularunt.

Rationalistae rigidi (saec. XVIII) omnes unanimiter divinitatem Iesu Christi abnuebant. Hoc autem inter se differebant, quod secundum *Reimarum* († 1768), *Bahrdt* († 1792) et *Voltaire* († 1778) Christus Dominus nequam simulator, mendax praestigiator, rebellis seditiosus fuit. Secundum Gottlobum *Paulum* († 1851), *Baur* († 1860), *Strauss* († 1874) et *Renan* († 1892) Iesus saltem homo plus minusve honestus erat. Ipsius stupenda opera vel naturaliter explicari possunt, vel ut collectio mythorum considerari debent. Nam decursu temporis plurima nomini Iesu affixa et adnexa sunt, quorum ipse auctor nequaquam fuerat ([2]).

Sexcenta sunt opera, quae *Protestantes-Liberales* de Iesu Christo in Germania, Gallia, Anglia in lucem ediderunt. Hi, licet se mutuo feriant atque digladientur in negatione verae divinitatis Christi Domini mirabiliter conveniunt. Maximam celebritatem nacti sunt in *Germania*: *Schleiermacher*, *Ritschl*, *Harnack*, *Loofs*, *Seeberg*, *B. Weiss*, *H. J. Holtzmann*, *Weizsäcker*, *Th. Keim*, *Beyschlag*, *A. Jülicher*, *Wernle*, *Otto* et *Paulus Schmiedel*, *H. von Soden*, *Heitmüller*, *A. Schweitzer*, *Gunkel*, *W. Bousset*, *E. Meyer* ([3]). *In Gallia* laudibus ornantur: *E. Stapfer*, *A. Saba-*

([1]) Cfr. Deneffe, *Kant und Katholische Wahrheit*, Freiburg 1922; B. Jansen S. I., *Der Kritizismus Kants*, München 1925, p. 47 seq.; P. Charles, *Kant et Kantisme*, DTC. 8, 2305-2325.

([2]) Cfr. L. Cl. Fillion, *Les étapes du rationalisme*, Paris 1912, p. 9,10.

([3]) Cfr. Kissling, *Der Deutsche Protestantismus* 1817-1917, Münster in W. 1917-1918 I, II; G. Goyau, *Le Protestantisme Allemand moderne*, DAFC. 4, 675 seq.; H. Felder O. Cap., *Jesus Christus*, Paderborn 1923³ I, p. 244 seq.

thier, A. Reville, E. Giran, H. Monnier, Guignebert, Goguel (1). Haud pauci Protestantes *anglico* idiomate utentes liberalismo critico indulgent v. g. *A. Robinson, Bruce, J. A. Crooker, Gould, Ch. A. Briggs, W. C. Allen, James Moffat, E. G. Burkitt, R. Roberts, Kirsopp Lake* (2).

Textus librorum sacrorum, in quibus divinitas Iesu Christi clare asseritur, ab his auctoribus ut apocryphi reiiciuntur vel contra omnes leges sanae intepretationis detorquentur. Christus secundum Protestantes-Liberales « *deus* » vocari potest, non quatenus Secunda Persona SS. Trinitatis fuisset; sed quatenus in se summam sentimenti religiosi expertus est ac homines suo exemplo ad Deum traxit adeoque caput cultorum Dei constitutus est. Itemque « *filius Dei* » nuncupari valet, quia filiales affectus erga Deum Patrem summopere fovit fervideque de misericordia Dei Patris aliis praedicavit. In Christo et per Christum Deus Spiritum suum in mundum profudit. In ipso « substantia divina » (universum) et idea humanitatis culmen evolutionis conscendit. Ex his aliisque titulis « divinitas » Iesu Christo tribuitur; sed *non divinitas sensu proprio* et transcendentali (3).

---

(1) Cfr. L. DE GEUSER, *Protestantisme français moderne*, DAFC. 4, 690 seq.; A. MICHEL, *Jésus-Christ et la critique*, DTC. 8, 1362 sq.

(2) Cfr. A. D'ALÈS, *Anglicanisme moderne*, DAFC. 4, 701 seq.; A. MICHEL, *Art. cit.*, DTC. 8, 1375 seq.; L. DE GRANDMAISON, *Jésus-Christ*, op. cit. II, p. 201 seq.

(3) Pulchram *synthesim* opinionum Neo-Protestanticarum vide apud *De Grandmaison*: « En résumé, les théories « continentales » des protestants conservateurs, dès qu'elles prétendent dépasser l'agnosticisme dogmatique absolu, abandonnent carrément ce que l'Eglise catholique a toujours considéré comme la pierre d'angle du dogme de l'Incarnation. Pour les auteurs que j'ai cités, et ils font autorité dans leurs Eglises, *la personne de Jésus ne fut qu'une personne humaine*. Un influx, un don, une effusion de l'Esprit de Dieu survint, analogue à l'inspiration prophétique, mais d'une espèce plus haute, d'une richesse plus large et ainsi créatrice de prérogatives plus singulières. *Jésus de Nazareth est un homme divinisé* d'une façon mystérieuse, mais capable de lui conférer la dignité de Fils de Dieu et les autres pouvoirs que nous connaissons par les Ecritures. A parler proprement, *il ne faudrait pas dire*: « *la Divinité du Christ* », mais « la Divinité *dans* le

Neo-Protestantes-Critici Iesum saltem hominem honestum, immo idealem fuisse reputant; non desunt tamen inter eos et tales, qui Christum Dominum ut primum *socialistam et communistam exhibent* (v. g. *Kautsky*), vel ut hominem mente captum et *furiosum* (*Rasmussen, De Loosten* (= pseudonym. *G. Lomer*), *Binet-Sanglé, Jules Soury*) vel denique psychice *anormalem*, extaticum, religiosis halucinationibus subiectum (*Havet, Baldensperger, J. Weiss, Rudolf Otto, Phanmüller, Oskar Holtzmann*) (1).

Ab opinione Protestantium Liberalium non multum differt doctrina *Modernistarum* (*Le Roy, Loisy, Tyrrell, Murri, Buonaiuti*). Sicut Liberales Critici ita et Modernistae divinitatem Iesu ex evangeliis probari posse negant (*Prop.* 27 *Errores Modernistatum*, DB. 2027). Nam nomine « *filii Dei* » in textibus evangelicis non filiatio Dei naturalis, verum dumtaxat dignitas *messiana* Iesu significatur (*Prop.* 30, DB. 2030). Christus ipse numquam sibi naturam divinam attribuit; igitur doctrina de Christo-Deo, quae apud Paulum et Ioannem invenitur, non est ea, quam Iesus ipse tradidit. Quare dogma divinitatis Christi non revelationi sed fidei religiosae primi et secundi saeculi debemus (*Prop.* 27, 29, 31; BD. 2027, 2029, 2031) (2).

3. Hanc densam adversariorum aciem debellando, et augmentum fidei nostrae quaerendo, divinitatem veram Iesu Christi e Libris Sacris N. T., *methodo dogmatica* demonstrare conabimur. Inspirationem horum librorum supponimus et quidquid hagiographus asserit, dicit vel insinuat, a Deo assertum, dictum, insinuatum esse credimus.

4. *Divinitas Iesu Christi est dogma fundamentale* religionis christianae. In multis symbolis et conciliis credendum pro-

---

Christ ». Pour bien faire, « *il ne faudrait plus adorer le Christ,* mais *Dieu dans* le Christ » (Cfr. L. de Grandmaison, *Jésus-Christ,* Op. cit. II, p. 209, 210).

(1) Cfr. H. Felder, *Jesus Christus,* Paderborn 1924³, II, p. 18 seq.

(2) Cfr. J. Bessmer, *Philosophie und Theologie des Modernismus,* Freiburg 1912, p. 292 seq.; A. Gisler, *Der Modernismus,* Einsiedeln 1921, p. 614 seq.; J. Rivière, *Modernisme,* DTC. 10, 2009-2047.

ponitur. *Symb. Forma Orient.*: Καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ, τὸν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα, Θεὸν ἀληθινὸν (DB. 9). *Symb. Epiphani*: Et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei, genitum a Deo Patre, unigenitum, hoc est e Patris substantia, *Deum* de Deo, lumen de lumine, *Deum verum* de Deo vero (DB. 13).

« *Quicumque* » DB. 40.

Nicaenum (325): Et in unum Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei... *Deum* ex Deo, lumen ex lumine, *Deum verum* de Deo vero (DB. 54).

Chalcedonense (451): Confiteri Filium et dominum nostrum Iesum Christum constanter docemus, eundemque *perfectum in deitate* et eundem perfectum in humanitate, *Deum verum* et hominem verum (DB. 148).

Tridentinum (1564) (DB. 994).

Probatur Thesis.

A. Cellini, *Il valore del titolo Figlio di Dio*, Roma 1907; H. Schumacher, *Die Selbstoffenbarung Jesu bei Mt. 11. 27*, Freiburg 1912; P. Richard, *Fils de Dieu*, DTC. 5, 2353 seq.; H. Felder, *Jesus Christus*, Paderborn 1923[3] I, p. 244-427; G. Lahouse, *Apologie de la divinité de Jésus-Christ*, Anvers 1923; L. de Grandmaison, *Jésus-Christ*, Paris 1929 II, p. 3-56; 79-121: H. Dieckmann, *Christi Domini divinitas apud Synopticos* « Verbum Domini », Romae 1929, t. 9, p. 15 seq.

Nota 1° Qui argumenta pro divinitate Christi e S. Scripturis conquirit, a priori, supponere non potest: Iesum statim a principio vitae publicae in plateis et compitis clamare debuisse; « Ego sum verus Deus, ego sum verus et naturalis Filius Dei, non tantum simplex propheta »! Quod si fecisset ille, qui secundum externam speciem homo, caeteris similis apparebat, certo certius pro mente capto haberetur, vel miraculose et quasi violenter fidem suis verbis extorquere debuisset. Pedetentim igitur, verbo et miraculis, methodo perquam paedagogica homines adducebat, ut ipsi divinitatem Christi agnoscerent.

Nota 2° Quamvis divinitas Iesu in religione christiana veritas sit fundamentalis, a nullo hagiographorum (si Ioannem Evangelistam excipias), ex professo demonstranda suscipitur. Nam omnes libri sacri N. T. occasione data scripti sunt, ad quasdam veritates revelatas conservandas et in memoriam revocandas. Quo non obstante, Libri Sacri N. T. plurimis in locis, clare et indubie divinitati Iesu Christi testimonium reddunt.

Nota 3° Testimonia haec ad tres redigemus classes: *a*) Iesus Christus dicitur esse *Filius Dei naturalis, proprius, unigenitus*; *b*) Iesu Christo tribuuntur *attributa stricte divina*; *c*) Iesus explicite et formaliter *verus Deus esse* perhibetur. Argumenta in thesi non evolvuntur sed tantum summatim, quasi per terminos medios indicantur.

Arg. 1. — Iesus Christus est verus Deus, si in S. Scripturis N. T. *filius Dei naturalis, proprius, unigenitus* esse dicitur. *Atqui* Iesus in Scripturis N. T. Filius Dei naturalis, proprius, unigenitus esse dicitur. *Ergo* Iesus Christus est verus Deus.

Ad Mai. Concedimus e *solo dumtaxat nomine* « filius Dei » non necessario divinitatem Christi probari. Nam hoc nomine etiam vocantur, qui specialem relationem ad Deum habent, ut puta reges theocratici (*2 Reg.*, 7, 44), prophetae (*Ioan.*, 10, 34-36), vel filii adoptivi. Qui vero sive implicite sive formaliter filius Dei naturalis, proprius, unigenitus nuncupatur, sine dubio verus Deus est. Nam generatione natura datur; in generatione divina eadem, infinita deitas communicatur.

Prob. Min.: *a*) *Iesus Christus filiationem naturalem sibi vindicavit.*

In parabola de vinitoribus: *Mc.* 12, 1-9. Vineam pastinavit homo et locavit eam agricolis et peregre profectus est. Et misit ad agricolas in tempore servum, ut ab agricolis acciperet de fructu vineae. Qui apprehensum eum ceciderunt et dimiserunt vacuum. Et iterum misit ad illos alium servum: et illum in capite vulneraverunt et contumeliis affecerunt. Et rursum alium misit et illum occiderunt et plures alios: quosdam caedentes, alios vero occidentes. *Adhuc ergo unum habens filium charissimum: et illum misit ad eos novissimum, dicens: Quia verebuntur filium meum.* Coloni autem dixerunt ad invicem: *Hic est heres*: venite, occidamus eum et nostra erit hereditas. Et apprehendentes eum, occiderunt et eiecerunt extra vineam (cfr. *Mt.* 21, 33-40; *Lc.* 20, 9-15).

In forma quidem allegorica, sed perspicaci Iesus attribuit sibi filiationem naturalem. Proprietarius enim vineae est Deus-Iahve. Vinea seu populus Israël locatur colonis = sacerdotibus et scribis (cfr. *Isai.* 5, 2 seq.), ad quos prophetae = servi Dei mit-

tuntur (cfr. *Ier.* 2, 3 seq.) censum annuum reportaturi. Frustra tamen, nam prophetae ab agricolis occiduntur. Mittitur denique filius. Hic est filius Dei *naturalis*, nam *prophetae* in comparatione cum eo sunt *servi*, ille vero est *heres* vineae, est *unus, dilectissimus, carissimus.* Talis vero filius Iahve non potest non esse Deus. Pharisaei illico sensum parabolae perspexerant; *cognoverunt, quoniam ad eos hanc parabolam dixerit* (*Mc.* 12, 12; *Mt.* 21, 45-46) volueruntque Christum comprehendere, sed timuerunt populum.

Approbando et laudando confessionem Petri, filiationem naturalem sibi attribuit.

Mt., 16, 16-17. *Respondens Simon Petrus dicit: Tu es Christus, filius Dei vivi.* Respondens autem Iesus, dixit ei: *Beatus es Simon Bar Iona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est* (1) (cfr. *Mc.* 8, 29; *Lc.* 9, 20).

Duo hic distingui videntur: Tu es *Christus* i. e. Unctus seu Messias. Tu es *Filius Dei.* Cognitionem filiationis divinae Iesus non naturali investigationi Simonis sed supernaturali revelationi tribuit; quo indicare videtur dignitatem Messiae ab hac Filii Dei diversam esse.

Coram Caïpha Iesus profitetur suam filiationem naturalem. Lc. 22, 66-71. Principes sacerdotum et Scribae duxerunt illum in concilium suum, dicentes: *Si tu es Christus, dic nobis.* Et ait illis; si vobis dixero, non credetis mihi: si autem et interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. *Ex hoc autem erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei.* Dixerunt autem omnes: *Tu ergo es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis, quia ego sum.* At illi dixerunt: *ipsi enim audivimus de ore eius* (cfr. *Mt.* 26, 63-67; *Mc.* 14, 61-64).

Duas distinctas interrogationes ponunt Iudaei: Si tu es *Christus* i. e. Messias? Tu es *Filius Dei?* Duobus distinctis responsis quaesito satisfit. Responsum ad utrumque est affirmativum. Iesus *praeter messianitatem* etiam *filiationem naturalem*

(1) De genuinitate et authenticitate huius textus videsis: H. Dieckmann, *De Ecclesia,* Friburgi 1925 I, p. 290-300.

sibi vindicat, ob quod ut *reus blasphemiae* condemnatur et morte punitur. *Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: blasphemavit: quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam: quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis* (*Mt.* 26, 65-67).

b) A S. Ioanne Ev. et S. Paulo Iesus dicitur esse Filius Dei unigenitus et proprius.

Ioan. 1, 14. *Et verbum caro factum est et habitavit in nobis et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre,* ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρος (*Ioan.* 3, 16-18). Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est. Deum nemo vidit unquam: *unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*

Rom. 8, 32. *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Filius Dei proprius exacte *a filiis* Dei *adoptivis* distinguitur; quoniam hi per Filium Dei proprium redempti et iustificati sunt; ad imaginem et similitudinem primogeniti formantur. *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati et de peccato damnavit peccatum in carne, ut iustificatio legis impleretur in nobis* (*Rom.* 8, 3-4). *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus* (*Rom.* 8, 29-30).

Arg. 2. — Cui *operationes et proprietates stricte divinae* conveniunt, hic est verus Deus. *Atqui* Iesu Christo eiusmodi operationes et proprietates conveniunt. *Ergo* Iesus Christus est verus Deus.

Prob. Min.: a) Cognitio stricte divina (*Mt.* 11, 27). *Et nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius et cui voluerit Filius revelare* (cfr. *Lc.* 10, 22). Christus hic affirmat talem se habere cognitionem et cognoscibilitatem, qualem habet Pater. *Atqui* Deus Pater habet cognitionem et cognoscibilitatem infinitam. *Ergo* Dei Filius eandem cognitionem et cognoscibilitatem habet.

Ad Mai. ultim. Clarius adhuc in *Luca* 10, 22. *Nemo scit, quis sit Filius, nisi Pater et quis sit Pater, nisi Filius.* Rationem

ontologicam infinitae cognitionis et cognoscibilitatis Christus indicavit. *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo* (*Ibid.*) ([1]).

b) *Potestas remittendi peccata* (*Mc.* 2, 5-12). Cum autem vidisset Iesus fidem illorum (qui aegrotum portabant), ait paralytico: *Fili, dimittuntur tibi peccata tua.* Erant autem illic quidam de scribis sedentes et cogitantes in cordibus suis: quid hic sic loquitur? *Blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Quo statim cognito Iesus spiritu suo, quia sic cogitarent intra se, dicit illis: quid ista cogitatis in cordibus vestris? Quid est facilius dicere paralytico: Dimittuntur tibi peccata: an dicere: Surge, tolle grabatum tuum et ambula? *Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata* (ait paralytico); *tibi dico*: *Surge* (cfr. *Mt.* 9, 1-8; *Lc.* 5, 12-16).

Secundum persuasionem Iudaeorum a Christo approbatam *solus Deus peccata dimittere potest* (*Mc.* 2, 6-8). *Atqui* Christus dicit se talem potestatem habere et ad eam demonstrandam paralyticum sanat. *Ergo* Christus dicit: se habere potestatem exclusive divinam.

c) *Praeditus potestate creandi.* Creatio (ut interim supponimus), est operatio prorsus divina. *Atqui* Iesus Christus creat omnia et in esse conservat. *Ergo* Iesus habet operationem stricte divinam.

Prob. Min.: Iesus est Verbum Incarnatum (cfr. *Ioan.* 1, 14; I *Ioan.*, 1, 1-4). Sed Verbum Dei omnia creavit. *Ioan.* 1, 3. *Omnia per ipsum facta sunt*: *et sine ipso factum est nihil, quod factum est. Colos.* 1, 16-18. *Quoniam in ipso condita sunt universa in caelis et in terra*: *omnia per ipsum et in ipso creata sunt*: *et ipse est ante omnes et omnia in ipso constant* (cfr. *Hebr.* 1, 10-12).

d) *Eandem numerice cum Patre operationem habet.* Iesus Christus est verus Deus, si eandem indivise operationem, quam Pater exercet, et Filius exequitur. *Atqui* eandem indivise opera-

---

([1]) Fuse de hoc argumento habes apud SCHUMACHER, *Die Selbstoffenbarung Jesu*, Op. Cit., p. 33 seq.; 98 seq.

tionem, quam Pater exercet et Filius exequitur. *Ergo* Christus est verus Deus.

Prob. Min. Ioan. 5, 17. 19. 21: *Pater meus usque modo operatur et ego operor. Amen, amen dico vobis: non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quaecumque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit. Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat: sic et Filius, quos vult, vivificat.*

e) Cum Patre in essendo idem est. Iesus Christus est verus Deus, si cum Patre unum et idem est *in essendo. Atqui* Iesus Christus idem et unum est cum Deo Patre in essendo. *Ergo* est Deus.

Prob. Min. Ioan. 10, 30: *Ego et Pater unum sumus.* Clarum et minime ambiguum responsum postulabant Iudaei a Iesu; utrum verus *Messias* esset nec ne (*Ioan.* 10, 24-25). Christus non solum ad quaestionem datam respondit: — *Loquor vobis et non creditis mihi* —; verum insuper affirmat: se eandem cum Patre potestatem habere, immo idem cum Deo Patre esse. *Ego et Pater unum sumus.* Unitas, de qua Christus disserit est *in substantia.* Nam, ut profunde notat S. *Thomas*: « Unum dicitur sicut ens: unde sicut aliquid non dicitur ens simpliciter, nisi secundum substantiam, ita neque unum dicitur, nisi secundum substantiam vel naturam. Simpliciter autem dicitur, quod nullo addito dicitur. Quia ergo hic simpliciter dicitur: *Ego et Pater unum sumus,* nullo alio addito, manifestum est, quod sunt unum secundum substantiam et naturam. Numquam autem invenitur, quod Deus et creatura sint unum sine aliquo addito » ([1]).

f) Iesus ante incarnationem « in forma Dei » erat. Philip. 2, 5-7: Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Iesu; *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo: sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens* ([2]).

([1]) S. Thom, *In Ioan.* X, *Lect.* 5.

([2]) Exegesim profundiorem cfr. H. Schumacher, *Christus in seiner Praeëxistenz und Kenose.* Nach Phil. 2, 5-8. Exegetisch-kritische Untersu-

Qui ante incarnationem in natura divina subsistebat et in divinitate Deo-Patri aequalis erat, hic profecto, carne assumpta, Deus manet. *Atqui* Iesus Christus ante incarnationem in natura divina subsistebat et in divinitate Deo Patri aequalis erat. *Ergo* Iesus Christus, carne assumpta, Deus manet.

Ad Mai.: Si verus Deus carnem humanam assumit. per incarnationem Deus esse non desinit.

Prob. Min ultim.: Iesus ante incarnationem Deus erat; nam ante « exinanitionem » in *forma* Dei = in *natura Dei* fuerat. Μορφή secundum lexicographos formam externam et aliquid enti intime inhaerens, ab ente inseparabile significat (1). Quandoque « forma » μορφή *naturam* rei, τὸ εἶναί τι, designat (2). Hanc significationem proximus contextus indicat. Christus « formam » servi, μορφήν δούλου, accepisse dicitur. Hic vero μορφή nonnisi *naturam* servi, condicionem servi designat. Nam per eam Christus similis aliis hominibus est factus. Ad rem S. *Ioan. Chrys.*: « Dic mihi, quid hoc est: « *formam servi accepit* »? Homo factus est, inquit. Ergo et « *in forma Dei existens* », Deus erat; nam et hic et illic nomen formae ponitur » (cfr. *In Ep. ad Phil.*, c. 2, *Hom.* 6, 2; MG. 62, 220). Interpretes Graeci universi, tam orthodoxi quam heterodoxi voci μορφή constanter significationem *naturae* tribuerunt (3).

Aequalis Deo erat. Non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo (v. 6). Ἁρπαγμὸς quandoque *actum* rapiendi, usurpandi, quandoque *rem raptam* (passive) significat. Sive active sive passive vox ἁρπαγμὸς interpretetur, argumentum stringit. Si « ra-

---

chung, Rom. 1921, p. 96-388; PRAT, *La théologie de Saint Paul*, Paris 1920[9] I, p. 371-383; 533-537; A. GAUDEL, *Kenose*, DTC. 8, 2339-2349; L. MURILLO S. I., *Paulus et Pauli Scripta*, Romae 1926, p. 263-269.

(1) Cfr. GRIMM'S WILKE'S, *Clavis Novi Testamenti, Greek-English Lexicon*, ed. *J. H. Thayer*, Edinburg 1914; WALTER BAUER, *Griechisch Deutsches Wörterbuch*, Giessen 1928[2].

(2) Cfr. H. CREMER, *Wörterbuch der Neutestamentlichen Gräcität*, Gotha 1902.

(3) Longam seriem textuum videsis: SCHUMACHER, *Christus in seiner Praeëxistenz und Kenose, Historische Untersuchung*, Rom 1914, p. 130-229.

pina » *active* sumitur, sensus est: quia Christus in forma Dei erat, aequalitatem cum Deo non per vim sibi arripuit. Si « rapina » *passive* intelligitur, mens Pauli haec erit: Qui in forma Dei erat, aequalitatem cum Deo pro re rapta vel arripienda non reputabat.

Se ipsum exinanivit. Quo sensu?

Κενοῦν, κενὸς, vi vocis evacuationem significat. Apud S. Paulum vox κενοῦν nativam primigeniamque significationem non semper retinet: v. g., I *Cor.* 1, 17 in sensu « parvi pendere, pro nihilo reputare », sumitur. Iuxta quosdam *Lutheranos* conservativos Iesus per incarnationem proprietatibus divinis fundamentalibus et essentialibus privatus est, proprietates divinas secundarias, puta ubiquitatem, omniscientiam, retinuit. Secundum *Gore, Mackintosh. Bethune-Baker* Christus Dominus quibusdam proprietatibus divinis voluntarie sese spoliavit seu seipsum « exinanivit » (1). *Catholica exegesis* ita Κένωσιν intelligit. Christus, cum, ut verus Deus, suam dignitatem ostentare et convenienter ad divinam majestatem condignas vitae condiciones eligere potuisset, his omnibus renuntiavit, *divinitatem suam abscondit*, i. e. sese exinanivit. Exinanitio absurde explicatur, si cum qualicumque divinitatis imminutione vel depositione identificatur. Nam Paulus in *Colos.* 1, 19; 2, 9 luculenter docet: in Christo inhabitare omnem plenitudinem divinitatis corporaliter, ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς. Subtilius adhuc exinanitionem explicat S. *Thomas.* « Quia (Christus) erat plenus divnitate, numquid ergo evacuavit se divinitate? Non. Quia, quod erat, permansit; et quod non erat assumpsit. Sed hoc est intelligendum secundum assumptionem eius, quod non habuit. Sicut enim descendit de caelo, non quod desineret esse in caelo, sed quia incoepit esse novo modo in terris; *sic* etiam *se exinanivit, non deponendo divinam naturam, sed assumendo naturam humanam.* Pulchre autem dicit: « *exinanivit* »; *inane enim opponitur pleno.* Natura autem divina satis plena est, quia

---

(1) Cfr. Loofs, *Kenosis, Realencyklopädie für protestantische Theologie und Kirche*, 10, 246-263; De Grandmaison, *Jésus-Christ* II, p. 203 seq.

ibi est omnis bonitatis perfectio. *Natura vero humana et anima non est plena*, sed in potentia ad plenitudinem. Est ergo natura humana inanis. Dicit ergo « exinanivit », quïa naturam humanam assumpsit » (1).

Arg. 3. — *Iesus Christus dicitur esse verus Deus incarnatus.*

a) In Prologo Ioannis. Secunda Persona SS. Trinitatis, Verbum, est verus Deus. *Atqui* Iesus Christus, Nazarenus est Verbum. *Ergo* Iesus Christus Nazarenus est verus Deus.

Ad Mai. In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum (*Ioan.* 1, 1. 2.). Non intramus in quaestionem exegeticam, quid S. Ioannes per vocem λόγος intelligat; utrum verbum *mentis*, Deo *intraneum, an verbum « prolatum »*. Nec inquirimus, unde S. Ioannes ideam « verbi » hauserit. Probabilius ex speciali illustratione (2). Pro scopo nostrae theseos sufficit nobis categoricum hagiographi assertum: *Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum*, θεὸς ἦν ὁ λόγος. In hac propositione vox θεὸς sine articulo est praedicatum; subiectum vero est ὁ λόγος. Θεὸς sine articulo significat in Prologo Ioannis naturam divinam, divinitatem; e contra ὁ θεὸς Deum Patrem designat. Versiculo 18 *cap.* 1 Iesus Christus dicitur esse μονογενῆς θεὸς, In Vulgata « unigenitus filius ».

Prob. Min.: *Et verbum caro factum est et habitavit in nobit et vidimus gloriam eius* (v. 14). *Caro*, σάρξ, pars pro toto, *hominem* designat. Hac voce Ioannes realitatem humanae naturae indicare vult, contra docetismum iam iam nascentem (3).

b) I. Ioan. 5, 19. 20. *Et scimus, quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum et simus in vero Filio eius. Hic est verus Deus et vita aeterna.* Erasmus hoc argumentum enervare studuit. Nam pronomen *hic* non ad

---

(1) Cfr. S. Thomae, *In Ep. ad Philip., Cap. 2, Lect. 2.*

(2) Cfr. E. Tobac, *La notion du Christ-Logos dans la littérature johannique*, « Rev. d'histoire ecclés. », Louvain t. 25, 1929, p. 213.

(3) Jac. M. Vosté O. P., *De Prologo Joanneo et Logo*, « Angelicum », 2, 1925, p. 43.

Filium, ultimo loco nominatum, sed ad Deum Patrem referendum duxit. Perperam tamen. Nam pronomen *hic*, οὗτος, secundum leges grammaticales ad substantivum *propinquius refertur*.

c) *Ad Rom.* 9. 3-6. *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israëlitae, quorum adoptio est filiorum et gloria et testamentum.... et ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen.*

Critici Liberales affirmat in propositione relativa: « *qui est super omnia Deus benedictus* » non de Christo sermonem esse sed de Deo Patre. Immerito et contra leges sanae interpretationis. Nam propositio *relativa* ad substantivum vel nomen proxime praecedens spectat. *Atqui* nomen proxime praecedens est Christus. *Ergo* Christus dicitur esse Deus benedictus. Nomen Patris in proximo contextu nec occurrit neque subauditur.

Socciniani et aliqui Anglicani aliud effugium excogitarunt: videlicet post « carnem », σάρκα punctum ponunt et reliqua: — « qui est super omnia, (est) Deus benedictus in saecula » — contendunt esse *doxologiam Dei Patris* (1). Ut hypothesim probarent, ad antiquissimorum Codicum interpunctionem confugerunt. Sed in vanum tantum laboris prodigarunt. Nam 250 Codicibus interpunctio traditionalis est. Codices: *Synaiticus* et *Alexandrinus* nullam punctationem habent, adeoque nullum argumentum suppeditant. E codice *Vaticano* hypothesis minime confirmatur; quoniam simile punctum, quod post σάρκα invenitur bis in v. 6 et post Rebecca in v. 10 reperitur. Punctatio ergo codicis Vaticani nimium urgeri non potest. In Codice *Ephraemi* rescripto post σάρκα parva crux adest, loco cuius, ut in aliis versiculis comma non punctum poni solet (2).

d) *Ad Tit.* 2. 13-14. *Pie vivamus in hoc saeculo, expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi.*

---

(1) Cfr. W. Sanday et A. C. Headlam, The Epistle to the Romans. Edinburg 1914[5], p. 234.

(2) Cfr. Plura invenies apud C. Lattey S. I., *Theses Paulinae* II. *De Divinitate Christi* « Verbum Domini », t. 3, Romae 1923, p. 201 seq.

Christus dicitur magnus Deus. Etenim in textu graeco « *Deus* » et « *Salvator* » sub uno articulo comprehenduntur, τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν. Iamvero articulus, si ante nomina personalia non reperitur, unam eandemque personam designat. Si personae diversae sunt, articulus iteratur. Praeterea, ille vocatur magnus Deus, cuius adventum gloriosum christiani expectant. *Atqui* christiani expectant adventum gloriosum Iesu Christi (I *Cor.* 1, 7-8; *Philip.* 1, 6; 3, 20; I *Tim.* 6, 14). *Ergo* Iesus Christus vocatur magnus Deus.

e) *Ep. ad Hebraeos.* Auctor ep. ad Hebr. Iudaeo-Christianos consolari intendit. Nam hi e templo hierosolymitano exclusi, publico cultu antiqui Foederis destituti, moerore afficiebantur. Paulus igitur supremam dignitatem atque excellentiam Christi sacerdotis eiusque novi sacrificii summis prosequitur laudibus ([1]).

Cap. 1, 1-13, sermo est de Christo, Dei Filio, in quo Deus Pater novissime diebus istis locutus est nobis (v. 2). Quisnam, qualisque sit ille Filius explicat Paulus in versiculis, qui sequuntur.

α) *Iesus Christus est Deus.* Deus enim Pater, qui facit angelos suos ministros ad Filium suum dicit; *Ad Filium autem: Thronus tuus Deus in saeculum saeculi* (v. 8). *Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis prae participibus tuis* (v. 9).

β) Iesus Christus est *Filius Dei naturalis,* quamvis angeli filii Dei appellari possint, tamen Christus altiori ac perfectiori modo « *differentius* », prae angelis nomen Filii Dei hereditavit atque possedit. *Tanto melior angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen hereditavit. Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus, est tu, ego hodie genui te? Et rursum: Ego ero illi in patrem et ipse erit mihi in filium?* (v. 4-5).

γ) Iesus Christus est *Deo Patri consubstantialis. Qui cum sit splendor,* ἀπαύγασμα, *gloriae et figura,* χαρακτὴρ, *substantiae eius* (v. 3). *Splendor* gloriae idem est ac fulgor. efful-

---

([1]) Cfr. E. Mangenot, *Epître aux Hébreux.* DTC. 6, p. 2102 seq.

gentia emanans esse divini. *Gloria*, δόξα apud Hebraeos usurpatur pro ipso Deo (*Exod.* 13, 21-22; 14, 19-20). *Figura*, χαρακτὴρ = sigillatio, *imago impressa* ac proinde fidelissima.

δ) Denique est *creator omnium, immutabilis, aeternus. Per quem fecit et saecula* (v. 2) Deus Pater alloquitur Filium suum: *Tu in principio Domine terram fundasti et opera manum tuarum sunt caeli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis et omnes ut vestimentum veterascent et velut amictum mutabis eos et mutabuntur; tu autem idem ipse es et anni tui non deficient* (v. 10-12).

f) Confirmatur Min. e nomine κύριος.

Iesus Christus 44 vicibus in sensu relativo et 42 vicibus in sensu absoluto *Dominus* = κύριος esse dicitur. *Atqui* vox κύριος loco sacrosancti nominis *Iahve* a S. Paulo ponitur. *Ergo* Iesus Christus est Deus-Iahvè.

Prob. Min. ultima: Sicut Iudaeis « invocare nomen Domini » actus religionis et signum cultus veri Dei Iahve erat (cfr. 3 *Reg.* 18, 24-26; 4 *Reg.* 5, 11; *Joël* 2, 32) ita christianis invocare nomen *Domini* nostri Iesu Christi est salutaris actus virtutis religionis. *Rom.* 10, 9-13: *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis salvus eris. Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit* (cfr. I *Cor.* 1, 2). *Per* nomen Domini fideles obtestantur et obsecrantur (*Cor.* 1, 10; I *Thes.* 4, 1; II *Thes.* 2, 1: 3, 16). Per passionem et crucem Christus sibi promeruit, ut omnis lingua confiteretur, *quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris* (*Philip.* 2, 11) (1).

Solvuntur Difficultates.

1. Divinitas Iesu Christi saltem ex evangeliis synopticis probari non potest, si a Synopticis nullibi directe et clare docetur: Christum esse verum

---

(1) Cfr. Cerfaux, *Le titre « Kyrios » et la dignité royale de Jesus*, « Rev. des Sc. Phil. et Théol. », t. 11 (1922), p. 40-71; t. 12 (1923), p. 125-153; Médebielle, *Christus « Dominus »*, « Verbum Domini », Romae 1924, p. 86 seq.; 117 seq.; 135 seq.; Allo O. P., *Les dieux sauveurs du paganisme gréco-romain*, « Rev. des Sc. Phil. et Théol. », 15 (1926), p. 5-24.

Deum. *Atqui* saltem a Synopticis nullibi directe et clare docetur: Christum esse verum Deum. *Ergo* divinitas Iesu Christi saltem ex evangeliis synopticis probari non potest.

Resp.: Dist. mai. Si id nullibi directe et clare docetur ex professo iisdemque terminis *N. mai.*; si neque per incidens nec in terminis aequivalentibus *C. mai. Ctrd. min.*

2. Christus non est verus Deus, si solus Pater dicitur esse verus Deus. *Atqui* solus Pater dicitur esse verus Deus *Ioan.* 17. 3: *Ut cognoscant te, solum Deum verum et quem misisti Iesum Christum. Ergo* Christus non est verus Deus.

Resp.: Dist. mai. Si per illud « *solum* » negatur divinitas aliarum personarum, in eadem divinitate subsistentium, *C. mai.*; si excluduntur idola extra Deum, *N. mai. Ctrd. min. Explico textum*: In *Ioan.* 17, 3 particula exclusiva « *solum* » non afficit pronomen *te* (Patrem), sed spectat ad illa, quae sequuntur: « *solum Deum verum* ». In graeco textu inter particulam « *solum* » et inter « *verum Deum* » articulus interponitur, ἵνα γινώσκωσιν σὲ τὸν μόνον ἀλήθινον θεόν. Per articulum autem particula « *solus* » seiungitur a pronomine « te ». « Cum ergo Dominus, ad Patrem loquens, dicit: *Ut cognoscant te, solum Deum verum*, non sic intelligendum est, quod solus Pater sit verus Deus, quasi Filius non sit verus Deus, quod tamen manifeste Scripturae testimonio probatur; sed illa, quae est una sola vera deitas, Patri conveniat, ita tamen quod non excludatur inde Filius. Unde signanter non dixit Dominus: *Ut cognoscant te, solum Deum verum*, quasi solus ipse sit Deus; sed dixit: *Ut cognoscant te*, et addidit « *solum Deum verum* », ut ostenderet Patrem, cuius se Filium protestabatur, esse Deum, in quo invenitur illa divinitas. Et quia oportet verum Filium eiusdem naturae esse cum Patre, magis sequitur, quod illa, quae sola est divinitas vera, Filio conveniat, quam ab ea Filius excludatur » (*S. Thom. S. C. Gent.* 4, 8).

3. Iesus Christus non est verus Deus, si degens in terris explicite formaliter negavit: se esse verum Deum. *Atqui* Iesus explicite formaliter negavit: se esse verum Deum. *Mc.* 10, 18: *Iesus autem dixit ei* (adolescenti): *quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus. Ergo* Iesu non est verus Deus.

Resp.: *C. mai. N. min. Explico textum.* Christus in versiculo allato non solum suam divinitatem non negavit, verum etiam hanc iuveni credendam proposuit. Nimirum adolescens, qui Christum merum hominem et magistrum humanum esse censebat, Iesu Christo bonitatem adscribit. Hanc occasionem nactus Iesus replicat: quid me dicis bonum, si me merum hominem reputas? *Nemo bonus, nisi unus Deus.* Ergo si me bonus appellas et Deum me esse fateare! Explicationem hanc *S. Augustino* debemus « Recte me appellabis bonum, si me noveris Deum. Nam quando me nihil aliud,

quam hominem putas, quid me dicis bonum? (*C. Max. Ep. Ar.* 2, 23, 5; ML. 42, 800).

4. Iesus Christus non est verus Deus, si explicite attestatus est, se nonnisi filium Dei adoptivum esse. *Atqui* Iesus explicite attestatus est, se nonnisi filium adoptivum esse. Nam, cum Iudaei eum ut blasphemum lapidibus appetebant, quia sibi aequalitatem divinam attribuisset; Christus respondit: Nonne in lege vestra iudices et prophetae « dii » vocantur (*Ps.* 81, 6)? Cur ergo me, quem Pater in mundum misit, blasphemiae arguitis: quia dixi: Filius Dei sum? (*Ioan.* 10, 33-37).

Resp.: *C. mai. N. min. Explico*: Christus *non argumentatur a pari* sed a minori ad maius. Si iam iudices, reges et prophetae propter munus et arctiorem cum Deo relationem « dii » vocantur; quo pacto blasphaemiae reus a vobis arguor, quem Pater in mundum misit? Et non solum misit me. *Pater meus, quod dedit mihi, maius omnibus est* (*Ioan.* 10, 29).

5. Iesus vocatur Filius Dei, quia miraculoso modo ex virgine conceptus et natus est (*Lc.* 1, 35). *Atqui* miraculosa conceptio et nativitas non contulit Christo veram divinitatem. *Ergo* Christus non fuit verus Deus.

Resp.: Dist. mai. Vocatur filius Dei dumtaxat ob virginalem conceptionem, *N. mai.* Etiam ob hanc relationem, *Trans. mai.* Virginalis conceptio non est ontologica ratio verae filiationis, *C. min.* Logice non potest ducere ad cognitionem verae divinitatis, *Trans. min. Apud Isai.* 7, 11; 9, 6 Messias ex virgine nasciturus praenuntiabatur.

6. Iesus Christus non est verus Deus, si a Deo creatus est. *Atqui* Christus a Deo creatus est: *Prov.* 8, 22: *Dominus creavit me in initio viarum suarum*. ut habent LXX Interpretes. *Eccl.* 24, 14: *Ab initio et ante saecula creata sum. Ioan.* 1, 15 *qui post me venturus est*, inquit Ioannes Bapt., *ante me factus est. Ergo* Iesus Christus non est verus Deus.

Resp.: Dist. mai. Si dicitur creatus secundum naturam humanam. *N. mai.* Si dicitur creatus secundum divinitatem, *Subdist. mai.*; si diceretur stricte creatus i. e. productus e nihilo sui et subiecti, *C. mai.* Si dicitur creatus, factus i. e. genitus, *N. Mai. Ctrd. min. Explico textus.* In S. Scripturis « creatio » non semper productionem e nihilo sui et subiecti significat. V. g. *Cor mundum crea in me Deus* (*Ps.* 50, 12). *Ignis, grando, fames et mors, omnia haec ad vindictam creata sunt* (*Eccl.* 39, 35). *Et creans tenebras et faciens pacem et creans malum* (*Isai.* 45, 7). « Per hoc quod sapientia et creata et genita nuncupatur, *modus divinae generationis nobis insinuatur*. In generatione enim, quod generatur, accipit naturam generantis, quod perfectionis est: sed in generationibus, quae sunt apud nos, generans ipse mutatur, quod imperfectionis est: in creatione vero, creans non mutatur, sed creatum non recipit naturam creantis. *Dicitur* ergo *simul Filius creatus et genitus*, ut ex creatione accipiatur *immutabilitas Patris*, ex generatione *unitas in Patre et Filio* » (*S. Thom. S. C. Gent.* 4, 8).

7. Iesus Christus non est Deus, si qua Filius minor est Patre. *Atqui*

Iesus, qua Filius minor est Patre; dicit enim clare: *Pater maior me est* (*Ioan.* 14, 29).

Resp.: Dist. mai. Si minor est Patre secundum humanitatem, *N mai.* Si minor esset secundum divinitatem, *C. mai. Ctrd. min.* Explicationem textus dat *S. Thomas.* « Quod autem Dominus dicit: « *Pater maior me est* »; qualiter sit intelligendum, Apostolus docet. Cum enim maius referatur ad minus, oportet, intelligi hoc dici de Filio secundum quod est minoratus. Ostendit autem *Apostolus eum esse minorem secundum assumptionem formae servilis.* ita tamen quod Deo Patri aequalis existat secundum formam divinam (*S. C. Gent.* 4, 8).

8. Iesus Christus non habet eandem quam Deus Pater divinitatem, si non habet eandem ac Deus Pater potestatem. *Ioan.* 5, 19: *Non potest Filius a se facere quidquam. Mt.* 20, 23: *Sedere ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.*

Resp.: *C. mai. N. min. Explico textus. Verbis*: *non potest Filius a se facere quidquam*, neque diversitas, nec inferioritas potentiae indicatur, sed *origo et processio Filii a Patre.* « Cum Deo non sit aliud agere quam esse, nec sua actio sit aliud quam sua essentia; ita dicitur, quod Filius non possit agere a se, sed agat a Patre; sicut quod non potest a se esse, sed solum a Patre. Si enim a se esset, iam Filius non esset; sicut ergo Filius non potest non esse Filius, ita a se agere non potest. Quia vero eandem naturam accipit Filius, quam habet Pater et ex consequenti eandem virtutem, licet Filius a se non sit nec a se operetur, tamen est per se et per se operatur: quia sicut est per propriam naturam, quam accepit a Patre, ita per propriam naturam a Patre acceptam operatur » (*S. Thom. S. C. Gent.* 4, 8).

Verba ad matrem Zebedaeorum ita sunt intelligenda. Non est meum dare i. e. non possum dare gloriam caelestem *ex defectu potestatis*; negatur. Ex alia causa scl. *ex inconvenientia* quadam; concedo. Non est aequum dare gloriam caelestem *ob solum motivum propinquitatis.* Iamvero mater Zebedaeorum in sua petitione unice in hoc motivo spem suam reposuit. « Non enim hoc dare ad eum pertinebat, secundum quod erat filius Virginis, sed *secundum quod erat Filius Dei*; et ideo non erat suum hoc dare aliquibus, propter hoc quod ad eum pertinebat secundum quod erat filius Virginis, secundum propinquitatem carnalem, sed propter hoc pertinebat ad eum, secundum quod erat Filius Dei; quibus scilicet paratum erat a Patre per praedestinationem aeternam. Sed quod haec praeparatio etiam ad potestatem Filii pertineat, ipse Dominus confitetur, dicens: *In domo Patris mei mansiones multae sunt: si quo minus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum* (*Ioan.* 14, 2). (*S. Thom. S. C. Gent.* 4, 8).

9. Ille non est Deus, qui Deo subiectus est. *Atqui* Iesus Christus Deo Patri subiectus est. I *Cor.* 15, 28: *Cum autem subiecta fuerint illi omnia: tunc et ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. Ergo* Iesus Christus non est Deus.

Resp.: Dist. mai. Qui subiectus est secundum naturam humanam. N. *mai.* Qui subiectus esset secundum divinitatem. C. *mai. Ctrd. min.* Explico *textum* verbis S. Thomae. « *Filius subiectus est Patri secundum humanam naturam.* Praemiserit enim Apostolus: *Per hominem mors et per hominem resurrectio mortuorum* I *Cor.* 15. 21: et postea subiunxerat. quod unusquisque resurget in suo ordine: primum Christus. deinde ii. qui sunt Christi: et postea addit: *Deinde finis. cum tradiderit regnum Deo Patri* I. *Cor.* 15. 24: et. ostenso. quale sit hoc regnum. quia scilicet oportet ei omnia esse subiecta, consequenter subiungit: *Cum subiecta illi fuerint omnia* etc. I *Cor.* 15. 28. Ipse ergo *contextus ostendit hoc de Iesu debere intelligi secundum quod est homo*, sic enim *mortuus est et resurrexit* » (S. C. *Gent.* 4. 8).

10. S. Paulus affirmat: Christum esse « novissimum Adam » I *Cor.* 15, 45: *Factus est primus homo Adam in animam viventem. novissimus Adam in spiritum vivificantem. Atqui* primus Adam tantum homo fuit. *Ergo* Christus est tantum homo.

Resp.: Dist. mai. Id quidem Paulus affirmat. simul demonstrando Christum verum Deum esse. C. *mai.* Non probando veram divinitatem Christi. N. *mai. C. min.*

11. Secundum mentem S. Pauli Iesus non est verus Deus. si praedestinatus est Filius Dei. *Atqui* Iesus Christus praedestinatus est Filius Dei. *Rom.* 1. 4: *Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum. Ergo* Iesus Christus non est verus Deus.

Resp.: Dist. mai. Si Christus secundum divinam naturam et divinam generationem praedestinaretur. C. *mai.* Si secundum humanam naturam et temporaneam generationem praedestinatur. N. *mai.* (cfr. *Tolet.* XI. DB. 285 *Ctrd. min. Explico textum.* In versiculo citato Paulus non loquitur de stricta praedestinatione Christi. sed potius de *manifestatione. demonstratione* divinitatis Iesu per resurrectionem (cfr. *Lagrange O. P.. Epitre aux Romains.* Paris 1916. p. 6 seq.).

12. Imago Dei. primogenitus omnis creaturae non est verus Deus. *Atqui* Christus est imago Dei. primogenitus omnis creaturae *Colos* 1. 15). *Ergo* Christus non est verus Deus.

Resp.: Dist. mai. Imago Dei analoga non est Deus. C. *mai.* Imago consubstantialis. N. *mai.* Primo-genitus i. e. primo et simpliciter creatus sensu stricto. C. *mai.* Primo genitus i. e. dignitate inter creaturas primus *ratione humanae naturae*. quae quidem creata est. sed unita increatae personae Verbi. N. *mai.. Ctrd. min.*

Thes. 2. — Traditio quoque ante-nicaena testatur Christum esse verum Deum.

Petavius. *De Trinitate*. L. I. Praefatio 1. 12: Franzelin. th. 18. 19: Stentrup. *Christologia*. th. 1. n. 24-27: Muncunill. Disp. 2. a. 2. th. 2: Otten. th. 7: J. Lebreton. *Histoire du dogme de la Trinité*. T. II. *De Saint Clément à Saint Irénée*. Paris 1928. p. 249 seq.

Status Quaestionis.

1. Attestatio divinitatis Iesu Nazaraeni in Libris Sacris N. T. frequens est atque praeclara. Revelatio ergo divinitatis Christi serio in dubium vocari nequit. Quibus in thesi 1ª praestitutis. quodammodo iam a priori concludere possemus fore. ut eadem veritas a magisterio vivo praedicetur. praesertim cum in divinitate divinaque Iesu auctoritate. sicut in lapide angulari tota structura religionis christianae innitatur atque consistat.

2. *Protestantes Liberales concedunt*: de divinitate Iesu Christi inde a concilio Nicaeno (325) indubie constare. veram tamen divinitatem tum Patribus Apostolicis tum Apologetis ignotam fuisse. Fatentur Iesum iam saeculo I « *deum* » vocari. verum eodem sensu. quo a Graecis et Romanis caesares « dii » appellabantur. Non negant Christo a quibusdam Scriptoribus Ante-nicaenis *filiationem divinam* tribui. sed filiationem utique dumtaxat adoptivam. Item Protestantes Critici concedunt Iesum ab Apologetis « *Logon* ». Verbum Dei dici: at hic Logos creatura est Patri subordinata. Quare secundum Neo-Protestantes e traditione ante-nicaena de vera divinitate Iesu Christi minime constat: quin immo Patres Apostolici et Apologetae adoptianismo et subordinatianismo favent verique sunt Arii praecursores. Demum lapsu temporis. sensim sine sensu. a Patribus nicaenis et post-nicaenis Christus aureola divinitatis redimitur (1).

---

(1) Cfr. Harnack. *Lehrbuch der Dogmengeschichte*, Tübingen 1904 I³. p. 209-220: F. Loofs. *Christologie. Kirchenlehre*. « Realencyklopädie für protestantische Theologie und Kirche ». t. 4, p. 22 seq.: Idem. *Leitfaden zum Studium der Dogmengeschichte*. Halle 1906⁴. p. 95 seq.: 190 seq.: 267

3. Contra Neo-Protestantes *affirmamus*: divinitatem Iesu Christi iam inde a primordiis christianitatis agnitam et praedicatam fuisse, huius vero praedicationis atque fidei aliquod residuum in scriptis Patrum Apostolicorum et Apologetarum habemus. *Evolutionem in terminologia* scientifico-philosophica *concedimus*. Nam ad exprimendam fidem in divinitatem Iesu eiusque cum Deo Patre consubstantialitatem varii termini adhiberi potuerunt et de facto adhibiti sunt. Initio, i. e. ultimis decenniis I^i saeculi et in prima medietate II^i saec. fides in divinitatem veram Iesu Christi modo populari ac simplici exprimitur. Sub finem saeculi II^i terminologia magis scientifica et philosophica apparet. Insuper *concedimus*; nonnullas expressiones et comparationes Apologetarum, qui mysteriosissimam Filii Dei generationem et realem a Patre distinctionem aliquomodo explicare necnon illustrare conabantur; materialiter, prout sonant, subordinatianismum sapere et a subordinatiasmi errore vix excusari posse. Quo non obstante, iidem Apologetae, ut videbimus, veram, indiminutam indivisibilemque divinitatem Christi propugnant et credendam commendant. Quare dogma divinitatis Iesu Christi in Concil. Nicaeno definitum tam apud Patres Apostolicos quam apud Apologetas in confessis erat. Et hoc est, quod in thesi 2ª demonstrandum assumimus.

4. Thesis nostra *historice* et *polemice certa* est. Argumenta duo dantur: alterum directum, alterum indirectum. Argumentum *directum a*) ex *assertis* theticis Patrum Ante-nicaenorum; *b*) et ex antiquissimis *symbolis fidei* conficietur. Argumentum *indirectum* e damnatione adoptianismi et arianismi derivabitur.

---

seq.; R. Seeberg, *Lehrbuch der Dogmengeschichte*, Leipzig 1920 1[3], p. 70 seq.; 121 seq.; 345 seq.; Bousset, *Kyrios Christos, Geschichte des Christusglaubens von den Anfängen des Christentums bis Irenaeus*, Göttingen 1921[2], p. 246; Idem, *Jesus der Herr*, Göttingen 1916.

Probatur Thesis.

Arg. 1. — *A*) E testimonio Patrum Ante-Nicaenorum.

Ecclesia ante-nicaena veram divinitatem Iesu Christi agnovit atque profitebatur, si iuxta testimonia tum Patrum Apostolicorum tum Apologetarum Iesus Nazaraenus verus Deus, Filius Dei naturalis, cum Patre in eadem divinitate existens seu consubstantialis dicitur. *Atqui* a Patribus Ante-Nicaenis Iesus Christus verus Deus, Filius Dei Naturalis, cum Patre in eadem divinitate existens seu consubstantialis esse dicitur. *Ergo* ecclesia ante-nicaena veram divinitatem Iesu Christi agnovit atque profitebatur.

Ad Mai. Scripta *Patrum Apostolicorum*: Didache, S. Clementis Ep. ad Corinthios, Ep. Pseudo-Barnabae, S. Ignatii M. Epistolae septem, S. Polycarpi Ep. ad Philippenses, Epistola ad Diognetum, Hermae Pastor, sicut Libri Novi Testamenti occasione data, consignata fuerunt. Pro scopo principali compendiosam, pareneticam et catecheticam expositionem quarundam veritatum fidei et morum habent; adeoque systematicas vel scientificas elucubrationes in eis frustra quaereres. Ad utilitatem enim primitivarum ecclesiarum exarata sunt. Quorum testimonium eo fortius quo simplicius (1). *Apologetae* veritates fidei christianae et exponunt et tuentur.

Prob. Min. 1° Testimonia Patrum Apostolicorum.

Clemens Romanus († 101) Ortis dissidiis atque turbis circa annum 96 vel 98 in ecclesia Corinthiaca, epistulam ad Corin-

---

(1) Cfr. Tixeront, *Histoire des dogmes* I[10], p. 119 seq.; Cayré, *Précis de Patrologie*, Paris 1927 I, p. 31; Puech, *Histoire de la littérature grecque chrétienne*, Paris 1928 II, p. 7 seq.

thios scripsit, in qua inter caetera de vera divinitate clarum testimonium reliquit [1].

Ep. ad Corinth., 36, 2. Per hunc (scl. Iesum Christum) caelorum altitudinem adspicimus; per hunc vultum eius immaculatum et excelsum speculamur; per hunc voluit Dominus nos immortalem cognitionem gustare, *qui maiestatis Dei splendor existens, tanto maior est angelis, quanto excellentius nomen sortitus est. RJ.* 18. Clemens alludit ad *Ep. Hebr.*, in qua divinitas Christi clare credenda proponitur.

Cap. 58, 2. *Sicut Deus vivit et Dominus Iesus Christus vivit et Spiritus Sanctus*, fides et spes electorum. *RJ.* 28. Iesus ergo est unus de divina Trinitate.

Epistula Barnabae. Cap. 7, 2. Iesus est « Dei Filius, qui est *Dominus*, ὢν κύριος, et iudicaturus est vivos et mortuos ». *RJ.* 33. *Cap.* 12, 10. Ecce rursum *Iesus*, non filius hominis, sed *Dei Filius*, figura autem in carne manifestatus. Quoniam vero dicturi erant Christum esse filium David, ipse David prophetat, reformidans et intellegens errorem sceleratorum: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dexteris meis.* Ecce quomodo David eum *dominum* vocet et filium non vocet. *RJ.* 35.

S. *Ignatius Antiochenus* M. († 107) [2]. Inter Patres Apostolicos divinitatis Iesu Christi clarissimus testis.

Ep. ad Ephes. 7, 2. Medicus unus est et carnalis et spiritualis, genitus et ingenitus, *in carne existens Deus*, in morte vita vera et ex Maria, et ex Deo, primum passibilis tunc impassibilis, Iesus Christus Dominus noster. *RJ* 39.

Ep. ad Ephes. 18, 2. *Deus noster Iesus Christus* in utero gestatus est a Maria iuxta dispensationem Dei. *RJ.* 42. *Ep. ad*

---

(1) E. Dorsch, *Die Gottheit Jesu bei Clemens von Rom*, « Zeitschr. f. Kath. Theol. », Innsbruck 1902, p. 466-491; 701-728; Montagne, *La doctrine de S. Clément sur la personne et l'œuvre du Christ*, « Rev. Thom. » 1905, p. 296; 1906, p. 145; Lebreton, *O. T.*, II, p. 265 seq. (Ita brevitatis causa adducetur opus *P. Lebreton* supra citatum).

(2) Cfr. Rackl, *Die Christologie des hl. Ignatius*, Freiburg 1914; R. M. Schultes, *Jesus Christus als Gottessohn bei Ignatius von Antiochien*, « Theologie u. Glaube », 1918, p. 163 seq.; Lebreton, *O. T.*, II, p. 295-326.

Magnes. 8, 2. Divinissimi prophetae iuxta Iesum Christum vixerunt. Ob hoc et persecutionem passi sunt, gratia ipsius inspirati, ut increduli certi redderentur, quod unus sit Deus, qui seipsum manifestaverit per Iesum Christum, *Filium suum, qui est Verbum eius e silentio progressum. RJ.* 45. *Inscr. ep. ad Rom.* Ignatius, qui et Theophorus, ecclesiae misericordiam consecutae in magnificentia Patris altissimi et *Iesu Christi, Filii eius unici...* (salutem) *RJ.* 52.

S. Polycarpus († 156) discipulus S. Ioannis Ev., Smyrnae martyr occubuit. *Ep. ad Philip.* 12, 2 precatur ita: Deus et Pater Domini nostri Iesus Christi et ipse sempiternus pontifex *Dei Filius Iesus Christus,* aedificet vos in fide et veritate... et det vobis sortem et partem inter sanctos suos, qui credituri sunt *in Dominum nostrum Iesum Christum et in ipsius Patrem. RJ.* 76.

Epistula ad Diognetum. Auctor eius ignotus, defendendo religionem christianam, ostendit: cur discipuli Christi tum a polytheismo tum ab Iudaismo abhorrent. *Cap.* 7, 2-4, de Deo Patre et Christo agens: Ipse, inquit, *omnium regnator et omnium conditor et invisibilis Deus,* ipse e caelis veritatem et *Verbum sanctum et incomprehensibile inter homines locavit* et cordibus eorum infixit, non hominibus ministrum aliquem mittens aut angelum aut principem aut aliquem eorum, qui terrena gubernant, aut aliquem eorum, quibus commissa est cura rerum, in caelis administrandarum, sed *ipsum opificem et creatorem omnium,* per quem caelos condidit, per quem mare suis terminis inclusit... hunc ad eos misit. In clementia et veritate, ut rex mittens *filium regem misit eum, ut Deum misit,* ut hominem ad homines misit. *RJ.* 98. *Cap.* 9, 2-4 prosequitur et ait: *Ipse proprium Filium dedit* pretium redemptionis pro nobis, *sanctum* pro iniquis, mali expertem pro malis, *iustum* pro iniustis, *incorruptibilem* pro corruptibilibus, *immortalem* pro mortalibus. In quo alio iniqui nos et impii iustificari potuimus, quam in solo *Filio Dei? RJ.* 99.

Pastor Hermae (1). *Sim.*, 9, *Cap.* 12, 1-4, quaeritur; in turri symbolica quid sit *petra* et quid *porta?* Cur petra vetus, cur porta nova? « Primum omnium, inquam, domine, hoc mihi demonstra: petra et porta quis est? Petra haec, inquit, et porta Filius Dei est. Quonam pacto, inquam, domine, petra vetus est, porta autem nova? Audi, inquit, et intellige, insipiens. *Filius Dei omni creatura eius antiquior est, ita ut Patri consiliarius evaserit in condenda creatura.* Propterea et vetus est. Porta autem, inquam, domine, quare nova est? *Quoniam*, inquit: *in diebus consumationis novissimis apparuit*, propterea porta nova facta est, ut ii, qui assecuturi sunt salutem, per eam intrent in regnum Dei ». *Sim.* 9, *Cap.* 14, 5. 6. Audi, inquit: *nomen Filii Dei magnum et immensum est ac totum mundum sustinet. Si ergo omnis creatura per Filium Dei sustinetur*, quid videtur tibi de iis, qui vocati sunt ab eo et nomen Filii Dei portant ambulantque in mandatis eius? Videsne igitur quales sustineat? Eos, qui ex toto corde portant nomen eius. *Ipse* igitur *fundamentum iis factum est* et libenter eos sustinet, quia non erubescunt nomen eius ferre (2).

SINTHESIS: Secundum *Patres Apostolicos* Iesus Christus est verus Deus, quia simpliciter appellatur *Deus.* « Deus gestatus in utero, missus ut Deus, passus Deus ». Vocatur etiam « *Dominus-Jahve*, Dominus David », vivit et colitur simul cum Patre et Spiritu. Non more igitur paganorum deus nuncupatur, sed qua unus Deus verus christianorum. Nam insuper creditur esse *Filius Dei*, *unicus*, auctor et fundamentum filiationis adoptivae, *creator* omnium, *conservator*, iudex vivorum et mortuorum, largitor vitae aeternae. Hic Filius Dei est *Verbum Dei* in silentio progressum, splendor et imago maiestatis divinae. Qui Iesu Christo eiusmodi encomia tribuit, certe veram divinitatem Verbi incarnati agnovit.

---

(1) Cfr. W. SCHERER, *Zur Christologie des Hermas*, « Katholik », 1905, II, p. 320 seq.; LEBRETON, *O. T.*, II, p. 379 seq.

(2) Cfr. FUNK, *Patres Apostolici*, Tubingae 1901, I, p. 599-605.

2° Testimonia Apologetarum.

Aristides (c. a. 140), *Apologia*, 15, Christiani a Domino nostro Iesu Christo originem ducunt. Hic *Dei altissimi Filius esse creditur*, qui in Spiritu Sancto de caelo descendit ad salvandos homines. (Christiani) *Deum rerum omnium conditorem* atque architectum *in Filio unigenito et Spiritu Sancto agnoscunt, nec* praeter eum *ullum deum alium venerantur. RJ.* 112.

S. Iustinus († 163/7) (1). *Apologia* I, *Cap.* 13. Christianos a calumnia atheismi defendendo, sic ait: Atheos igitur nos non esse, qui opificem huius universi colimus, quis ratione usus non concedet? Nostrum autem harum rerum doctorem, natum ad hoc munus, Iesum Christum, ac sub Pontio Pilato, Iudaeae temporibus Tiberii Caesaris praeside, crucifixum, *veri Dei Filium esse* edocti, ipsumque secundo loco, Spiritum autem propheticum tertio habentes ordine, non sine ratione a nobis coli demonstrabimus. *RJ* 117, *Cap.* 53. Quomodo enim homini crucifixo crederemus *eum esse primogenitum ingenito Deo*, ac iudicium de universo genere humano facturum, nisi testimonia de eo, antequam homo factus veniret, praedicata inveniremus, eaque eventis confirmata videremus? *RJ.* 125, *Cap.* 63. Haec autem ideo diximus, ut Filium Dei et legatum esse Iesum Christum demonstraremus; qui quidem, *cum antea Verbum esset*, nunc voluntate Dei pro humano genere *homo factus est. Qui, eum Verbum sit primogenitum Dei, Deus etiam est. RJ.* 127.

Idem recolit *Apol.*, II, *Cap.* 6. Nomen universorum Parenti, eo quod ingenitus sit, nullum inditum est. Eius *Filius, qui solus proprie filius dicitur, Verbum,* antequam mundus creatur; quod et una cum eo aderat et genitum est, cum *per illum omnia initio condidit et ornavit;* hic, inquam, *Filius*, eo quod unctus sit, *Christus vocatur;* quo quidem et ipso nomine *res significatur incognoscibilis*, quemadmodum Dei appellatio non nomen est, sed rei non enarrabilis insita naturae hominum opinio. *RJ.* 130. *Cap.* 13. Natum ex ingenito et ineffabili Deo Verbum post Deum adoramus et amamus; quandoquidem propter nos homo factus est, ut passionum nostra-

---

(1) Cfr. L. Feder, *Justins des Martyrers Lehre von Jesus Christus*, Freiburg 1906, p. 83 seq.; 155 seq.; Lebreton, *O. T.*, II, p. 430 seq.

rum factus particeps medicinam illis faceret. *RJ.* 131, *Cap.* 48 et 61 Verbi Dei praeexistentiam demonstrat cfr. *RJ.* 136. 137.

Tatianus, Iustini discipulus, in sua *Oratione Adversus Graecos* (c. a. 165), *Cap.* 21 clare testatur: Non desipimus, o Graeci, neque nugas praedicamus *Deum sub hominis forma nuntiantes*. *RJ.* 160.

Athenagoras (1), *Legatio pro Christianis*. *Cap.* 10. Satis igitur demonstratum est a me atheos nos non esse, qui unum ingenitum et aeternum tenemus Deum. *Agnoscimus et Dei Filium*. Nec quisquam ridiculum existimet Deo esse filium. Neque enim ut poëtae fabulantur, qui nihilo meliores hominibus inducunt deos, ita de Deo et Patre aut de Filio sentimus. Sed *est Filius Dei Verbum Patris* in idea et operatione: *ab eo enim et per eum facta sunt omnia, cum Pater et Filius unum sint*. Cum autem Pater sit in Filio et Filius in Patre, unitate et virtute Spiritus, *mens et Verbum Patris est Filius Dei*. Quis igitur non miretur, cum atheos vocari audiat eos, qui Deum Patrem et *Filium Deum* et Spiritum Sanctum asserunt, ac eorum et in unione potentiam et in ordine distinctionem demonstrant? *RJ.* 164.

S. Theophilus Antiochenus (2). *Ad Autolycum* (c. a. 181/2) *L.* 2, *Cap.* 2 de divina natura Verbi praeclare disserit. Haec nos docent scripturae sanctae et quotquot Spiritu Sancto afflati fuere, inter quos Ioannes dicit: *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum*, docens initio, solum fuisse Deum et in ipso Verbum. *Deinde addit: Et Deus erat Verbum; omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil. Verbum igitur, cum Deus sit et ex Deo genitum*, illud Pater universorum, cum voluerit, mittit in aliquem locum, quo cum venerit, auditur et videtur, missum ab illo et in loco invenitur. *RJ.* 182.

S. Melito Sardensis († 194/5), teste Eusebio et Anastasio Sinaita, multa scripsit: opera tamen eius perierunt. Nonnisi

---

(1) Pappalardo, *Il monoteismo e la dottrina del Logos in Atenagora*, « Didascaleion », 1924, p. 11 seq.; Lebreton, *O. T.*, II, p. 492 seq.

(2) Cfr. Pommrich, *Des Apologeten Theophilus Gottes und Logoslehre*, Dresden 1902; Lebreton, *O. T.*, II, p. 510 seq.

quaedam fragmenta extant. *Fragm.* 7. Quae post baptismum a Christo gesta sunt, maxime *miracula, latentem eius in carne divinitatem* potissimum mundo *comprobant* et confirmant. Cum enim *idem Deus simul et homo perfectus* esset, *duas naturas suas nobis patefecit*: *divinitatem* quidem *per miracula* triennio isto post baptismum patrata, humanitatem vero suam triginta illis annis baptismum antegressis, quibus carnis vilitas tegebat et *abscondebat divinitatis signa, tametsi Deus verus esset et sempiternus. RJ.* 189.

S. Irenaeus († 202) (1). *Adv. Haeres.* 3, 16, 9. Nolite errare; unus et idem est Christus Iesus, *Filius Dei*, qui per passionem reconciliavit nos Deo et resurrexit a mortuis, qui est in dextera Patris et perfectus in omnibus. Ipse enim vere salvavit, *ipse est Verbum Dei, ipse Unigenitus a Patre,* Christus Iesus *Dominus noster. RJ.* 218. *Adv. Haer.* 3, 19, 2. Iesus Emmanuel ipse *proprie* et *praeter omnes*, qui fuerunt tunc homines, *Deus et Dominus* et rex aeternus et *Unigenitus* et *Verbum incarnatum* praedicatur et a prophetis omnibus et apostolis et ab ipso Spiritu, adest videre omnibus, qui vel modicum de veritate attigerint. Haec autem non testificarentur scripturae de eo, si, similiter ut omnes, homo tantum fuisset. *RJ.* 222.

Tertullianus († 222/3) (2). *Apologeticus Cap.* 21, Venit igitur, qui ad reformandam et illuminandam eam (scl. humanitatem) venturus a Deo praenuntiabatur, *Christus ille Filius Dei.* Hunc ex Deo prolatum didicimus et prolatione generatum et idcirco *Filium Dei et Deum dictum ex unitate substantiae.* Nam et Deus spiritus. Et cum radius ex sole porrigitur, portio ex summa; sed sol erit in radio, quia solis est radius, *nec separatur substantia*, sed extenditur. Ita de spiritu spiritus, de Deo Deus, ut lumen de lumine accensum. Ita et *quod de Deo pro-*

(1) Cfr. Vernet, *Saint Irénée*, DTC. 7, 2442-2451; Lebreton, *O. T.*, II, p. 551-560; 590-600; Bonwetsch, *Die Theologie des Irenaeus*, Gütersloh 1926.

(2) Cfr. D'Alès, *Théologie de Tertullien*, Paris 1905, p. 198-200; Lortz, *Tertullian als Apologet*, Münster i. W., 1927, I, p. 196-199; 203-205.

fectum est Deus et Dei Filius et unus ambo. Iste igitur Dei radius, ut retro semper praedicabatur, delapsus in virginem quandam et in utero eius caro figuratus, nascitur homo Deo mixtus. *RJ.* 277. *Adv. Praxeam, Cap.* 13. Duos quidem definimus, Patrem et Filium et iam tres cum Spiritu Sancto, secundum rationem oikonomiae: *duos* tamen *deos* et duos dominos *numquam ex ore nostro proferimus*, non quasi non et *Pater Deus et Filius Deus et Spiritus Deus* et Dominus unusquisque, sed quoniam retro et duo dii et duo domini praedicabuntur, ut, *ubi venisset Christus et Deus agnosceretur et Dominus vocaretur, quia Filius Dei et Domini. RJ.* 377.

Clemens Alexandrinus († 211/15) (1). *In Protreptico. L.* 10, *Cap.* 110, 1. Dominus, inquit specie despectus, reipsa adoratus, expiator et servator et mansuetus, *divinum Verbum, evidentissime verus Deus*, Domino universorum aequalis, *quia erat Filius eius* et Verbum erat in Deo. *RJ.* 405. In *Paedagogo. L.* 1, *Cap.* 2. Paedagogus noster, Deo Patri suo similis, cuius est Filius; *Deus in figura hominis, Verbum Deus*, qui est in Patre, qui est a dextris Patris et *figura Deus* (MG. 8, 252). Cfr. *RJ.* 409.

Origenes († 254/5) (2). Strenuus divinitatis Iesu defensor. Exemplo sit *Commentarios in Romanos* 7, 13. Sicut Dominum Iesum Christum non ita unum esse Dominum dixit (Paulus), ut ex hoc Deus Pater Dominus non dicatur; ita et Deum Patrem non ita dicit esse unum Deum, ut Deus Filius non credatur. Vera est enim scriptura, quae dicit: *Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus* (*Ps.* 99, 2). *Unus autem uterque Deus est*, quia non est aliud Filio divinitatis initium quam Pater. Est ergo *Christus Deus super omnia* (*Rom.* 9, 5). Si ergo Filius Deus super omnia dicitur et Spiritus Sanctus omnia continere memoratur, Deus autem Pater est, *ex quo omnia* (I *Cor.* 8, 6) evidenter ostenditur naturam Trinitatis et substantiam unam esse, quae est super omnia. *RJ.* 502. *C. Celsum* 2, 5.

---

(1) Cfr. E. de Faye, *Clément d'Alexandrie*, Paris 1906², p. 248-273; A. de la Barre, *Clément d'Alexandrie*, DTC. 3, 158-163.

(2) Cfr. E. de Faye, *Origène, sa vie, son œuvre, sa pensée*, Paris 1923, I, p. 162-189.

Damus igitur *crimini Iudaeis, quod Iesum non existimaverint Deum esse,* quem prophetae magnam potentiam et secundo post rerum omnium Deum et Patrem loco Deum esse testificati sunt. *RJ.* 518.

Novatianus († c. a. 257) ([1]). *De Trinitate, Cap.* 11. Verum ex hoc, quod Dominum nostrum Iesum Christum Dei Creatoris Filium in substantia veri corporis exhibitum asserimus, aliis haereticis hoc in loco hominen tantum et solum defendentibus. atque ideo hominem illum nudum et solitarium probare cupientibus, aut manus dedisse, aut loquendi materiam commodasse videamur: *non sic* de substantia corporis ipsius exprimimus, *ut solum tantum hominem illum esse dicamus, sed ut,* divinitate sermonis in ipsa concretione permixta, *etiam Deum illum secundum Scripturas esse teneamus. Scriptura etiam Deum annuntiat Christum, quam etiam hominem annuntiat Deum,* tam hominem descripsit Iesum Christum, quam etiam Deum quoque descripsit Christum Dominum. Quoniam nec Dei tantum illum Filium esse proponit, sed et hominis; nec hominis tantum dicit, sed et Dei referre consuevit; ut, dum ex utroque est, utrumque sit; ne si alterum tantum sit, alterum esse non possit. *Ut enim praescripsit ipsa natura hominem credendum esse, qui ex homine sit; ita eadem natura praescribit et Deum credendum esse, qui ex Deo sit;* ne si non et Deus fuerit, cum ex Deo sit; iam nec homo sit, licet ex homine fuerit. *ML.* 3, 903, 904.

Cap. 14 et 15: *plura argumenta* pro divinitate Iesu coacervavit. Si homo tantummodo Christus; quomodo *mundus per ipsum factus esse refertur,* cum non per hominem mundus, sed post mundum homo institutus referatur? Si homo tantummodo Christus, quomodo, *qui de caelo venit, quae vidit et audiit, testificatur* (*Ioan.* 3, 31. 32), cum constet hominem de caelo, quia ibi nasci non possit, venire non posse? Si homo tantummodo Christus, quomodo *visibilia et invisibilia, Throni, Virtutes et Dominationes* (*Colos.* 1, 16) per ipsum et in ipso creata esse referuntur; cum Virtutes caelestes per hominem fieri non potuerint, quae ante hominem ipsum esse de-

---

([1]) Cfr. A. D'ALÈS, *Novatien, Etude sur la théologie romaine au milieu du 3e siècle,* Paris 1925, p. 98 seq.

buerint? Si homo tantummodo Christus, quomodo *adest sibique* invocatus, cum haec hominis natura non sit, sed Dei, ut adesse omni loco possit? Si homo tantummodo Christus, *cur spes* in illum ponitur, cum spes in homine maledicta referatur? Si homo tantummodo Christus, quomodo Ioannes Baptista testatur et dicit: *Qui post me venit, ante me factus est, quia prior me fuit* (*Ioan.* 1, 15); cum, si homo tantummodo Christus, post Ioannem natus, ante Ioannem esse non possit, nisi quoniam illum, qua Deus est, ante praecessit. Si homo tantummodo Christus, quomodo *sicut Pater in se vitam habet, ita dedit Filio vitam habere in semetipso* (*Ioan.* 5, 26); cum exemplo Patris Dei, homo in se vitam habere non possit, cum non in aeternitate sit gloriosus, sed in materia mortalitatis effectus?

Sed considera quod ait: *Ego non sum de hoc mundo.* Numquid ergo mentitur, cum ex hoc mundo sit? Non ergo homo tantummodo est, quia ex hoc mundo non est. *Ego,* inquit, *de sursum sum;* hoc est de caelo, unde homo venire non potest. *Deus ergo,* qui de sursum est, et idcirco, de hoc mundo non est; quamquam etiam quodammodo ex hoc mundo est: unde *non Deus tantum est Christus* sed et homo. Ut merito quomodo *non est ex hoc mundo secundum Verbi divinitatem,* ita ex hoc mundo sit secundum suscepti corporis fragilitatem. *Homo est enim cum Deo iunctus et Deus cum homine copulatus, ML.* 3, 909-912.

S. *Dionysius Romanus* († 268), *De Trinitate et Incarnatione, Cap.* 2. Neque minus culpandi sunt, qui *Filium* opus esse existimant et Dominum factum esse, sicut unum eorum, quae vere facta sunt arbitrantur; cum *illum genitum esse,* ut congruit ac decet, *non conditum aut factum,* divina eloquia testantur. Non levis igitur, sed maxima est impietas, Dominum aliquo modo factum dicere. Nam si factus est Filius, erat tempus, quando non erat; *atqui fuit semper, si utique est, ut ipse declarat, in Patre.* Et si Christus Verbum, Sapientia, Virtus est, — haec enim Christum esse divinae docent litterae, ut ipsi nostis, — haec sane virtutes Dei sunt. Quocirca, si factus est Filius, fuit tempus, quando haec non erant: adeoque fuit tempus, quo sine his erat Deus, quod per absurdum est. *DB.* 49.

Sinthesis: Ab Apologetis Christus non solum *Deus appellatur,* verum etiam *verus Deus esse probatur.* Constanter enim ab eis repetitur: christianos unum dumtaxat Deum adorare adeoque nec atheos neque polytheistas esse. Porro *Christus* cum Patre et Spiritu Sancto *coli et adorari* perhibetur. Insuper Chri-

stus *Filius Dei unigenitus* et *unicus* esse dicitur, proindeque non adoptiva dumtaxat filiatione pollet, cum nos iustos et Dei filios faciat. Estque *Verbum*, quod a Deo Patre generatur, non per abscissionem vel multiplicationem, sed per communicationem indiminutae divinitatis, quae tota in Patre manet et tota Filio datur. Quare Christus est Deus perfectus et homo perfectus, qui duas perfectas possidet naturas: humanitatem et divinitatem (Melito Sard.). Ab Apologetis Iesus Christus formaliter implicite *Patri consubstantialis* affirmatur. Nam Pater et Filius « *unus ambo* » (Tertul.), « *unus uterque* » (Orig.), « *ex unitate substantiae* » (Tertul.) esse dicitur.

B) E SYMBOLIS FIDEI ANTE-NICAENIS.

De divinitate Iesu Christi traditio quoque ante-nicaena testatur, si *in antiquissimis symbolis, ex epocha ante-nicaena, vera divinitas Iesu credenda proponebatur. Atqui* in antiquissimis symbolis fidei, ex epocha ante-nicaena, vera divinitas Iesu Christi credenda proponebatur. *Ergo* de divinitate Iesu traditio quoque ante-nicaena testatur.

Ad Mai. Symbola fidei non solum elenchum dogmatum, continent, sed etiam historicum valorem summum possident. Nostro aevo laboriosissime et exactissime in tempus et originem symbolorum fidei investigatum est: tum a Protestantibus: ut *Caspari, Hahn, Kattenbusch, Harnack, Holl, Feine, Lietzmann*, tum a Catholicis: ut *Baeumer, C. Blume, W. M. Peitz, Nussbaumer. Capelle* (1). Minutissimis aliorum investigationibus innixi cum certitudine vel summa cum probabilitate statuere possumus, quae sequuntur:

Prob. Min.: *Symbolum Romanum*, quod primis decenniis saeculi II^{i} ortum est. sic habet: Credo in Deum Patrem omnipotentem et *in Iesum Christum, Filium eius unicum Dominum nostrum DB.* 6.

---

(1) Cfr. CAPELLE O. S. B., *Le Symbole Romain au second siècle*, « Rev. Bénédictine » 1927, p. 33 seq.; LEBRETON, *O. T.*, p. 141 seq.

Symbolum Apostolicum (intra 150-160 comositum): Credo in Patrem, omnipotentem et *in Iesum Christum, Salvatorem nostrum DB.* 1.

Symbolum Irenaei (*Adv. Haer.* 1, 10, 1): Ecclesia per universum orbem usque ad fines terrae seminata et *ab Apostolis et a discipulis eorum accepit eam fidem,* quae est in unum Deum, Patrem omnipotentem...; et in unum *Iesum Christum, Filium Dei,* incarnatum pro nostra salute... et in carne in caelos ascensionem dilecti Iesu Christi Domini nostri et de caelis in gloria Patri adventum eius, ad recapitulanda universa et resuscitandam omnem carnem humani generis, *ut Christo Iesu Domino nostro et Deo et salvatori et regi...* omne genu curvet caelestium et terrestrium et infernorum et omnis lingua confiteatur ei. *RJ.* 191. In opusculo, quod inscribitur: *Demonstratio Apostolicae Praedicationis, Cap.* 6 aliam formam symboli transmisit. *Haec est dispositio ordinis fidei nostrae* et fundamentum aedificii et confirmatio conversationis. Deus, Pater increatus, independens... Hoc primum caput fidei nostrae. Sed secundum caput: *Verbum Dei, Filius Dei, Christus Iesus Dominus noster, per quem pactum est unumquodque.* Qui etiam in fine temporum, ad perficiendum et instaurandum unumquodque, homo inter homines pactus est, visibilis et palpabilis ad destruendam mortem et manifestandam vitam et communitatem concordiae Dei, et hominis faciendam (1).

Symbolum a Tertulliano traditum: *Adv. Praxeam, Cap.* 2. Nos vero semper et nunc magis unicum quidem Deum credimus, sub hac tamen dispensatione, quam oikonomiam dicimus, ut *unici Dei sit et Filius, Sermo ipsius,* qui ex ipso processerit, *per quem omnia facta sunt et sine quo factum est nihil.* Hunc missum a Patre in virginem et ex ea natum, *hominem et Deum, filium hominis et Filium Dei* et cognominatum Iesum Christum. *Hanc regulam ab initio evangelii decurrisse etiam ante priores*

---

(1) Cfr. Sancti Irenaei, *Demonstratio Apostolicae Praedicationis.* Ed. S. Weber, Friburgi 1917, p. 31-32.

quosque haereticos, nedum ante Praxeam hesternum, *probabit* tam *ipsa posteritas omnium haereticorum, quam ipsa novelitas Praxeae hesterni. RJ.* 317.

Symbolum a Novatiano (c. a. 250) conservatum: *De Trinitate, Cap.* 1 et 9. *Regula exigit veritatis*, ut primo omnium credamus in Deum Patrem et Dominum omnipotentem id est rerum omnium perfectissimum conditionem. *Eadem regula veritatis docet*: nos credere post Patrem etiam *in Filium Dei Christum Iesum, Dominum Deum nostrum, sed Filium Dei. ML.* 3, 885 et 900.

Arg. 2. — E modo, quo adoptianismus et arianismus damnatus est.

Si dogma fidei in veram divinitatem Iesu Christi primo in nicaena synodo adinventum et confictum esset, Patres Ante-Nicaeni et Nicaeni, nonnisi cum nefando mendacio affirmarent: se fidem in veram divinitatem Iesu Christi ex antiquissima, apostolica traditione hausisse. *Atqui* Patres Ante-Nicaeni et Nicaeni *affirmant*: *se fidem in divinitatem veram* Iesu Christi *ex antiquissima, apostolica traditione hausisse. Ergo* fides in veram divinitatem Iesu Christi ante concilium nicaenum in ecclesia viguit.

Prob. Min.: *a*) Anno 264, cum *in synodo Antiochena* errores Pauli Samosateni damnabantur, a synodo emanavit formula fidei, quae sequitur: Decrevimus fidem scripto edere et exponere, quam a principio *accepimus et habemus traditam et servatam in catholica et sancta ecclesia usque hodiernum diem a beatis Apostolis*: Esse unum Deum ingenitum, sine principio; *Filium genitum, unigenitum*, imaginem Dei invisibilis, *Sapientiam et Verbum* ac virtutem Dei ante saecula, *non praecognitione sed substantia et hypostasi Deum.*

Dei Filium, cum in veteri et novo Testamento cognoverimus, confitemur et praedicamus. Qui autem contra dicit, Filium Dei non esse ante mundi constitutionem, dicitque credere et confiteri (Filium) Deum, non esse aliud quam duos deos praedicare; *qui Filium Dei non esse Deum praedicat, hunc alie-*

num esse ab ecclesiastica regula arbitramur et omnes ecclesiae catholicae nobiscum consentiunt. De hoc enim scriptum est: *Thronus tuus Deus in saeculum saeculi* (1).

S. *Dionysius Alexandrinus* († 264) in epistula synodica contra Paulum Samosatenum haec habet: *Christus* non solo nomine, sed veritate est Christus Iesus, qui est *ante saecula Verbum*, ipse factus est homo ex Maria incarnatus. Non enim sortitus est unctionem externam, sicut nos sortiti sumus, qui ante non vocabamur Christi: ipse vero *semper praedicatur Christus dominus, ut qui est.* Forma autem Dei, *Verbum* eius et Sapientia *filius Dei, et Deus ipse, semper existens una persona.* Unus est Christus, qui est in Patre, *coaeternum Verbum*, una eius persona. Deus invisibilis et visibilis factus. *Deum enim apparuit* in carne natus ex muliere, qui erat *ex Deo Patre genitus ex utero ante luciferum*, tanquam ex corde Verbum ex Patre editum, et simplex atque expers partium *Verbum caro factum est* secundum Scripturas. *Et sic confessi sunt eum sancti Patres et ut confiteremur ac crederemus, nobis tradiderunt* (2).

S. *Hippolytus. Contra Haeresim Noëti. Cap.* 17 sic scribit: Credamus igitur, dilecti fratres, *secundum traditionem Apostolorum, quod Deus Verbum e caelis descendit* in sanctam virginem Mariam, ut ex ea incarnatus, sumpta anima humana, rationis inquam participe, factus omnia quaecumque homo est, excepto peccato, salvaret eum, qui ceciderat: habens caeleste quod paternum erat, tanquam Verbum: terrenum vero tamquam ex vetere Adam, per Virginem incarnatus. Sic *in mundum egressus Deus* in corpore apparuit, egressus perfectus homo. *RJ.* 394.

b) E Patribus Nicaenis S. *Athanasium* citasse sufficiat. In opere *De Decretis Nicaenae Synodi Cap.* 26 et 27 legimus: Credendum est in Deum Patrem omnipotentem et in Christum Iesum eius Filium et in Spiritum Sanctum, ac *Verbum Deo universorum esse unitum. Ego* enim, inquit, *et Pater unum sumus*; et, *Ego in Patre et Patre in me est...*

(1) Cfr. Mansi, *S. Conciliorum Nova et Amplissima Collectio*, t. 1, 1034.
(2) Cfr. Mansi, 1, 1042-1043.

En igitur *nos* quidem *hanc sententiam a Patribus ad Patres transisse demonstramus*: vos vero, o novi Iudaei et Caiphae discipuli, quos Patres, qui vestris voculis faverint exhibere potestis? Nullum certe prudentem et sapientem unquam proferetis; omnes enim a vobis abhorrent praeter unum diabolum, qui nempe solus huius vestrae defectionis pater et auctor extitit vobisque primum impietatem hanc inseminavit ac etiam nunc suadet, ut oecumenicam synodum vestris maledictis insectemini, quia videlicet non vestra sed *illa definierint, quae ab initio tradidere testes oculati, qui et ministri Verbi fuere.* MG. 25, 466; AD., 467-A.

Solvuntur Difficultates.

1. S. *Iustinus* in *Apol.* I, c. 13 dicit Filium Dei *secundo loco* et Spiritum S. *tertio* coli: in *Dial. c. Tryph.* c. 56 affirmat: Filium esse *alium Deum* et Dominum *sub creatore* universorum. *Atqui* haec cum vera divinitate Christi conciliari nequeunt. *Ergo* S. Iustinus veram divinitatem Christi negavit.

Resp.: Distinguo sensum textuum allatorum. Iustinus ponit Filium loco secundo iuxta distinctionem *numerationis, C. mai.* Iuxta distinctionem *dignitatis, subd. mai.* dignitatis *personalis*, quatenus Pater est sine principio, *C. mai.* dignitatis *essentialis, N. mai.* In *Dial. c. Tryph.* Iustinus dicit Filium esse *alium* Deum a Patre *in ratione proprietatis personalis, C. mai.*; alium ratione ipsius *deitatis, N. mai.* Filius est *sub creatore*: quatenus *homo C. mai.* Quatenus *persona divina, subdist.* Est sub creatore sensu proprio, *N. mai.*; sensu improprio quatenus genitus, *C. mai. Ctrd. min.*

2. Secundum eundem S. *Iustinum* (in *Dial.* c. *Tryph.*, c. 127 et 128) Filius voluntati Patris ministrat, Patris mandata hominibus nuntiat: secundum *Tatianum* (*Orat. adv. Graec.*, 13.); *Athenagoram* (*Legat. pro Christ.*, 21); *Clementem Alexandrinum* (*Stromat.*, 1. 7., c. 2.): S. *Hippolytum* (*C. Haer. Noëti*, 10). Christus et *servus* Dei, *minister* Dei. *Atqui* minister et servus Dei non est Deo Patri consubstantialis. *Ergo* secundum Apologetas Christus non est verus Deus.

Resp.: Distinguo eodem modo: est minister, servus secundum naturam humanam, *C. mai.*; secundum naturam divinam, *subdist.*; quatenus creatio *Verbo ut ministro vel « instrumento » appropriatur, C. mai.* Secus *N. mai.*

3. Pater et Filius natura ipsa differre videntur; nam secundum S. *Iustinum* (*Apol.* I, cc. 62 et 63); S. *Theophil.* (*Ad Autol.* 2, 22); S. *Irenaeum* (*Adv. Haer.*, 3, 5-7); *Tertullianum* (*Adv. Praxeam.* cc. 14-16); *Novatianum*

(*De Trinit.*, c. 25). Pater est invisibilis, in theophaniis Veteris Testamenti apparere non potuit; dum e contra Filius est visibilis et in theophaniis apparebat.

Resp.: Pater est invisibilis *qua missus, legatus, C. assert.* Est invisibilis ob aliam divinam naturam, quam Filius habet, vel absolute loquendo, apparere non potest, si velit, *N. assert. Explico*: Ob varias rationes Theophaniae Verbo Dei seu Filio attribuebantur. Cum Verbum, *qua Verbum*, imago sit Patris, convenientissime omnis manifestatio et apparitio divinitatis Verbo Dei adscribitur. Praeterea, theophaniae Veteris Testamenti veluti aliquod *praesagium*, anticipatio vel signum *futurae incarnationis* a multis Patribus considerabantur. Porro Verbum Dei incarnatum est; ipsum ergo iam in theophaniis apparere credebatur. Ad rem *S. Irenaeus* (*Adv. Haer.*, 4, 20). « Verbum quidem loquebatur Moysi, apparens in conspectu, quemadmodum si quis loquatur ad amicum suum. Moyses vero concupivit manifeste videre eum, qui secum loqueretur et dictum est ei: *Non videbit me homo et vivet;* utraque significans, quoniam et *impotens est homo videre Deum et quoniam per Sapientiam Dei in novissimis temporibus videbit eum homo.* Igitur si neque Moyses vidit Deum, nec Elias nec Ezechiel; quae autem ab his videbantur erant similitudines claritatis Domini et prophetiae futurorum; manifestum est, quoniam Pater quidem invisibilis, de quo et Dominus dixit: *Deum nemo vidit unquam; Verbum autem* eius, quemadmodum volebat ipse et ad utilitatem videntium, *claritatem monstrabat Patris* et dispositiones exponebat ». Denique, *theophaniae*, prout in praesenti oeconomia fiunt, *missionem* includunt. Per hoc autem, ut ait *S. Thomas* (*Summa Theol.*, I, q. 43, a. 1), quod aliquis mittitur, ostenditur processio quaedam missi a mittente. *Missio* igitur divinae personae convenire potest, secundum quod *importat* ex una parte *processionem originis* a mittente et secundum quod importat ex alia parte novum modum existendi in alio ». *Atqui* Deus Pater mitti nequit, quia a nemine procedit, ideoque affirmabatur invisibilis et in theophaniis non apparuisse credebatur.

4. Secundum *Tertullianum* (*Adv. Prax.* 9) Pater est tota substantia divina, Filius *derivatio totius* et *portio*; *Clemens Alex.* (*Stromatum* 7, 2) affirmat: naturam Filii omnipotenti *propinquissimam* fuisse. *Atqui* haec cum vera divinitate Christi vix conciliari possunt. *Ergo* secundum Tertullianum et Clem. Alex. Christus non est Deus.

Resp.: Explico sensum textuum: Tertullianus voluit exprimere hanc veritatem; Patrem principium sine principio esse, veluti fontem divinitatis, in Filio naturam divinam communicatam esse, *C. mai.* Voluit dicere; dumtaxat Patrem vere Deum esse, Filium autem totam divinam naturam non habere, *N. mai. Clem. Alex.* dicit; naturam Filii Deo omnipotenti propinquissimam esse ratione *naturae*, *N. mai.* Ratione *personae* divinae, in qua et cum qua unita erat natura humana Filii, *C. mai. Ctrd. min.*

5. S. *Hippolytus* in *Philosophumenorum* 10, 33 Christo Domino divinitatem sensu improprio tribuit. « Nam *si, deum te voluisset facere, poterat; habes Verbi exemplum;* hominem volens, hominem te fecit; sin vero vis et deus fieri, oboedi ei, qui te fecit ».

Resp.: Difficillime hic textus explicatur et S. Hippolytus hic sibi contradicere videtur, nam statim eodem capite subiungit: « Huius (i. e. Patris) *Verbum solum ex ipso, ideo et Deus, substantia cum sit Dei.* Mundus autem ex nihilo, ideo non Deus. (Cfr. *E. Amann, Saint Hippolyte,* DTC. 6, 2509).

6. Quidam Apologetae ut *Tatianus* (*Orat. Adv. Graec.* 5), *Athenagoras* (*Legat. pro Christ.* 10), S. *Theophilus Antioch.* (*Ad Autol.* 2, 10), *Tertullianus* (*Adv. Prax.* 6 et 7) videntur asserere temporaneam generationem Verbi, nam Verbum tum proferri vel poni dicitur, cum res creantur vel Filius Dei incarnatur. *Atqui* haec evidenter contradicunt aeternitati Verbi. *Ergo* Verbum Dei non est aeternum, proinde non est Deus.

Resp.: Distinguo sensum indicatorum locorum. Ab Apologetis et Patribus *triplex generatio Verbi* distingui solet. Prima generatio *aeterna;* Verbum enim ab aeterno semper est cum Patre et in Patre, semperque generatur, seu est sic dictus λόγος ενδιάθετος. Altera generatio, improprie dicta, consistit in *manifestatione Verbi per creationem* λόγος προφορικός Tertia generatio est *Incarnatio,* quae nativitas perfecta dici solet, in oppositione ad manifestationem Verbi per creationem vel theophanias in V. Testamento.

Iidem Apologetae, qui Verbum Dei in creatione « generari » affirmant; aeternam existentiam Verbi apud Deum ante creationem mundi admittunt atque consubstantialitatem Verbi variis comparationibus illustrare conantur. V. g. *Tatianus, Adv. Graec.* 5 « Natum est autem *per communicationem, non per abscissionem.* Nam quod abscissum est a primo separatur. Quod autem per communicationem progreditur, id eum non imminuit, ex quo desumptum est. Quemadmodum ex una face multi ignes accenduntur, nec tamen primae facis, ob plures accensas faces, lux imminuitur, sic Verbum ex Patris potentia prodiens genitorem Verbi expertem non fecit ». *RJ.* 153. *Athenagoras, Legat. pro Christ.* 10. Dicam breviter (Verbum) primam esse Patris progeniem, non quod factus sit, (*ab aeterno enim Deus habebat in se ipso Verbum,* utpote ab aeterno rationalis), sed quod prodierit. *RJ.* 164. S. *Theophilus, Ad Autol.* 2, 10. Habens igitur Deus suum ipsius Verbum in propriis visceribus insitum *illud cum Sapientia genuit, proferens ante omnia. RJ.* 179

7. *Origenes* in *Periarchon L.* 1 c. 3, n. 5 ait: Arbitror Deum quidem Patrem, cum omnia contineat, ad *unumquodque* entium pervenire. Minor vero Patre Filius ad *sola rationabilia* pervenit; est enim secundus a Patre. Adhuc etiam minor Spiritus Sanctus *ad solos sanctos* pertingit. Ita ex hoc maior est potestas Patris quam Filii et Spiritus Sancti.

Resp.: In explicando textu adducto dissentiunt doctores. S. *Epiphanius* (*Haer.* 64) et S. *Hieronymus* (*Epist.* 124 *ad Avitum*) putant Originem errasse

circa divinitatem Christi. *S. Augustinus* (*De Haeres.* 43) anceps haeret dicitque rem controversam esse. *S. Athanasius* (*De Decret. Nicaen.* 27) Origenem ab hoc errore absolvendum esse censet. Recentiores *Protestantes Liberales* contendunt Origenem maxime insignem subordinatianistam et Arii praecursorem fuisse. Non desunt tamen inter Catholicos, qui non facile evidentissimas contradictiones in Origene admittunt. Iamvero locus citatus, si ad verbum sumitur, evidenter refragatur eis, quae Origenes de consubstantialitate divinarum personarum indubie docuit. Ergo *benigne explicare conantur* verba allata. « Pater dicitur omnia continere et ad omnia pervenire prae Filio et Spiritu Sancto, tum quia in ipsa Trinitate, est principium aliarum personarum, tum quia *Patri per appropriationem solet tribui creatio omnium rerum.* Filius dicitur pervenire ad sola rationalia, quia procedit a Patre tamquam eius Verbum et sic *illi appropriantur, quae pertinent ad rationalia;* et Spiritus Sanctus dicitur *ad solos sanctos pertingere,* quia procedit a Patre et Filio tamquam Amor et *ei appropriantur,* quae spectant ad sanctitatem et amorem Dei ». (Cfr. Muncunill, *De Verbi Divini Incarnatione,* p. 79; A. d'Alès, *Origénisme,* DAFC, 3, 1251).

Cap. 2. — De Humanitate Iesu Christi.

Thes. 3. — Iesus Christus verum corpus humanum atque animam rationalem habet. Corpus e Maria traxit Virgine adeoque est homo verus, qui ex stirpe Adami originem ducit.

S. Th., q. 4, a. 6; q. 5, a. 1-4; q. 31, a. 1-5; *C. Gent.*, 4, 27-33; Suarez, *De Incarnatione, disp.* 15, *sect.* 1-4; De Lugo, *De Incarnatione Dominica, disp.* 13; Stentrup, th. 6-9; Franzelin, th. 10-14; Pesch, th. 2; Billot, th. 14; Otten, th. 8; Galtier, th. 1.

Status Quaestionis.

1° Cum Christus perfectam et indiminutam deitatem habeat, perfectus Deus, Patri consubstantialis, ut ex thesi 1ª constat, credendus est. Porro affirmamus: Iesum, *praeter divinam naturam,* etiam *humanam* habere, cum verum corpus humanum veramque animam rationalem possideat. Et quoniam corpus Christi in Virginis Mariae visceribus formatum fuit, Iesus e progenie Adami originem ducit, adeoque, qua verus homo, nobis

consubstantialis dici debet. *Existentia verae humanitatis* in Christo non polemice, sed *theologice* probabitur. Non polemice, quia adversarii proprii humanitatis Dominicae non existunt; nisi forte his ultra-radicales Rationalistas: ut *Volney, Dupius, Van den Bergh van Eysinga, Jensen, Jeremias, Drews, Salomon Reinach, J. Mackinnon Robertson, W. B. Smith, R. Seydel, R. Steck, Couchoud, R. Steiner* et consimiles *Theosophos* adnumerare velis. Simpliciter enim existentiam historicam Christi vel in dubium vocant vel negant anilesque fabulas garriendo, Iesum aliquem *mythum astralem* aut *reincarnationem* antiquorum « *deorum* » (Marduck, Kirschna, Adonis, Buddha, Zarathustra) fuisse dictitant. Verum hercle! haec plus quam somnia incohaerentia censentur, ut ex Apologetica patet ([1]). Quare existentiam historicam Iesu supponendo, *veritatem* atque *realitatem naturae humanae* Verbi incarnati theologice demonstrabimus; hanc enim et dogma unionis hypostaticae et dogma nostrae redemptionis requirit.

2° *Affirmamus* ergo in thesi: Christum verum perfectumque hominem fuisse, nobis consubstantialem. Iam vero verus homo ille dicitur, cui nulla partium humanae naturae constitutivarum deest. Atqui natura humana in concreto tum corpore tum anima rationali constituitur. Ergo Christus, ut verus homo credi possit, anima rationali et corpore praeditus sit oportet. Quia autem Servator noster per assumptionem carnis ex progenie Adamitica nostrum genus redemisse creditur, ideo haec provenientia Iesu ex stirpe Adam pariter demonstranda est.

3° Qui veram et realem humanitatem Verbi incarnati olim inficiarentur, haud pauci fuere: *Docetae* scl., *Priscillianistae et Apollinaristae*, Docetae seu Phantasiastae dumtaxat aliquod *corpus apparens* (δοκέω) et phantasticum Christo Domino tribuebant. Ut dux pracit docetis *Basilides* gnosticus, qui veritatem corporis Christi negando, non Iesum, sed loco eius

---

([1]) Cfr. Oskar Graber, *Im Kampfe um Christus. Eine Ueberprüfung der Angriffe des A. Drews gegen geschichtliche Existenz Jesu.* Graz 1927; Coguel, *Jésus de Nazareth, Mythe ou histoire?* Paris 1925.

Simonen Cyraeneum flagellatum et crucifixum fuisse asseverabat. Ille faciem suam in hanc Simonis mutavit, ideoque apparenter tantum cruciabatur. Errores Basilidis *Marcion* divulgavit et aliquantulum attemperavit ([1]).

Valentinus, gnosticus haud ignobilis, aliquod *corpus reale* in Christo agnovit, verum illud *e caelis delapsum* et aethereum esse affirmabat. Christus proinde per Mariam velut aqua per canalem pertransiit, carnem ex virginalibus visceribus non trahendo.

Manichaei et Priscillianistae in Hispania (saec. IV), quoniam materiam principium mali esse putabant, consequenter corpus reale in Christo admittere refragabantur ([2]).

Ariani non solum in eo a recta fide deviarunt, quod consubstantialitatem Verbi negabant, sed etiam in eo errarunt, quod in Incarnatione dumtaxat corpus *absque anima rationali* a Verbo assumptum fuisse docebant. Appollinaris episcopus Laodicensis, quamvis divinitatis Verbi strenuus defensor extiterit, tamen simul cum Arianis animam rationalem a Christo relegavit. Triplex principium (« *trichotomiam* ») hominis constitutivum commentus est: videlicet corpus, animam sensitivam et animam intellectivam. Verbum tum corpus tum animam sensitivam sibi coniunxit; *vice animae rationalis ipsum Verbum fungebatur* ([3]).

4° *Quatuor in thesi affirmamus*: *a*) Christus *verum*, *reale*, non apparens, non simulatum *corpus* habet (contra Docetas, Manichaeos, Priscillianistas). *b*) *Anima rationali*, corpus informan-

---

([1]) Cfr. G. Bareille, *Docétisme*, DTC. 4, 1484-1501; Steffes, *Das Wesen des Gnostizismus*, p. 293-295; E. Amann, *Marcion*, DTC. 9, 2009-2032.

([2]) E. Ch. Babut, *Priscillien et le priscillianisme*, Paris 1909; A. Puech, *Les origines du Priscillianisme*, « Bulletin d'ancienne littérature et d'archéologie chrétienne », 1912, p. 81 seq.; 161 seq.; G. Bardy, *Manichéisme*, DTC. 9, 1841 seq.; Cayré, *Précis de Patrologie*, p. 591 seq.

([3]) Cfr. G. Voisin, *L'Apollinarisme*, Louvain 1901, p. 168 seq.; 272 seq.; H. Lietzmann, *Apollinaris von Laodikeia und seine Schule*, Tübingen 1904; D'Alès, *Apollinaire, Les origines du monophysisme*, « Rev. Apol » 1926, p. 131; Cayré, *Op. Cit.*, p. 436 seq.

te, non est destitutus (contra Arianos et Apollinaristas). *c*) Quare est *verus homo;* ad rationem perfectae humanitatis quod spectat, non deest Christo quidquam. *d*) Quia autem corpus Christi non mirabiliter de astris delapsum est, sed in visceribus Mariae Virginis conceptum, novemque decursis mensibus, formatum fuit in utero Deigenitricis, ideo Iesus *nobis quoque est consubstantialis.* Thesis quoad omnia et singula asserta *definita est*.

PROBATUR THESIS.

Pars I. — Christus verum corpus habet.

ARG. 1. (E SYMBOLIS FIDEI). — *Libellus in modum symboli*: Dominum nostrum Iesum Christum *nec imaginarium corpus aut phantasmatis alicuius in eo fuisse, sed solidum ac verum*; hunc et esuriisse et sitiisse, et doluisse et flevisse et omnes corporis iniurias pertulisse (credimus) *DB*. 20.

Symb. Leonis IX (a. 1053): Dei Patris Filium... temporaliter natum de Spiritu Sancto ex Maria semper Virgine, *cum anima rationali;* Deum verum et *hominem verum*: proprium *in utraque natura* atque *perfectum*: non commixtionem atque divisionem passum, *neque phantasticum*... in humanitate pro nobis et pro nostra salute passum *vera carnis passione*, propter quam confirmandam cum discipulis, nulla indigentia cibi comedisse. *DB*. 344.

Professio fidei Waldensibus praescripta (ab Innocentio III, a. 1208). Patris Filius in humanitate hominis filius, *homo verus ex matre, veram carnem habens ex visceribus matris et animam rationabilem*, simul utriusque naturae, id est Deus et homo... natus ex Virgine Maria *vera carnis nativitate*, manducavit, bibit, dormivit et fatigatus ex itinere quievit, passus vera carnis suae passione, mortuus vera corporis sui morte, et resurrexit vera carnis suae resurrectione et vera animae ad corpus resumptione. *DB*. 422.

Professio fidei Michaelis Palaeologi (a. 1267). Filium Dei... temporaliter *natum* de Spiritu Sancto et *Maria semper Virgine*.

cum anima rationali; duas habentem nativitates, unam ex Patre nativitatem aeternam, alteram *ex matre temporalem*: Deum, verum et *hominem verum, proprium in utraque natura* atque *perfectum, nec phantasticum,* sed unum et unicum Filium Dei, in duabus et ex duabus naturis, divina scl. et humana. *DB.* 462.

Conc. Viennense (1311-1312). Confitemur Dei Filium... *partes nostrae naturae simul unitas,* ex quibus ipse in se verus Deus existens *fieret verus homo, humanum* videlicet *corpus passibile* et *animam intellectivam seu rationalem, ipsum corpus vere per se et essentialiter* informantem, assumpsisse ex tempore *in virginali thalamo* ad unitatem suae hypostasis seu personae. *DB.* 480.

Decretum pro Iacobitis (a. 1441). Ecclesia... *anathematizat Manichaeum* cum sectatoribus suis, *qui Dei Filium non verum corpus, sed phantasticum sumpsisse* somniantes, *humanitatis in Christo veritatem sustulerunt. DB.* 710.

Arg. 2. (E S. Scripturis). — *Ioan.* 1, 14. *Et Verbum caro factum est.* Σάρξ « *hominem carne praeditum* » significat. I. *Ioan.* 4, 2. *Omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est.* II. *Ioan.* 7. Multi seductores exierunt in mundum, *qui non confitentur Iesum Christum venisse in carnem*: *hic est seductor et antichristus* (subintellige, qui id affirmaverit). *Paulus* annuntiat evangelium Filii Dei, *qui factus est ei* (Patri) *ex semine David secundum carnem. Rom.* 1, 3. Israelitae gens electa erant, *ex quibus est Christus secundum carnem. Rom.* 9, 5.

Postquam a nativitate dies octo consummati sunt, puer Iesus *circumciditur* (*Lc.* 2, 21). *Atqui* nonnisi verum corpus circumcidi potest. *Iudaei* quoque confirmant Christum verum corpus habuisse. Nam, cum Iesus carnem in cibum et sanguinem in potum se daturum promisit, scandalizati exclamarunt: *Durus est hic sermo et quis potest eum audire?* (*Ioan.* 6, 60).

Ipse Dominus in ultima coena asserit: se corpus in passionem et sanguinem in effusionem tradere. *Lc.* 22, 19: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Mt.* 26, 28: *Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur.* Post resurrectionem suam discipulos haesitantes, spectrumne aliquod

phantasticum viderent an spiritum, sic alloquitur: *Videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum; palpate et videte: quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Adhuc autem illis non credentibus et mirantibus prae gaudio, dixit: Habetis hic aliquid, quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis. *Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. Lc.* 24, 39-44. Quia Thomas cum obstinata incredulitate repetebat: — *Nisi videro in manibus eius fixuram clavorum et mittam digitum meum in locum clavorum et mittam manum meam in latus eius,* non credam, — Iesus, apparens Apostolis, dicit Thomae: *Infer digitum tuum huc et vide manus meas et affer manum tuam et mitte in latus meum. Ioan.* 20, 25-27.

Denique *universim*, si Christus reale et humanum corpus non haberet, magna pars evangeliorum nec divinam nec humanam fidem faceret atque mereretur. Nam in evangeliis eiusmodi facta narrantur, quae *nonnisi in suppositione obiectivi et humani corporis* Iesu revera evenire poterant. Christus enim, post novem menses gestationis in utero Virginis, nascitur, pannis involvitur, crescit aetate, ieiunat, esurit, fatigatur ex itinere, dormit, flet, tristatur, gaudet, sanguinem prae angustia in horto emittit, flagellatur, spinis coronatur, alapis caeditur, conspuitur, clavis cruci affigitur, emortui corpus lancaea perfoditur, sindone involutum tumulatur. Quae si fictitie atque apparenter gesta sunt, corruit evangeliorum fides!

Arg. 3. (E ratione convenientiae). — Iesus Christus verum corpus habet, si *congruebat, ut Servator* noster *naturam humanam et non aliam assumeret. Atqui* congruebat, ut Servator noster naturam humanam et non aliam assumeret. *Ergo* Iesus Christus verum corpus habet.

Ad Mai. Corpus verum est pars constitutiva naturae humanae. Si igitur conveniebat, ut Christus naturam humanam prae alia natura assumeret, Iesus etiam verum corpus assumpsit (Cfr. *S. Th.*, III, q. 5, a. 1).

Prob. Min. Natura *humana magis assumptibilis* est quam natura inanimata vel bruti; « quia humana natura, inquantum est rationalis et intellectualis, *nata est attingere aliqualiter ipsum Verbum per suam operationem*, cognoscendo scilicet et amando ipsum » (*S. Th.*, q. 4, a. 1). Magisque est assumptibilis quam angelica, quia natura humana reparatione eget. Igitur « creaturae *irrationali deest congruitas dignitatis; naturae* autem *angelicae deest congruitas praedictae necessitatis;* unde relinquitur, quod sola natura humana sit assumptibilis » (*S. Th.*, q. 4, a. 1).

Pars II. — Christus animam quoque rationalem possidet.

Arg. 1. (E symbolis fidei). — *Libellus in modum symboli*: Si quis dixerit vel crediderit, *carnem tantum sine anima* a Filio Dei fuisse susceptam, A. S. *DB.* 25.

Conc. Rom. (a. 380). Anathematizamus eos, *qui pro hominis anima rationabili et intelligibili dicunt Verbum Dei in humana carne versatum*, cum ipse Filius sit Verbum Dei et non pro anima rationabili et intelligibili in suo corpore fuerit; sed *nostram, id est rationabilem et intelligibilem*, sine peccato *animam susceperit* atque salvaverit. *DB.* 65.

Conc. Constpt. II (a. 553) *Can.* 4. Qui non confitetur unitatem Dei Verbi *ad carnem animatam anima rationabili et intellectuali*, secundum compositionem sive secundum subsistentiam factam esse, sicut sancti Patres docuerunt, talis A. S. *DB.* 216.

Conc. Later I (a. 649) *Can.* 2. Si quis non confitetur Deum Verbum... hominem factum, crucifixum carne, et venturum iterum cum gloria paterna *cum assumpta ab eo atque animata intellectualiter carne eius*, condemnatus sit. *DB.* 255.

Conc. Tolet. XI (a. 675). Ita *Verbum caro factum est*, ut *non tantum ibi* sit Verbum Dei et *hominis caro, sed etiam rationalis hominis anima;* atque hoc totum et Deus dicatur propter Deum et homo propter hominem. *DB.* 283 (cfr. *DB.* 344).

Prop. damnata ab Alexandro III (a. 1177). Cum Christus perfectus Deus perfectus sit homo, mirum est, qua temeritate quisquam audet dicere, quod « Christus non sit ali-

quid secundum quod homo » (1). Ne autem tanta possit in Ecclesia Dei abusio suboriri, auctoritate nostra *sub anathemate interdicas*, ne quis (id) de cetero dicere audeat..., quia sicut verus Deus, ita *Verus est homo ex anima rationali et humana carne subsistens*. *DB*. 393 (cfr. *DB*. 422).

Conc. Later IV (a. 1215). Iesus Christus ex Maria semper Virgine Spiritus Sancti cooperatione conceptus, *verus homo factus, ex anima rationali et humana carne compositus*, una in duabus naturis persona. *DB*. 429 (cfr. *DB*. 462. 480).

Decret. pro Iacobitis (a. 1441). Ecclesia anathematizat... *Arium* etiam, qui asserens corpus ex Virgine assumptum *animae caruisse*, voluit loco animae fuisse deitatem. *Apollinarem* quoque qui intelligens, si anima corpus informans negetur in Christo, humanitatem veram ibidem non fuisse, *solam posuit animam sensitivam*, sed deitatem Verbi vicem rationalis animae tenuisse. *DB*. 710.

Arg. 2. (E S. Scripturis). — *a*) *Iesus ipse fomaliter implicite dixit*: *se animam rationalem habere*. *Ioan*. 12, 27: *Nunc anima mea turbata est*, (videns incredulitatem Iudaeorum). *Mt*. 26, 38: *Tristis est anima mea usque ad mortem*. *Lc*. 23, 46: Et clamans voce magna Iesus ait: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* (2).

b) Testantibus Scripturis N. T. Christus eiusmodi actus elicuit, qui animam rationalem ut suum principium supponunt: v. g. proficere in sapientia, orare, actus oboedientiae libere exercere. *Atqui* Christus proficiebat *in sapientia* et *gratia* (*Lc*. 2, 52), crebro ad Patrem suum preces fundebat (*Mt*. 26, 39-40, 42-45: *Lc*. 22, 42; *Ioan*. 11, 42-43; 12, 27; 17, 1-26; *Hebr*. 5, 7-8), actus oboedientiae libere exercuit (*Ioan*. 4, 34; 10, 17-19; 17, 4; *Lc*. 22, 42; *Phil*. 2, 8-11; *Hebr*. 5, 8; 12, 2). *Ergo* Christus animam rationalem habet.

---

(1) Haec sententia a *Petro Lombardo* ita proposita erat, ut ambiguum maneret, utrum illam ipse approbaret nec ne.

(2) Cfr. *Mt*. 27, 50: Clamans voce magna *emisit spiritum*; *Ioan*. 19, 30: Et inclinato capite *tradidit spiritum*.

Arg. 3. (E rationibus theologicis). — *a*) Anima rationalis *vere, per se* et *essentialiter corpus humanum informat*, secundum definitionem Conc. Viennensis. *DB*. 480. 481. *Atqui* Verbum Dei vere, per se et essentialiter corpus humanum informare non potuit. Nam forma vera et propria in materia, ut in potentia subiectiva, dum recipitur, per hanc limitatur. Divinitas autem nullo modo limitari potuit. *Ergo* Verbum Dei vices animae rationalis, quatenus est forma corporis, supplere non potuit; proinde Christus habet animam rationalem.

b) Si Christus animam rationalem non haberet, etiam carnem humanam non possideret. Ex documentis vero fidei constat Christum carnem humanam habuisse. *Antecedens* sic *Doctor Angelicus* probat: « Cum *corpus proportionetur animae*, sicut materia propriae formae, *non est vera caro humana, quae non est perfecta anima humana* scl. *rationali*: et ideo si Christus animam sine mente habuisset, non habuisset veram carnem humanam, sed bestialem; quia *per solam mentem anima nostra differt ab anima bestiali* » (S. *Th.*, q. 5, a. 4). « *Caro* enim et caeterae partes hominis *per animam speciem sortiuntur*; unde, recedente anima, non est os aut caro, nisi aequivoce » (*S. Th.*, q. 5, a. 3).

c) Christus, teste S. Scriptura, quandoque *mirabatur* (*Mt.* 8, 10; 15, 28; *Lc.* 7, 9). *Atqui admiratio animam rationalem* supponit et requirit; « quia importat, ut ait S. *Thomas* collationem effectus ad causam; dum scilicet aliquis videt effectum cuius causam ignorat et quaerit » (S. *Th.*, q. 5, a. 4).

d) Defectus animae rationalis in Christo *impediret consecutionem finis* Incarnationis Verbi, qui « est iustificatio hominis a peccato: *anima enim humana non est capax peccati, nec gratiae iustificantis, nisi per mentem;* unde oportuit mentem humanam assumi ». Dicit *Damascenus* (*L.* 3, *Orthod. Fid.* 6) quod « Dei Verbum assumpsit corpus et animam intellectualem et rationalem » et postea subdit: « Totus toti unitus est, *ut toti mihi salutem largiretur; quod enim inassumptum est, incurabile est* » (*S. Th.*, q. 5, a. 4).

Pars III. — Christus est homo verus, in ratione naturae humanae perfectus.

Arg. 1. (E Symbolis fidei). — *Symbolum Epiphanii*: Et incarnatus est, hoc est, *ex Maria semper Virgine per Spiritum Sanctum perfecte genitus, homo factus est*, id est *perfectum assumpsit hominem, animam et corpus et mentem et omne quidquid homo est. DB.* 13.

Symbolum « Quicumque »: Deus est ex substantia Patris ante saecula genitus et *homo est* ex substantia matris in saeculo natus: perfectus Deus, *perfectus homo*, ex anima rationali et humana carne subsistens. *DB.* 40.

Ex Ep. Dogm. S. Leonis M. (a. 449): *In integra veri hominis perfectaque natura* verus natus est Deus, totus in suis, totus in nostris. Qui enim verus est Deus, idem *verus est homo* et nullum est in hac unitate mendacium, dum invicem sunt et humilitas hominis et altitudo Deitatis. *DB.* 143. 144.

Conc. Chalced. (a. 451). Docemus Christum... perfectum in deitate et eundem *perfectum in humanitate*, Deum verum, et *hominem verum, eundem ex anima rationali et corpore*, consubstantialem Patri secundum deitatem, *consubstantialem nobis* eundem secundum humanitatem, *per omnia nobis, similem, absque peccato. DB.* 148. (Cfr. *DB.* 255).

Conc. Tolet. XI. De tribus personis solam Filii personam pro liberatione humani generis *hominem verum* sine peccato *de sancta et immaculata Maria Virgine* credimus assumpsisse. Unde perfectus Deus, *perfectus et homo* in unitate personae unius est Christus. *DB.* 282. 283.

Conc. Constpt. III (a. 680-681). Definientes confiteri Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum nostrum, perfectum in Deitate et *perfectum eundem in humanitate*, Deum vere et *hominem vere, eundem ex anima rationali et corpore*, consubstantialem Patri secundum deitatem et *consubstantialem nobis secundum humanitatem DB.* 290. (Cfr. *DB.* 344, 393. 422, 429, 462, 480).

Decret pro Iacob. Firmiter credit (ecclesia) verum Deum,

Dei Filium propter salutem humani generis *veram hominis integramque naturam ex immaculato utero Mariae Virginis assumsisse. DB.* 708.

Arg. (E S. Scripturis). — *a*) *Christus* confessus est: se esse hominem. *Ioan.* 8, 40: *Nunc autem quaeritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum. b*) *Paulus* testatur Christum esse hominem. *Rom.* 5, 11: Si enim unius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei et *donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit.* I *Tim.* 2, 5: *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Iesus. c*) *Generatim* si Christus homo verus non esset, evangeliorum fides subnervaretur et pessum iret. *Evangelia* enim *exhibent nobis Christum ut verum hominem,* qui conceptus, natus, circumcisus est. Christus ut homo verus, caeteris simillimus dicitur: crevisse, ambulasse, manducasse, ieiunasse, esuriisse, dormisse, flevisse. Nunc tristem, nunc hilarem, nunc fortem, nunc defessum; passum, mortuum, sepultum eum videmus. *Atqui* si haec merae tantum apparentiae, pura putaque phantasmata fuere; phantasma quoque est Christi divinitas, resurrectio, redemptio; phantasma totus ordo supernaturalis a Christo institutus! Ex eodem testimonio Librorum Sacrorum fides nostra in divinitatem et in humanitatem Christi pullulavit. Si hic non valet, nec illud!

Pars IV. — Humanitas Christi in utero Mariae formata est.

Arg. *1.* (E Symbolis fidei). — *Symb. Apost.* (*forma Romana*). Et in Iesu Christo, *qui natus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine DB.* 2; *qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine. DB.* 6; *Forma Cyril. Hieros.* Σαρκωθέντα (ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς παρθένου) καὶ ἐνανθρωπήσαντα *DB.* 9.

Symb. Epiphan. Et incarnatus est, hoc est, ex Maria semper Virgine per Spiritum Sanctum *perfecte genitus, homo factus est. DB.* 13; (Cfr. *DB.* 40).

Epist. Dogm. S. Leonis M. Nova autem nativitate generatus, quia inviolata virginitas concupiscentiam nescivit, *carnis mate-*

riam ministravit. Assumpta est de matre Domini natura, non culpa: nec in Domino Iesu Christo, ex utero virginis genito, quia nativitas est mirabilis, ideo nostri est natura dissimilis. DB. 144.

Conc. Chalced. Confiteri docemus Iesum Christum... ante saecula quidem de Patre *genitum* secundum deitatem, *in novissimis* autem *diebus eundem propter nos* et propter nostram salutem *ex Maria virgine, Dei genitrice, secundum humanitatem. DB.* 148.

Conc. Tolet. XI. Ambae in illo generationes mirabiles, quia de Patre sine matre ante saecula genitus est et in fine saeculorum *de matre sine patre est generatus;* qui tamen secundum quod Deus est, creavit Mariam, *secundum quod homo, creatus est a Maria*: ipse et pater matris et Mariae filius. *DB.* 285; (Cfr. *DB.* 290, 422, 462, 480).

Decret. pro Iacob. Firmiter credit, profitetur et praedicat, Dei Filium *in assumpta humanitate ex Virgine vere natum. Anathematizat autem,* exsecratur et damnat... *Valentinum asserentem Dei Filium nihil de Virgine Matre cepisse,* sed corpus caeleste sumpsisse, atque ita transisse per uterum Virginis, sicut per aquaeductum defluens aqua transcurrit. *DB.* 709, 710.

Arg. 2. (E S. Scripturis). — *a*) *Ab Angelo* nuntiatur fore, ut Filius Dei *in utero Virginis concipiatur* et per eam generetur. *Lc.* 1, 31, 35: Ne timeas Maria... *ecce concipies in utero et paries filium* et vocabis nomen eius Iesum. *Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te* Sanctum, vocabitur Filius Dei. *Elizabeth* Spiritu Sancto repleta Iesum in utero Mariae latentem « *fructum ventris* » appellat. *Lc.* 1, 42: Et repleta est Spiritu Sancto Elizabeth et exclamavit voce magna et dixit: *Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui.*

b) *Evolutionem infantis in utero* Virginis et *nativitatem* Matthaeus et Lucas minutatim narrant. *Mt.* 1, 18-23: Christi autem *Generatio* sic erat: Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam conveniret, *inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.* Ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens:

Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: *quod enim in ea natum est*, de Spiritu Sancto est. *Pariet autem filium* et vocabis nomen eius Iesum. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: *Ecce Virgo in utero habebit et pariet filium. Lc.* 2, 5-8: Ascendit autem et Ioseph a Galilea, ut profiteretur *cum Maria desponsata sibi uxore praegnante. Factum est autem*, cum essent ibi, *impleti sunt dies ut pareret. Et peperit filium suum primogenitum et pannis eum involvit et reclinavit eum in praesepio.*

c) Tum *Matthaeus* (1, 1-16) tum *Lucas* (3, 23-38) *genealogiam Iesu* ab Abraham ad David et Adam delineaverunt. Iamvero, si Christus e Maria Virgine carnem non traxisset, utraque genealogia falsum figmentum esset ([1]).

d) Denique *Actus Apostolorum* et S. *Paulus* diserte docent: Christum *ex genere David et Abraham* originem ducere; quod nullomodo verum esset, nisi Iesus ex utero Mariae carnem humanam traxisset. *Deus ex semine* (David) *secundum promissionem eduxit Israel salvatorem Iesum* (*Act.* 13, 23). *Qui factus est ex semine David* secundum carnem (*Rom.* 1, 3) *Abrahae dictae sunt promissiones et semini eius.* Non dicit: Et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno: *Et semini tuo, qui est Christus* (*Gal.* 3, 16, cfr. II, Tim. 2, 8). Quia ergo pueri communicaverunt *carni et sanguini et ipse similiter participavit eisdem*. Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit (*Hebr.* 2, 14, 16). Postremo, ad excludenda quaevis dubia Paulus ait: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege* (*Gal.* 4, 4).

Arg. 3. (E ratione theologica). — *a*) Secundum fidei catholicae dogma solemniter definitum Maria Virgo *vera et propria est Dei genitrix. Atqui* nisi caro Christi in utero Virginis formata

([1]) Utrum apud S. *Matth.* genealogia Ioseph et apud Lucam genealogia Mariae texatur exegetae explicant. Cfr. Vogt, *Stammbaum Christi*, Freiburg 1907; F. M. Heer, *Die Stammbäume Christi*, Freiburg 1910; Hetzenauer, *De genealogia Christi secundum Matthaeum et Lucam*, Romae 1922.

et evoluta fuisset e purissimo sanguine Mariae, haec dumtaxat *metaphorice* Deigenitrix dici posset. *Ergo* caro humana Christi e Maria ortum ducit ([1]). *b*) Christus, e Maria vere nascendo, de progenie adamitica humanitatem assumpsit; quod et *iustitia et potentia divina et dignitas humana requirebat.* « Poterat, inquit S. *Thomas*, Deus hominem aliunde suscipere, non de genere istius Adae, qui suo peccato obligavit genus humanum: sed melius iudicavit, ut de ipso, quod victum fuerat genere, assumeret hominem Deus, per quem generis humani vinceret inimicum; et hoc propter *tria*: *primo* quidem, quia *hoc videtur ad iustitiam pertinere, ut ille satisfaciat, qui peccavit*; et ideo de natura per peccatum corrupta debuit assumi id, per quod satisfactio erat implenda pro tota natura: *secundo*, quia *hoc pertinet ad maiorem hominis dignitatem*, dum ex illo genere *victor diaboli* nascitur, *quod per diabolum fuerat victum; tertio*, quia per hoc etiam Dei potentia magis ostenditur, dum de *natura corrupta et infirma* assumpit id, *quod in tantam virtutem et dignitatem est promotum* ». (S. *Th.*, q. 4, a. 6).

Arg 4. (E doctrina Patrum).

Nota: 1° Hoc argumento omnes partes thesis comprobantur. Ideo autem communiter demonstrantur, quia plerumque in iisdem testimoniis Patrum, (quae adducentur) quatuor asserta nostrae theseos inveniuntur. Vel igitur dicta Patrum secari et discerpi vel eadem ter aut quater repeti deberent.

2° Existentiam humanitatis perfectae in Christo Iesu, quippe quae dogma sit capitale in doctrina christiana, Patres tam frequenter profitentur, ut vix possibile sit omnium testimonia afferre. Quare *a*) quaedam classica et thetica dicta antiquissimorum seligemus; *b*) insuper rationes, quibus Patres humanitatem demonstrabant, indicabimus.

([1]) Cfr. Clement C. SS. R., *Le sens chrétien et la maternité divine de Marie au* 4e *et* 5e *siècles de l'église*. Bruges 1929.

A) Thetica Asserta Patrum.

S. Ignatius Antioch. *Ep. ad Ephes.* 18, 2. Deus noster Iesus Christus *in utero gestatus est* a Maria iuxta dispensationem Dei *ex semine* quidem *David*, Spiritu autem Sancto. *RJ.* 42. *Ephes.* 20, 2. Convenitis in una fide et in uno Iesu Christo, *qui secundum carnem ex genere David, filius est hominis* et Filius Dei. *RJ.* 43; (cfr. *RJ.* 39). *Ep. ad Smyrn.* 2. Omnia autem haec passus est propter nos, ut salutem consequeremur; et *vere passus est, ut et vere seipsum resuscitavit; non*, ut quidam infideles dicunt, *secundum apparentiam eum passum esse*, ipsi secundum apparentiam existentes; et quemadmodum sapiunt, sic et continget iis, quippe qui sint sine corpore et instar daemoniorum. *Ibid.* c. 3, 1, 2. Ego enim *scio et post resurrectionem eum in carne fuisse et credo eum in carne adhuc esse.* Et quando ad Petrum et socios eius venit, dixit iis: *Apprehendite, palpate me et videte, quod non sim daemonium incorporale.* Et confestim eum tetigerunt et crediderunt... Post resurrectionem autem cum illis *comedit et bibit ut carnalis*, quamvis spiritu aliter unitus esset Patri. *RJ.* 63; (Cfr. *RJ.* 62). *Ep. ad. Tral.* 9, 1 Obturate igitur aures vestras, cum vobis quispiam loquitur sine Iesu Christo, *qui ex genere David, qui ex Maria, qui vere natus est, edit et bibit*, vere persecutionem *passus est* sub Pontio Pilato, *vere crucifixus et mortuus est. RJ.* 51.

S. Iustinus, *Dial. c. Tryph.* 100. Agnoscimus Iesum et *patriarcharum filium, ut qui ex Virgine, ab eis orta, caro factus, informis homo et inglorius et perpessionibus obnoxius* fieri voluerit. *Ibid.* 105 quod autem *precatur animam suam a gladio liberari* et ex ore leonis et de manu carnis liberari. precatio erat, ut ne quis ipsius animae dominaretur; ut cum nos ad exitum vitae venimus, idem a Deo poscamus, qui impudentem omnem et malum angelum avertere potest, ne animam nostram capiat. *MG.* 6, 710 B, 722 A.

S. Melito Sardensis, *Fragm.* 7. Non est necessarium his, quos ratio non fugit, ex actionibus Christi post baptismum adstruere et demonstrare *animae et corporis eius et humanae naturae, nobiscum convenientis, veritatem et ab omni fictione remotionem.* Cum enim idem Deus simul et *homo perfectus esset, duas naturas suas nobis patefecit*: divinitatem quidem per miracula triennio isto post baptismum patrata, humanitatem vero suam triginta illis annis baptismum antegressis, quibus carnis vilitas tegebat et abscondebat divinitatis signa, tametsi Deus verus esset et sempiternus. *RJ.* 189.

S. Irenaeus, *Adv. Haer.*, 3, 9, 3. Neque alius quidem Christus, alius Iesus; sed *Verbum Dei*, qui est Salvator omnium, *assumpsit carnem* et unctus est a Patre Spiritu, Iesus Christus factus est; sicut et Isaias dicit: *Exiet virga de radice Iesse et flos de radice eius ascendet et requiescet super illum Spiritus Dei* (*Isai.* 11, 1). *Nam secundum id, quod Verbum Dei homo erat. ex radice Iesse et filius Abrahae*, secundum hoc requiescebat Spiritus Dei super eum. *MG.* 7, 871 A-C.

Tertullianus, *De Carne Christi*, 11. Non poterat Christus inter homines, nisi homo videri. Redde igitur Christo fidem suam, ut *qui homo voluerit incedere, animam quoque humanae conditionis ostenderit*, non faciens eam carnem sed *induens eam carne. ML.* 2, 774 C. *Ibidem cap.* 16. *In similitudine*, inquit, *carnis peccati* (*Rom.* 8, 3) fuisse Christum. *Non quod similitudinem carnis acceperit, quasi imaginem corporis et non veritatem*; sed similitudinem peccatricis carnis vult intelligi; quod ipsa non peccatrix caro Christi, eius fuit par, cuius erat peccatum, *genere, non vitio Adae. RJ.* 357.

S. Hippolytus, *De Antichristo*, 3. Dei Verbum, cum esset carnis expers, *sanctam carnem ex sancta Virgine induit*, tamquam sponsus sibi ipsi in crucis patibulo vestem contexens: quo nimirum *mortale corpus nostrum* suae adunando virtuti et corruptibile incorruptibili, infirmum firmo miscens, homini, qui perierat salutem praestaret. Textores artifices (sunt) *patriarchae et prophetae, pulchrum Christo contexentes poderem ac perfectam tunicam*, per quas Verbum pervadens radiorum more illarum opere contexit ea, quae vult Pater. *RJ.* 389. *Contra Haeres. Noëti*, 17. Credamus igitur, dilecti fratres, secundum traditionem Apostolorum, quod Deus Verbum e caelis descendit in sanctam virginem Mariam, ut *ex ea incarnatus, sumpta anima humana*, rationis, inquam, participe, *factus omnia quaecumque homo est*, excepto peccato, salvaret eum, qui ceciderat. Sicut igitur praedicatus est, sic praesens manifestum fecit *ex virgine* et Spiritu Sancto *novus homo factus est*, habens caeleste, quod paternum erat, tamquam Verbum; *terrenum vero tamquam ex vetere Adam, per Virginem incarnatus*. Sic in mundum egressus *Deus in corpore apparuit, egressus perfectus homo. Non* enim *per fictionem* aut mutationem, *sed vere factus est homo. RJ.* 394.

Origines, *Contra Cels.*, 1, 69. Iesus in hac vita *corpus humanum suscepit, quae e femina suscipere poterat*, illudque morti humanae obnoxium. *C Cels.* 3, 25. Quod enim *ex Virgine natus est, id corpus erat, ex humana materia constans* et quod humanis vulneribus esset mortique obnoxium. *MG.* 11, 790 A. 951 A; *De Princ.* 4, 31 Volens igitur Filius Dei pro salute generis humani apparere hominibus et inter homines conversari, *suscepit non solum corpus humanum*, ut quidam putant, *sed et animam, nostrarum* quidem *animarum similem per naturam*, proposito vero et virtute similem sibi. *MG.* 11, 405 B. (Cfr. *RJ.* 460, 461).

S. Athanasius, *De Sent. Dionysii*, 9. *In principio* quidem *erat Verbum*; virgo autem circa consummationem saeculorum *in utero habuit, Dominusque homo factus est*. Atque unus quidem est, qui duabus illis sententiis indicatur, nam *Verbum caro factum est*. Quae porro de divinitate et de humanitate eius dicta sunt, propriam et unicuique, de quo agitur, congruentem habent interpretationem, ita ut, qui humana Verbi scribit, eius quoque divinitatem agnoscat: et qui de divinitate loquitur, minime sit ignarus eorum, quae ad carnalem eius adventum spectant. *RJ.* 759. *De Incarnatione Verbi C. Ar.*, 8. Idcirco *Filius Dei filius hominis factus est*, ut filii hominis, hoc est

Adae, filii Dei efficiantur. Quod enim desuper ex Patre Verbum genitum est, ipsum *in tempore inferius generatur ex virgine* Deipara Maria. *RJ.* 788.

S. Hilarius Pictav., *De Trinit.* 9, 3. Nescit plane vitam suam, nescit, qui *Christum Iesum* ut verum Deum ita *et verum* hominem ignorat. *Et eiusdem periculi res est* Christum Iesum vel Spiritum Deum vel *carnem nostri corporis denegare.* Haec itaque humanae beatitudinis fides vera est, Deum *et hominem praedicare,* Verbum *et carnem confiteri,* neque Deum nescire, quod homo sit, neque carnem ignorare, quod Verbum sit. *RJ.* 873; *De Trinit.* 10, 22. Sed ut per se (Dei Filius) *sibi assumpsit ex virgine corpus, ita ex se sibi animam assumpsit,* quae utique numquam ab homine gignentium originibus praebetur. *RJ.* 875; (Cfr. *RJ.* 876, 890). Missa facimus testimonia S. Greg. Naz., *RJ.* 995, 1018; Didymi Alex., *RJ.* 1076; S. Epiphanii, *RJ.* 1083, 1086; S. Ambrosii, *RJ.* 1254, 1288, 1289.

Cronidis instar S. Augustini, *Sermo* 174, 2, 2. Novimus et tenemus *mediatorem Dei et hominum, hominem Iesum Christum,* in quantum homo erat, eius esse naturae, cuius et nos sumus. *Non enim alterius naturae caro nostra et caro illius,* nec alterius naturae anima nostra et anima illius. *Hanc suscepit naturam, quam salvandam esse indicavit. Nihil minus habebat in natura,* sed nihil habebat in culpa. *RJ.* 1517; *Contra Serm. Arian.*, 9, 7. Et his atque huiusmodi Sanctarum Scripturarum testimoniis non resistant, fateanturque Christum *non tantum carnem sed animam quoque humanam Verbo Unigenito coaptasse,* ut esset una persona, quod Christus est, *Verbum et homo;* sed ipse *homo: anima et caro. ML.* 42, 690; *In Ioan. Ev. Tract.*, 23, 6. Erigat te Christus per id, *quod homo est,* ducat te per id, quod Deus homo est, perducat te, ad id, quod Deus est. Et tota praedicatio dispensatioque per Christum haec est, fratres, et alia non est, ut resurgant animae, resurgant et corpora. Anima et corpus! Per quid ergo anima nisi per Deum Christum? Per quid corpus nisi *per hominem* Christum? *Erat enim et in Christo anima humana, tota anima;* non irrationale tantum animae, sed etiam rationale, quod mens dicitur *RJ.* 1818; (Cfr. *RJ.* 1578).

B) Rationes Theologicae Patrum.

1° Conveniebat, immo quodammodo necessarium erat, ut per carnem repararetur, quod caro corruperat.

S. Iustinus, *Dial. c. Triph.* 100. In commentariis Apostolorum legimus, Filium Dei ex virgine hominem factum esse, *ut, qua via initium orta a serpente inoboedientia accepit, eadem et liberationem acciperet. RJ.* 141.

S. Irenaeus, *Adv. Haer.* 3, 18, 7. Oportuerat enim mediatorem Dei et hominum, *per suam ad utrosque domesticitatem,* in amicitiam et concordiam

utrosque reducere et *Deo quidem hominem sistere,* hominibus autem Deum manifestare. *MG.* 7, 937; *Ibidem,* 5, 14, 1. *Si* enim *non haberet caro salvari,* nequaquam Verbum Dei *caro* factum esset. Et *si non haberet sanguis iustorum inquiri,* nequaquam *sanguinem* habuisset Dominus. *RJ.* 254.

Tertullianus, *De Carne Christi,* 14. Eadem est causa, *ut hominem gestaret Christus: salus hominis fuit causa,* scilicet ad restituendum, quod perierat. *Homo perierat,* hominem restitui oportuerat. Ut angelum gestaret Christus, nihil tale de causa est. *RJ.* 356.

S. Hypolytus, *Philosoph.* 10, 33. Hoc (Verbum) novimus *ex Virgine corpus assumpsisse* et veterem hominem per novam assumptionem gestasse, *in vita per quamque aetatem venisse,* ut cuique aetati ipsum lex fieret...; illud *hominem ex nostra massa factum* esse scimus. Nisi enim ex eadem extitit, frustra legem fert imitandi praeceptorem. *RJ.* 398.

S. Athanasius, (?) *Contra Apollin.* 1, 17. Quaecumque ipse sua voluntate in natura ordinavit, ea, quantum voluit, in se suscepit; *nativitatem ex muliere, augmentum staturae, annorum numerum, laborem, esuriem et sitim, somnum, dolorem, mortem, resurrectionem.* Ideoque *ubi corruptum fuerat hominis corpus, eo Iesus corpus suum immittit;* et ubi anima humana in morte detinebatur, ibi Christus animam humanam sibi propriam ostendit, ut tamquam homo adesset, qui in morte detineri non poterat, mortisque imperium solveret, utpote Deus; *ut, ubi seminata erat corruptio, illic oriretur incorruptio,* et ubi regnaverat mors in forma animae humanae, ibi immortalis ille praesens immortalitatem exhiberet. *RJ.* 798.

S. Ioann. Chrys., *In Ioan. Hom.* 11, 2. Quia enim sunt, qui dicant ea, quae incarnationis oeconomiam spectent, phantasiam et fabulam et figmentum esse, iam tunc illorum blasphemiam tollens posuit illud; *factum est,* non mutationem substantiae, absit, sed *verae carnis assumptionem declarare volens.* Vere ceciderat, ceciderat casu incurabili natura nostra et potenti illa sola manu egebat. *Neque enim poterat aliter resurgere,* nisi is, qui in principio illam efformaverat, ipsi manum porrigeret et superne illam reformaret. *RJ.* 1260.

S. Cyril. Alex., *Adv. Nest.* 1, 1. *Carnem factum* esse illud ex Deo Patre Verbum ait Scriptura divinitus inspirata, hoc est carni sine confusione et secundum hypostasim unitum. *Nisi* enim similiter atque nos *secundum carnem fuisset natus,* nisi similiter participasset iisdem, *numquam hominis naturam criminibus in Adam contractis absolvisset. RJ.* 2128.

2° Si Christus verum corpus non habebat, perfectusque homo non erat; nec vere passus, nec vere mortuus est, adeoque condignam satisfacionem Deo non praestitit; nos vero peccatorum adhuc pondere

onusti, sub diaboli iugo, miseranda mancipia in infernum praecipites ferimur.

S. Irenaeus, *Adv. Haer.*, 3, 18, 6-7. *Si non vere passus est, nulla gratia ei, cum nulla fuerit passio*; et nos, cum incipiemus vere pati, seducens videbitur adhortans nos vapulare et alteram praebere maxillam, si ipse illud non prior in veritate passus est; et quemadmodum illos seduxit, ut videretur iis ipse hoc, quod non erat, et nos seducit, adhortans perferre ea, quae ipse non pertulit. *Haerere itaque fecit et adunivit*, quemadmodum praediximus, *hominem Deo*. Si enim homo non vicisset inimicum hominis, non iuste victus esset inimicus. Igitur qui dicunt, eum *putative* manifestum, neque in carne natum, neque vere hominem factum, *adhuc sub veteri sunt damnatione*, advocationem praebentes peccato, *non devicta secundum eos morte*. *MG*. 7, 936, 937.

S. Athanas., *Ep. ad Epict.*, 6. *Si fictione* dumtaxat Verbum *in corpore fuit*, ut ulli autumant et si, quod dicitur fictione esse, phantasia est, sequitur, ut, secundum impiissimum Manichaeum, *specie tantum salus et resurrectio hominum fieri dicatur*. Verum nequaquam fictitia res et salus nostra neque solius corporis sed vere totius hominis, animae scilicet et corporis, salus in ipso Verbo facta est. *Humanum* itaque *natura erat, quod ex Maria prodiit*, secundum divinas Scripturas *verumque erat Domini corpus; verum*, inquam, fuit, *cum idem atque nostrum* extiterit. *RJ*. 794.

S. Cyril. Hieros., *Catech*. 4, 9. Crede, quod hic Unigenitus Filius Dei propter peccata nostra de caelis ad terram descendit, *assumpta humanitate ista*, iisdem, quibus subiicimur, affectibus obnoxia; *natusque est ex sancta virgine* et Sancto Spiritu; facta, non secundum opinionem ad fictam speciem, sed secundum veritatem. inhumanatione. Neque per virginem uti per canalem traiectus, sed *ex ea vere incarnatus. Si enim humanae naturae assumptio phantasma fuit, phantasma itidem fuerit salus*. *RJ*. 817.

S. Basilius *M.*, *Ep.* 261, 2. Itaque *si Domini in carne adventus non fuit, non dedit redemptor pro nobis pretium morti*, nec per seipsum mortis regnum resecuit. Si enim aliud esset, quod mortis imperio subiectum erat, aliud, quod assumptum a Domino, non desiisset mors ea, quae sua sunt, operari, nec lucrum nostrum factae fuissent deiferae carnis passiones, *non interemisset peccatum in carne, non in Christo vivificati fuissemus, qui eramus in Adamo mortui*, non resartum fuisset, quod collapsum erat, non instauratum, quod confractum, non coniunctum Deo, quod serpentis fraude fuerat abalienatum. *RJ*. 928; (Cfr. *RJ*. 929).

3° Si Christus verus homo non fuit, decepit nos Deus, fefellèrunt Scripturae et Apostoli; nutant ergo vacillantque fidei fundamenta.

Tertullianus, *De Carne Christi*, 5. Haec quomodo in illo vera erunt, *si ipse non fuit verus, si non vere habuit in se, quod figeretur, quod moreretur, quod sepeliretur et resuscitaretur*, carnem scl. sanguine suffusam, ossibus structam, nervis intextam, venis implexam, quae nasci et mori novit? *Humana sine dubio, ut nata de homine, quia Christus homo et filius hominis.* Aut *cur homo* Christus et filius hominis, *si nihil hominis et nihil ex homine?* Quid dimidias mendacio Christum? *Totus veritas fuit. Maluit*, crede, *nasci, quam aliqua ex parte mentiri et quidem in seipsum*, ut carnem gestaret sine ossibus duram, sine musculis solidam, sine sanguine cruentam, sine tunica vestitam, sine fame esurientem, sine dentibus edentem, sine lingua loquentem...

Iam hic responde, interfector veritatis! Nonne crucifixus est Deus, nonne vere mortuus? ut vere crucifixus? *Falso ergo statuit inter nos scire Paulus: tantum Iesum crucifixum? falso sepultum ingessit? falso resuscitatum inculcavit? Falsa est igitur et fides nostra et phantasma est totum, quod speramus in Christo?!* Scelestissime hominum, qui interemptores excusas Dei. Nihil enim ab eis passus est Christus, si nihil vere est passus! *Parce unicae spei totius orbis! RJ.* 353.

Adv. Marcionem, 3, 8. *Christus eius* (Marcionis), ne mentiretur, ne falleret et hoc modo creatoris forsitan deputaretur, *non erat, quod videbatur et quod erat, mentiebatur*: caro nec caro, homo nec homo. Proinde *Deus, opinor, nec Deus!?* Cur enim non *etiam Dei phantasma* portaverit? An credam ei de interiore substantia, qui sit de exteriore frustratus? *Quomodo verax habebitur in occulto, tam fallax repertus in aperto?* Sic nec passiones Christi eius fidem merebuntur; vere *phantasma pati non potuit*. Eversum est igitur totum Dei opus. *RJ.* 336; (Cfr. *RJ.* 343).

S. Irenaeus, *Adv. Haer.*, 5, 1, 2. Vani sunt, inquit, qui putative eum dicunt apparuisse; *non enim putative haec, sed in substantia veritatis fiebant Si autem*, cum homo non esset, *apparebat homo*, neque, quod vere erat, perseveravit, hoc est Spiritus Dei, quoniam invisibilis est spiritus Dei, *neque veritas quaedam erat in eo, non enim illud erat, quod videbatur. MG.* 7, 1122.

S. Augustinus, *De Div. Quaest. 83*, q. 14. *Si phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus et si fefellit, veritas non est.* Est autem veritas Christus; non igitur phantasma fuit corpus eius. *ML.* 40, 14.

Solvuntur Difficultates.

1. Christus verus homo non est, si dumtaxat *hominibus similis fuit. Atqui* Christus hominibus dumtaxat similis fuit. *Phil.*, 2, 7: *In similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo. Ergo* Christus non est verus homo.

Resp.: Dist mai. Si similis erat v e r e et o b i e c t i v e, *N. mai;*

Si dumtaxat apparenter similis erat, *C. mai. Ctrd. min. Explico textum*: « Similitudo illa (de qua Paulus loquitur), exprimit *veritatem* naturae humanae in Christo, per modum quo omnes, qui vere in natura humana existunt, similes specie dicuntur: non autem intelligitur phantastica; ad cuius evidentiam Apostolus subiungit, quod *factus est oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis*; quod fieri non potuisset, si esset sola similitudo phantastica » (*S. Th.*, q. 5, a. 1 ad 1).

2. Ubi *mera similitudo carnis* humanae adest, ibi vera natura humana non existit. *Atqui* in Christo mera similitudo carnis humanae adest. *Rom.*, 8, 3-4: *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati et de peccato damnavit peccatum in carne. Ergo* in Christo non existit vera natura humana.

Resp.: Dist. mai. Ubi simpliciter et absolute adest dumtaxat similitudo, mera apparentia, *C. mai;* ubi adest similitudo vera relative, sub aliquo autem respectu dissimilitudo, *N. mai. Ctrd. min. Explico textum*: Paulus affirmat Christum habuisse *carnem similem carni peccatoris* non autem culpam; *minime* per hoc *negavit veritatem carnis. S. Chrysostomus*, commentando hunc versiculum, ait: « quod in similitudine carnis dicat misisse Filium, non ideo existimes aliam esse carnem; quia enim dixit peccati, ideo et similitudinem apposuit. Neque enim peccatricem carnem habuit Christus, sed similem nostrae peccatrici, impeccabilem autem et natura eandem quam nostram » (*MG.* 60, 514. 515.). *S. Thomas* vero ait: « *In similitudinem carnis peccati;* « non est sic intelligendum quasi veram carnem non habuerit, sed solum carnis similitudinem quasi phantasticam, sicut Manichaei dicunt. Sed habuit similitudinem carnis peccati i. e. similem carni peccatrici in hoc quod erat passibilis; nam caro hominis ante peccatum passioni subiecta non erat » (*S. Thom.*, *In Ep. ad Rom.*, *Cap.* 8, *Lect.* 1).

3. Christus non est verus et perfectus homo, si saltem *a momento resurrectionis verum corpus non habet. Atqui* teste S. Paulo Christus a momento suae resurrectionis verum corpus non habet. II *Cor.*, 5, 16: *Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem: Et si cognovimus secundum carnem Christum: sed nunc iam non novimus. Ergo* Christus non est verus et perfectus homo.

Resp.: *C. mai. N. min. Explico textum*: « Ex hoc » i. e. ante conversionem ante cognitionem supernaturalem aestimavi Christum « *secundum carnem* » seu carnali modo; nunc vero, post conversionem cognosco et amo Christum « *non secundum carnem* » scl. modo spirituali. Contextus hanc explicationem suggerit, nam v. 14 Paulus disserere coepit de cognitione Christi supernaturali: *Caritas enim Christi urget nos, aestimantes hoc...* etc. Alias explicationes habes indicatas apud *S. Thom.*, *In Ep.*, II *Cor.*, *Cap.* 5, *Lect.* 4.

4. Filius Dei non est verus homo, si *hominem non assumpsit*. *Atqui* Filius Dei secundum doctrinam S. Thomae hominem non assumpsit (*S. Th.*, q. 4, a. 3). *Ergo* Filius Dei non est verus homo.

Resp.: Dist. mai.; si non assumpsit hominem i. e. *naturam humanam*, *C. mai.*; si non assumpsit *personam humanam* i. e. hominem, *N. mai. Ctrd. min.* « Hoc nomen *homo*, inquit S. Thomas, significat humanam naturam, *prout nata est in supposito esse*; sicut hoc nomen, *Deus*, significat eum, qui habet divinam naturam; ita hoc nomen, *homo*, significat eum, qui habet naturam humanam. Et ideo *non est proprie dictum*, quod Filius Dei assumpsit hominem, supponendo (sicut rei veritas se habet), quod in Christo sit unum tantum suppositum et una hypostasis » (*S. Th.*, q. 4, a. 3).

5. Verbum Dei non assumpsit humanitatem ex Maria Virgine, si *assumpsit naturam universalem*. *Atqui* Verbum Dei assumpsit naturam universalem, quia universum genus humanum servavit. *Ergo* Verbum Dei non traxit naturam humanam ex Virgine.

Resp.: Dist. mai. Si assumpsisset naturam *idealem*, *abstractam*, stricte universalem, C. mai.; Si assumpsit naturam *specifice* cum hominibus *eandem*, *sed* in concreto individuatam, *N. mai. Ctrd. min.* S. Thomas fuse probat: Christum non potuisse naturam abstractam, stricte universalem assumere. « Quia, inquit, *ad naturam speciei rerum sensibilium pertinet materia sensibilis*, quae ponitur in eius definitione: sicut carnes et ossa in definitione hominis; unde non potest esse, quod natura humana sit praeter *materiam sensibilem*: si tamen esset hoc modo subsistens natura humana, non fuisset conveniens, ut a Verbo Dei assumeretur: *primo* quidem, quia assumptio ista terminatur ad personam: hoc autem est contra rationem formae communis, *ut sit in persona*; quia in persona individuatur; *secundo*, quia naturae communi non possunt attribui, nisi *operationes communes et universales*, secundum quas homo non meretur nec demeretur; cum autem illa assumptio ad hoc facta sit, ut Filius Dei, natura assumpta, nobis mereretur: *tertio*, quia natura sic existens non est sensibilis, sed intelligibilis: Filius autem Dei assumpsit humanam naturam, ut hominibus in ea visibilis appareret. Non convenit dicere, quod Filius Dei assumpsit humanam naturam *prout est in intellectu humano*, quia hoc nihil aliud esset, quam quod *intelligeretur assumere* naturam humanam et sic, si non assumeret eam in rerum natura, esset intellectus falsus: nec esset aliud ista naturae humanae assumptio, quam fictio quaedam incarnationis. (*S. Th.*, q. 4, a. 4).

Assumptio naturae humanae *omnium individuorum et in omnibus individuis* ad redimendum omnes minime fuit necessaria. Nam *valor satisfactorius* et meritorius *ex* infinita *dignitate* divinae *hypostasis*, in natura humana operantis, non vero ex universalitate naturae assumptae profluit. Quamvis igitur unam concretam, individuam naturam Redemptor

sibi assumpserit, nihilominus pro omnibus omnino satisfacere potuit. Immo S. *Thom.*, q. 4, a. 5 probat non convenire, ut Filius Dei naturam humanam in omnibus individuis assumat.

6. Si Filius Dei ex Maria corpus traxisset, *a peccatoribus segregatus non esset. Atqui* iuxta Paulum (*Hebr.*, 7, 27) Filius Dei est *pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus. Ergo* Christus ex Maria corpus suum non traxit.

Resp.: Dist. mai. Non esset segretatus a peccatoribus *quoad naturam*, C. mai.; Non esset segregatus *quoad culpam, N. Mai. Ctrd. min.* « Dicendum, quod Christus debuit esse segregatus a peccatoribus quantum ad culpam, quam venerat destruere, *non quantum ad naturam*, quam venerat salvare, secundum quam debuit per omnia fratribus assimilari. Et in hoc etiam mirabilior est eius innocentia, quod de massa peccato subiecta, natura assumpta tantam habuit puritatem » (S. *Th.*, q. 4, a. 6).

7. *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de caelo caelestis,* (I *Cor.*, 15, 17) *Atqui* Adam corpus habuit terrenum. *Ergo* Christus, secundus homo, habuit corpus de caelo, non ex visceribus Virginis.

Resp.: *Explico textum* cum S. Thoma. Dicendum, quod Christus dicitur de caelo descendisse *dupliciter*: *uno modo* ratione divinae naturae; non ita quod natura divina in caelo esse desierit; sed quia in infimis novo modo esse coepti, scilicet secundum naturam assumptam. *Alio modo* ratione corporis; *non quia ipsum corpus* Christi *secundum suam substantiam de caelo descenderit*, sed quia virtute caelesti i. e. Spiritu Sancto, est eius corpus formatum. (S. *Th.*, q. 5, a. 2 ad 1).

8. Iesus Christus veram carnem non habuit, si in Veteri Testamento *angeli in carne humana apparebant, quin veram carnem habuisset. Atqui* in Veteri Testamento angeli in carne humana apparebant, quin veram carnem habuissent; v. g. *Raphaël Archangelus* Tobiae ut splendidus iuvenis, lumbos praecinctus apparuit, (*Tob.*, 5, 5) ut ceteri homines iter faciebat, comedebat, bibebat; quin revera homo fuisset. *Ergo* et Christus.

Resp.: Nego paritatem! Nam angeli, quamvis hominibus similes viderentur, *numquam professi sunt*, se esse homines, ossa et carnem habentes. *Ex adiunctis* concludi et deduci potuit: illos legatos Dei non esse veros homines. Insuper, *explicita declaratio* in casu Tobiae omnia dubia dissipat. Raphaël enim ad familiam Tobiae ait: *Videbar quidem vobiscum manducare et bibere; sed ego cibo invisibili et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor. Ego enim sum Raphaël angelus, unus ex septem, qui astamus ante thronum Dei* (*Tob.*, 12, 15. 19.). Christus protestatur: se carnem veram habere; manducat, et bibit, ad probandam veritatem suae carnis.

SECTIO 2ª

DEUS - HOMO

Cap. 1. — De Unione Hypostatica.

Thes. 4. — In Christo Iesu una est persona divina Verbi; humanitas autem et divinitas hypostatice uniuntur.

S. Th., q. 2, a. 2, 3, 6; Suarez, *disp.* 8, *sect.* 2, 3; Petavius, *De Incarnatione*, 5, 17; Stentrup, th. 11-19; Franzelin, th. 16-25; Pesch, th. 3; Billot, th. 6: Otten, th. 10; Hugon O. P., *Tractatus De Verbo Incarnato et Hominum Redemptore*, Paris 1927[5], q. 2, a. 1; D. Mingoja O. P., *De Unione Hypostatica*, Catanae 1926, p. 130 seq.; Galtier, th. 6.

Status Quaestionis.

1. In Christo Iesu duas perfectas naturas dari divinitatem scl. et humanitatem, iam probatum est. Atqui ubi duae perfectae, individuae naturae adsunt, nonne ibi duo supposita distincta esse censentur? Reperiunturne revera duae personae in Christo? Fide catholica certi reddimur: in Servatore nostro dumtaxat unam personam, eamque divinam Verbi existere ac pariter edocemur: duas perfectas naturas Christi hypostatice uniri. Quid ergo persona? Quid unio hypostatica?

2. *Conceptus personae* (1).

---

(1) Conceptus affines in memoriam revocamus: Essentia est id, *quo res quaelibet est id, quod est;* per quod ens est habens esse in proprio genere et specie. Natura est *principium intrinsecum, radicale actionum et passionum.* Substantia est res, *cui competit existere in se et non in alio;* seu est principium immediatum in se et per se essendi. Distinguitur duplex: substantia secunda seu universalis, communis, *abstracta*, quae de subiecto praedicatur et in eo verificatur. Substantia prima est *subiectum substantiale concretum*, per se subsistens, v. g. Petrus, equus et consimilia. Quidam distinguunt adhuc substantiam anhypostaticam et enhy-

Secundum *obvium* et vulgarem *conceptum* nomine personae subiectum praedicationum seu *subiectum attributionis* intelligitur: quod ergo per se stat, quod per se operatur, quod habet et non habetur, quod sui iuris reputatur, vulgo persona dicitur. Boëtius personam definit: rationalis naturae individua substantia. *Substantia*, igitur non accidens; substantia *non secunda* i. e. universalis; sed *prima* i. e. individua. *Individua* autem *perfecte* i. e. indivisa in se et divisa ab omni alio; immo *incommunicabilis*, qua universale, qua pars, et qua totum assumptum. *Rationalis naturae*; quia persona ad quidditatem suppositi rationalitatem superaddit. Adeoque persona est suppositum intellectu et libera voluntate praeditum. Hypostasis nomine idem, quod voce « persona » designatur.

Primum, quod in thesi affirmamus, est: in Christo Iesu *unam dumtaxat personam* seu hypostasim eamque Verbi esse; quamvis duae perfectae naturae in ipso reperiantur. Numerus ergo personarum cum numero naturarum pari gressu non currit.

3. Quo posito, quaeritur: quomodo naturae in Christo Iesu uniantur? Quid et quotuplex unio?

Unio est *convenientia* duorum vel plurium *sub* et *in aliqua ratione*. Unitas est illa *ratio, qua res constituitur indivisa in se et divisa ab omni alio*. Unitas proprie negat divisionem, non autem divisibilitatem. Remanet quippe ens unum, licet sit divisibile in plura. Quia autem unum cum ente convertuntur, *ita est aliquid unum sicut et ens*. Porro ens aliud est per se aliud per accidens.

---

postaticam. Anhypostatica est substantia completa in ratione substantialitatis, speciei, individualitatis, *quae tamen personalitate propria destituitur*. Enhypostatica, quae *perfecte individua est* seu *propria personalitate pollet*.

Suppositum vocatur aliquod totum habens naturam, quod in se distinctum, incommunicabiliter subsistit. Definitur: *substantia individua, completa, alteri incommunicabilis*. Completa in ratione substantialitatis et speciei. Incommunicabilis tum ut universale, tum ut pars, tum ut totum assumptum.

Unum per se est id, *quod in propria natura indivisa et sub uno esse substantiali existit.* Unum per se, prout et ens per se, aut est simplex aut compositum; hinc unitas etiam duplex. Alia *simplicitatis* seu indivisibilitatis; si ens per se nec partibus essentialibus nec integralibus constat. Alia distinguitur *unitas compositionis;* si ens per se, partibus constans, indivisum est quidem actu, divisibile tamen potentia. Compositum per se exurgit ex coniunctione principiorum aut in ratione naturae aut in ratione suppositi. Compositum in ratione naturae tunc datur, cum partes *ad unam essentiam efformandam ordinantur* v. g. materia et forma. Compositum in ratione suppositi habetur, cum partes *ad unicum suppositum efformandum* convergunt.

Unum per accidens tunc adest, cum terminus ex unione elementorum exurgens nec nova natura nec novum principium *quod* operandi et essendi proprie dici potest. Unioni et unitati per se e regione opponitur unitas et unio per accidens. *Unitas per accidens* adesse potest vel in essendo vel operando. Unitas per accidens *in essendo* vel est *artificialis* (si diversae res per artificem coniunguntur in unum v. g. imago, musivum, aedificium) vel *naturalis* (si duo entia a natura coniunguntur in uno esse accidentali v. g. homo albus), vel est unitas *aggregationis* (si plura *casu* coniunguntur in aliquod esse accidentale v. g. acervus lapidum). Unitas per accidens *in operando* seu dynamica potest esse etiam *moralis* non tantum *physica,* si v. g. plures ad unum communem finem amice conspirant, ut puta aliqua familia.

Unio et unitas per se substantialis duplex distinguitur: *essentialis et personalis.* In genere unio substantialis duo requirit: ut partes, quae coëunt, substantiales sint, utque ex earum coniunctione aliquod unum per se substantiale oriatur. Elementa ergo, quae copulantur, substantialia sint oportet; terminus, qui ex unione resultat, pariter substantialis esse debet. Si duo principia substantialia uniuntur ita, ut *unam novam naturam seu essentiam* efforment; unio est essentialis.

Personalis vero est haec unio, in qua duae substantiae conveniunt ita, ut *terminus convenientiae sit una persona* (1).

4. Revocato in memoriam conceptu unionis et unitatis, ad cardinem nostrae inquisitionis redimus. *Quomodo duae naturae in Christo Domino uniuntur?* Respondemus: uniuntur non per accidens, non essentialiter, sed substantialiter, hypostatice. Unionem divinitatis et humanitatis Christi non esse essentialem, in thesi 7ª demonstrabitur: unionem hanc accidentalem non esse ex demonstratione huius theseos elucebit. Uniuntur ergo naturae in Christo *substantialiter* i. e. terminus unionis est substantialis; *hypostatice* in ratione et sub ratione personae. Diligenter adverte aliud prorsus esse: *in* persona, *in* hypostasi, et secundum personam, secundum hypostasim uniri; plurimumque differre scito, unitatem *in persona* et unitatem secundum rationem, in ratione personae.

Omne enim, quod alicui personae inest, sive ad naturam eius pertineat sive non, *in* persona unitur; quare et substantia humana et accidentia eius in persona uniuntur; at *non* uniuntur *sub ratione, in ratione personae*, non uniuntur *secundum hypostasim seu hypostatice*. Nos autem asserimus in thesi: humanitatem et divinitatem Christi *hypostatice* uniri i. e. *secundum hypostasim* seu *in ratione hypostasis*. Vinculum ergo (seu ratio) uniens duas naturas est *substantiale*, non accidentale; *physicum*, non morale; *hypostaticum*, non essentiale.

5. Iidem, qui duas in Christo Iesu personas admiserunt,

---

(1) Duplex adhuc distinguitur unio *personalis*, ut animadvertit *P. Hugon, personalis simplex et* κατ' ἐξοχὴν *hypostatica*. In unione personali *simplici* naturae, quae coniunguntur, sunt substantiae incompletae; in unione vero proprie *hypostatica* duae naturae sunt completae et perfectae. In unione personali *simplici persona* unioni *non praeëxistit*, sed ex ipsa unione *resultat;* in unione autem *hypostatica persona*, nedum sit unionis effectus, ipsi *praeëxistit*, et perfecte ante unionem constituta est, nec in se mutaretur, etiamsi unio desineret. Unicum unionis proprie hypostaticae exemplum habetur in venerabili Incarnationis mysterio. (Cfr. Hugon O. P., *Op. Cit.*, p. 327, 328).

consequenter etiam unitatem duarum naturarum stricte hypostaticam reiecerunt. Principiative hanc unitatem iam Gnostici inficiati sunt. Nam secundum Gnosticos Verbum in Christo tantummodo habitavit. Item et Docetae unionem hypostaticam negare debent; quia Iesus Christus vera humanitate carebat iuxta eorum placita (1). Ex alio capite apud Paulum Samosatenum de unione hypostatica sermo esse nequit. Christus nempe purus homo erat: adeoque in ipso sapientia divina sicut in templo quodam residebat (2).

Dualitatem personarum in Christo aperte admisit: Diodorus Tarsensis (c. a. † 378) et Theodorus Mopsuestenus († 428). In Deo enim Incarnato, ut ratiocinabatur Theodorus Mopsuestenus, duae integrae naturae dantur. Porro *persona est idem ac natura perfecta*. Ergo in Christo sunt duae personae (3). Duae personae; hominis et Verbi unitae sunt in Christo per complacentiam mutuam et inhabitationem ideoque Filius Dei nonnisi per metonymiam filius David dici potest et Maria non Deum sed hominem tantum genuit (4).

Unitas hypostatica strenuum adversarium nacta est in Nestorio, qui ab anno 428-431 patriarcha Constantinopolitanus, ad extremum vitae halitum unioni hypostaticae duarum naturarum restitit. Ultimis decenniis *Loofs* (5), *Harnack* (6), *Bethune-Baker* (7), *Seeberg* (8), *Fendt* (9), Nestorium ab omni macula haeresis absolvere et excusare conantur: illumque aureola martyrii nitentem vident; dum e contrario plura probra sancti-

---

(1) Cfr. A. Michel, *Union Hypostatique*, DTC. 7, 463-464.

(2) Cfr. Bardy, *Paul de Samosate*, p. 373.

(3) Cfr. Theod. Mopsuest., *De Incarnatione*. 8, *RJ*. 1113 a.

(4) Cfr. *RJ*. 1113 b, 1113 c; Michel, *Art. Cit.*, 466-468.

(5) Cfr. Loofs, *Nestoriana, Die Fragmente des Nestorius*, Halle 1095, p. 160; Idem, *Nestorius*, « Realencycl. f. prot. Theol. », 13, 736-749.

(6) Cfr. Harnack, *L. d. Dogm-gesch.*, II, 1909[4], p. 355-358.

(7) Cfr. Bethune-Baker, *Nestorius and his Teaching*, Cambridge 1908, p. 198, 207.

(8) Cfr. Sieberg, *L. d. Dogm-gesch.*, II, 1910[2], p. 204.

(9) Cfr. Fendt, *Die Christologie des Nestorius*, Kempten 1910, p. 101-111.

tati Cyrilli obiectant. Nestorius, inquiunt, *unum* πρόσωπον Christi centies admisit; Mariae vero titulum Dei-Genitricis ideo denegavit, quia haec *divinitatem* generare non potuit. Quo iure ergo Nestorius haereseos arguitur? Iure meritoque, ut olim iam *Petavius* (1), recenter *Jugie* (2), *Pesch* (3), *Fr. S. Müller* (4), *Galtier* (5) demonstrarunt. Nestorius enim identidem inculcabat: *non posse naturam aliquam existere, quin sit persona* (6). Cum autem in Christo natura humana integra inveniatur, personalitate propria destituta non est. Christus est quidem unum πρόσωπον quod duas naturas integras unit; ad moraliter dumtaxat et accidentaliter (7). Maria proinde non est Deigenitrix, nam dumtaxat hominem Iesum generavit.

Saec. XIX Günther († 1863) et Güntheriani (*Baltzer* et *Knoodt*) nestorianismum sub nova specie instauraverunt. In systemate Güntheriano persona est *substantia sui conscia*. Quia autem Verbum Incarnatum duplicem conscientiam habet (divinam et humanam); ideo in Christo *duae sunt personae physicae, una vero dynamico-formalis*. Cum Iesus-homo a primo momento suae vitae suae praedestinationis conscius fuisset (ut scl. Verbo Dei qua instrumentum salutis serviret); pondere totius naturae Filio Dei adhaesit; adeoque Verbum et Iesus mutuo amore fragrantes formaliter-dynamice uniti erant (8). Doctrina haec a Pio IX damnata est. *DB*. 1655. Non multum differt ab opinione Güntheri sententia Rosmini († 1855). « In humanitate Christi *humana voluntas* fuit ita rapta a Spiritu Sanc-

---

(1) Cfr. Petavius, *De Incarnatione*, 1, 7-10.

(2) Cfr. Jugie, *Nestorius et la controverse nestorienne*. Paris 1912, p. 94-99.

(3) Cfr. Pesch, *Zur neueren Litteratur über Nestorius*, « Stimmen », Erg. hf. 115. Herder 1914; Idem, *Nestorius als Irrlehrer*, Paderborn 1921.

(4) Cfr. Fr. S. Müller, *Fuitne Nestorius revera Nestorianus*, « Gregorianum », 1921, p. 266 seq.; 352 seq.

(5) Cfr. Galtier, *De Incarnatione ac Redemptione*, Paris 1926, p. 83-98.

(6) Cfr. *PL*. 2057 f.

(7) Cfr. *PL*. 2057 et Loofs, *Nestoriana*, p. 214 (7 *Anath.*), 252-253.

(8) Cfr. A. Günther, *Vorschule zur speculativen Theologie*, II², Wien 1845, passim.

to ad adhaerendum Esse obiectivo, id est Verbo, ut illa Ipsi *integre tradiderit regimen hominis et Verbum illud personaliter assumpserit*, ita sibi uniens naturam humanam. Hinc *voluntas humana* desiit esse personalis in homine, et, *cum sit persona in aliis hominibus*, in Christo remansit natura ». *RJ*. 1917.

6. Thesis habet *duas partes*. In 1ª P.te *asserimus*: in Iesu Christo unam tantum numerice personam Verbi adesse. In 2ª P.te *affirmamus*: duas naturas Christi substantialiter (non accidentaliter) physice (non moraliter tantum), hypostatice (non essentialiter) uniri. Utraque pars est *dogma fidei* multoties *definitum*.

Probatur Thesis.

Pars I. — Una est in Christo persona Verbi.

Arg. 1. (E Symbolis et Conciliis). — *Libellus in modum symboli*. Credimus... Filium Dei, Deum natum a Patre ante omne omnino principium, sanctificasse uterum Mariae Virginis, atque ex ea verum hominem, sine virili generatum semine suscepisse, *duabus* dumtaxat *naturis*, id est, deitatis et carnis, *in unam convenientibus omnino personam*, id est, Dominum nostrum Iesum Christum. *DB*. 20.

Anathematismi Cyrilli. Can. 4 (1). *Si* quis *personis duabus vel subsistentiis* eas voces, quae in Apostolicis scriptis continentur et Evangelicis dividit, vel quae de Christo a sanctis dicuntur, vel ab ipso etiam de seipso, et has quidem velut homini, qui praeter Dei Verbum specialiter intellegatur, aptaverit, illas autem tamquam dignas Deo soli Dei Patris Verbo deputaverit. A S. *DB*. 116.

---

(1) *Anathematismos S. Cyrilli Conc. Chalcedon.* « *suscepit* ad convincendas Nestorii vesanias et ad interpretationem eorum, qui salutaris synodi pio zelo nosse desiderant intellectum ». *Conc. Constpt. II* tamquam partem « gestorum, quae Ephesi acta sunt » retulit et collaudavit. Cfr. Mansi, VII, 113 B; IX, 237 C; Cfr. *BD*. p. 52.

Conc. Chalcedon. Docemus... *unum eundemque* Christum, Filium Dominum unigenitum, *in duabus naturis* inconfuse..., nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem magisque *salva proprietate utriusque naturae*, et *in unam personam atque subsistentiam* concurrente, *non in duas personas partitum atque divisum*, sed unum eundemque Filium et unigenitum Deum Verbum Dominum Iesum Christum. *DB.* 148.

Anathematismi de tribus Capitulis. Can. 5 (1). *Si quis* unam subsistentiam Domini nostri Iesu Christi sic intelligit, tamquam suscipientem plurimarum subsistentiarum significationem et per hoc *conatur introducere in mysterio Christi duas subsistentias seu duas personas* et duarum personarum, quas introducit, *unam personam dicit secundum dignitatem et honorem et adorationem sicut Theodorus et Nestorius...* sed non confitetur Dei Verbum carni secundum subsistentiam unitum esse et propter hoc unam eius subsistentiam seu unam personam A. S. *DB.* 217.

Conc. Tolet. XI. In Dei Filio duas credimus esse naturas, unam divinitatis, alteram humanitatis, quas ita in se *una Christi persona univit*, ut nec divinitas ab humanitate, nec humanitas a divinitate possit aliquando seiungi. Unde *perfectus Deus, perfectus homo in unitate personae unius* est Christus; nec tamen, quia duas diximus in Filio naturas, duas causabimus in eo esse personas. *DB.* 283.

---

(1) « *Tria Capitula* » intelliguntur scripta *Theodori Mopsuesteni, Theodoreti Cyrensis* et *Ibae*, presbyteri edesseni. Theodorus, ut diximus, iam ante Nestorium nestorianam haeresim profitebatur. Theodoretus anathematismos, quos Cyrillus Nestorio subsignandos mandaverat, refutabat. Ibas pariter contra S. Cyrillum epistulam ad Marin episcopum scripsit. Cum saec. VI quidam fautores Origenis etiam Theodorum Mopsuestenum defenderent, Anti-Origenistae, quo scripta Theodori, Theodoreti et Ibae simul cum Origene damnarentur, omnes vires contenderant. Iustinianus imperator anno 543 edictum contra Origenistas promulgavit; quod adhuc maiores pugnas et turbas in castris Origenistarum excitavit. Quaestio delata est ad *Conc. Constpt. II*, a quo scripta Theodori, Theodoreti et Ibae improbata fuere. (Cfr. Fr. Diekamp, *Die origenistischen Streitigkeiten im VI Jahrhundert*, Münster i. W. 1899; d'Alès, *Origenisme, DAFC.* 3, 1233 seqq.).

Symb. fidei Leonis IX. Credo... unicum et unum Deum, Filium Dei in duabus naturis, sed *in unius personae singularitate. DB*. 344.

Conc. Lateran. IV. (a. 1215) Unigenitus Dei Filius Iesus Christus a tota Trinitate communiter incarnatus, verus homo factus, ex anima rationali et humana carne compositus, *una in duabus naturis persona. DB*. 429.

Professio fidei Orientalibus (a. 1743) Veneror Ephesinam primam et profiteor, quod in ea contra Nestorium damnatae memoriae definitum est, *divinitatem et humanitatem* ineffabili, et incomprehensibili *unione in una persona Filii Dei unum nobis Iesum Christum constituisse. DB*. 1462.

Arg. 2. (E S. Scripturis). — Unum subiectum praedicationis arguit unitatem personae. *Atqui* Libri Sacri N. T. de eodem Iesu Christo constanter divina et humana praedicant adeoque unum subiectum praedicationis supponunt. *Ergo* S. Litterae implicite testantur Iesum Christum unam personam esse. *Atqui* rursus persona Flii Dei naturalis per assumptionem humanitatis desinere non potuit. *Ergo* in Christo Iesu est una persona Filii Dei.

Ad Mai.: Subiectum praedicationis est persona. Si duo simpliciter, *ut duo supposita* subsistunt, quantumvis uniantur; nullo pacto denominationes unius alteri competunt. Non quia amicus quidquam facit, illud ipsum facio ego. Non quia templum Dei erigitur, Deus erigitur. Non quia vir sanctissimus aut propheta nascitur, moritur; Deus nascitur, moritur. *Ubi* ergo *unum subiectum denominationum, ibi una persona;* quia actiones et passiones sunt suppositorum.

Prob. Min.: In eodem textu *Mt.*, 16, 14. 16. « *Filius Dei vivi* » dicitur: « *Filius hominis* ». Ipse Christus de se ait: *Ioan.*, 8, 58: *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. Ioan.*, 10, 17: Propterea *diligit me Pater: quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Ioan.*, 16, 27. 28. *Ego a Deo exivi. Exivi a Patre et veni in mundum, iterum relinquo mundum et vado ad Patrem.* Idem ipse, qui ut homo Deum clarificavit super terram, opusque consummavit, quod Pater ei im-

posuerat; idem ipse dicit: se habere gloriam aeternam. *Ioan.*, 17, 5: *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate, quam habui prius, quam mundus esset apud te.*

Act. Ap., 20, 28: *Deus* acquisivit sibi ecclesiam *sanguine suo. Rom.*, 8, 32: « Filius Dei proprius » — morti traditus est. *Rom.*, 9, 5: *Christus* ex Israëlitis *secundum carnem* — est *Deus benedictus in saecula. Phil.*, 2, 6-8: Qui *in forma Dei* erat, aequalis Deo — factus est *oboediens usque ad mortem*, mortem autem crucis, estque *Dominus* in gloria Patris. *Ephes.*, 4, 10: *Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes caelos, ut impleret omnia. Colos.* 1, 14-17: *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius* —; *est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae, in ipso condita sunt universa in caelis et in terra... omnia per ipsum et in ipso creata sunt et omnia in ipso constant.*

Implicite ergo vel explicite dicitur: eundem prorsus esse, cui humana et divina conveniunt seu idem asseritur subiectum attributionis divinorum et humanorum.

Arg. 3. (E Doctrina Patrum). — *a*) Patres, qui *ante Conc. Ephesinum floruerunt* (a. 431) unicam personam Filii Dei Incarnati profitebantur implicite, inculcando *eundem esse*, qui Deus et qui homo: qui natus, passus, mortuus est et qui impassibilis, immutabilis, aeternus.

S. Ignatius in *Ep.* ad *Eph.* 1, 1, loquitur de « *sanguine Dei* », quo redempti sumus. *Eph.* 7, 2. *Medicus unus est et carnalis et spiritualis, genitus et ingenitus, in carne existens Deus*, in morte vita vera et ex Maria et ex Deo, primum passibilis et tunc impassibilis, Iesus Christus Dominus noster. *RJ.* 39. *Eph.* 18, 2. *Deus* noster Iesus Christus *in utero gestatus est* a Maria. *RJ.* 42.

S. Melito Sardensis, *Fragm.*, 7. Cum *idem* Deus simul et homo perfectus esset, duas naturas nobis patefecit. *RJ.* 189.

S. Irenaeus, *Adv. Haer.*, 3, 16, 9. Si alter quidem passus est, alter autem impassibilis mansit; et alter quidem natus est, alter vero in eum, qui natus est, descendit et rursus reliquit eum, non unus, sed duo monstrantur. Nolite errare, *unus et idem est Christus Iesus Filius Dei*, qui per passionem reconciliavit nos Deo et resurrexit a mortuis... *Ipse enim vere salvavit, ipse est Verbum Dei, ipse Unigenitus a Patre*, Christus Iesus Dominus noster. *RJ.* 218.

S. Hippolitus, *C. Haer. Noëti*, 15. Qualem *Filium suum Deus per*

carnem misit, nisi *Verbum, quod Filium vocavit,* quia futurum erat, ut ortum caperet? Et cum Filius vocatur, commune nomen amoris erga homines sumit. Neque enim Verbum sine carne et per se perfectus erat Filius, licet fuerit perfectum Verbum, unigenitus. *Neque caro per se sine Verbo subsistere poterat, quia in Verbo habet subsistentiam. Sic* ergo *unus Filius Dei perfectus* manifestatus est. *RJ.* 393.

Origenes, *De Principiis*, 2, 6, 3. *Filius Dei mortuus dicitur, pro ea scl. natura, quae mortem utique recipere poterat,* et Filius hominis appellatur, qui venturus in Dei Patris gloria cum sanctis angelis praedicatur. Et *hac de causa per omnem scripturam tam divina natura humanis vocabulis appellatur, quam humana natura divinae nuncupationis insignibus decoratur.* Magis enim de hoc quam de ullo alio dici potest, quod scriptum est, quia *erunt ambo in carne una et iam non sunt duo, sed caro una* (*Gen.* 2, 24). *Magis* enim *Verbum Dei* cum anima in carne una esse, quam vir cum uxore, putandus est. *RJ.* 460.

S. Ephraem, *Sermo* 6, 9. Impassibilis cum sit Deus, ipse passibilis et impassibilis fuit. Non, ut dicunt hodie, corpus tantum cruci affixum fuit. Sed, sicut ego credo, *Deus homo crucifixus est.* Qui voce magna clamavit et expiravit latusque lancea perforatum habuit, *ipse est Deus absconditus.* Voce clamavit et sol obscuratus est; *unus est in divinitate et humanitate absque divisione.* Humana nostra natura gratias agat enti spirituali, quod corpus induit, et *confiteatur illum non duos sed unum esse ex Patre et ex Maria; qui in duos eum dividit, non gaudebit cum eo* in Eden. *RJ.* 709.

S. Athanasius (?), *C. Apollin.*, 1, 12. Quapropter *errant, qui dicunt alium esse, qui passus est Filium et alium qui passus non est. Non enim alius est quam ipsum Verbum, quod passionem et mortem susceperit. Caro secundum naturam propria Deo facta est,* nec tamen consubstantialis est Verbi deitati; quasi illi coaeterna esset, sed propria illi secundum naturam facta et indivisibilis propter unionem. *RJ.* 797. (Cfr. *RJ.* 795, 799).

S. Cyril. Hieros., *Catech.* 13, 6. Neque vilis erat homo, *qui patiebatur,* sed *Deus inhumanatus,* deque oboedientiae praemio decertans. *RJ.* 830. (Cfr. *RJ.* 831, 909, 1044).

S. Epiphanius, *Ancoratus*, 93. Non in homine spes est salutis nostrae. Nemo enim omnium hominum, qui ex Adam orti sunt, potuit nostram operari salutem. Hinc, e nostra carne veniens *Dominus carnem assumpsit et homo nobis similis factus est Deus Verbum,* ut in sua divinitate daret nobis salutem et in sua humanitate pateretur pro nobis hominibus. *Passio carnis in ipso divinitati tributa est,* licet nihil ipsa passa sit, ut mundus spem haberet non in homine sed *in homine Dominico. RJ.* 1089.

S. Ambrosius, *De Incarn. Dom.*, 5, 35. Adversus omnes generalis ista est fides, quia Christus est Dei Filius et sempiternus ex Patre et natus ex Maria Virgine. Cum Deus semper esset aeternus, incarnationis sacramenta suscepit, *non divisus sed unus; quia utrumque unus et unus in utroque*; non enim alter

ex Patre, alter ex Virgine, sed *idem* aliter ex Patre, aliter ex Virgine. *RJ.* 1288.

S. Cyrill. Alex., *Ep.* 39. Confitemur Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei Unigenitum Deum esse perfectum et hominem perfectum ex anima rationali et corpore constitutum... *Eundem* ipsum propter nostram salutem ex Maria Virgine secundum humanitatem, *eundem* Patri consubstantialem secundum divinitatem et nobis consubstantialem secundum humanitatem. *Duarum* enim *naturarum facta est unio et propterea unum Christum, unum Filium, unum Dominum confitemur. RJ.* 2060.

b) Patres *formaliter explicite docuerunt* in Iesu Christo unam esse personam Filii Dei.

Tertullianus, *Adv. Praxeam*, 27. Videmus duplicem statum, non confusum, sed coniunctum, *in una persona, Deum et hominem Iesum* et adeo salva est utriusque proprietas substantiae, ut et spiritus res suas egerit in illo, id est, virtutes et opera et signa et caro passiones suas functa sit, esuriens sub diabolo, sitiens sub Samaritide, flens Lazarum, anxia usque ad mortem. *RJ.* 379.

S. Hieronymus, *Ep.* 120, 9 *ad Hedibiam*, Gloria salvatoris patibulum triumphantis est. Crucifigitur ut homo, glorificatur ut Deus. Haec dicimus, *non* quod *alium Deum et alium hominem esse credamus et duas personas faciamus* in uno Filio Dei, sicut nova haeresis calumniatur: sed *unus atque idem Filius Dei et Filius hominis est. RJ.* 1354.

S. Augustinus, *Enchiridion,* 35. Christus Iesus, Dei Filius, est et Deus et homo. Deus ante omnia saecula, homo in nostro saeculo. Deus, quia Dei Verbum, Deus nim erat Verbum. Homo autem, quia *in unitatem personae accessit Verbo anima rationalis et caro. Unus* Dei Filius, *idemque* hominis Filius, unus hominis filius, *idemque* Dei Filius; *non duo* Filii Dei, Deus et homo, sed *unus* Dei Filius. *ML.* 40, 249, 250; *De Trinit.*, 15, 26, 46. *Quoniam unxit eum Deus Spiritu Sancto* (*Act.* 10, 38). Nec sane tunc unctus est Christus Spiritu Sancto, quando super eum baptizatum velut columba descendit; sed ista mystica unctione tunc intelligendus est unctus, quando *Verbum* Dei *caro factum est,* id est, quando *humana natura,* sine ullis praecedentibus bonorum operum meritis, *Deo Verbo est in utero Virginis copulata, ita ut cum illo fieret una persona. RJ.* 1680. *C. Serm. Arian.*, 8. *Filius Dei dicitur crucifixus et sepultus,* quamvis haec non in divinitate ipsa, qua est Unigenitus Patri coaeternus, sed in humanae naturae sit infirmitate perpessus. *Hanc unitatem personae Christi Iesu Domini nostri sic ex natura utraque constantem,* divina scl. et humana, ut quaelibet earum vocabulum etiam alteri impertiat et divina humanae et humana divinae, beatus ostendit Apostolus. *RJ.* 1859. (Cfr. *RJ.* 1518, 1842, 2056).

Pars. II. — Humanitas et divinitas Iesu Christi uniuntur hypostatice.

Arg. 1. (E Symbolis et Concilius). — *Symbolum Epiphanii*: Filius Dei in seipsum effectam illam carnem transtulit et in unam ac sanctam singularitatem, εἰς μίαν ἁγίαν ἑνότητα coniunxit, non ad eum modum, quo prophetis aspiravit, ἐνέπνευσε, sed homo perfectus esse voluit; *Verbum* quippe, *caro factum est*: neque aut mutationem ullam est expertum, aut divinitatem suam in naturam convertit hominis, *sed in unam sanctam perfectionem*, εἰς μίαν συνενώσαντα ἑαυτοῦ ἁγίαν τελειότητα, divinitatemque copulavit; unus enim Dominus Iesus Christus non duo. *DB*. 13.

Symb. « *Quicumque* »: Licet Deus sit et homo, non duo tamen sed unus est Christus; unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum, *unus omnino non confusione substantiae, sed unitate personae*. Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus. *DB*. 40.

Anathem. Cyrilli. Can. 2. Si quis non confitetur *carni secundum subsistentiam*, καθ' ὑπόστασιν, unitum Dei Patris Verbum. A. S. *Can.* 3. Si quis in uno Christo dividit substantias, τὰς ὑποστάσεις, post unitionem, sola eas connexione coniungens ea, quae secundum dignitatem est, vel etiam auctoritatem aut potestatem, ac non potius *conventu, qui per unitatem factus est naturalem*, τῇ καθ' ἕνωσιν φυσικήν, A. S. *DB*. 114, 115 (cfr. *DB*. 123, 148).

Anathem. de tribus Cap. Can. 4. Si quis dicit, secundum gratiam, vel secundum operationem, vel secundum dignitatem, vel secundum aequalitatem honoris, vel secundum auctoritatem, aut relationem, aut affectum, aut virtutem, *unitionem* Dei Verbi ad hominem factam esse, vel secundum bonam voluntatem, quasi quod placuit Deo Verbo homo, eo quod bene visum est ei de ipso, sicut Theodorus dicit: vel secundum homonymiam,

per quam Nestoriani Deum Verbum Filium et Christum vocantes, et hominem separatim Christum et Filium nominantes et *duas personas evidenter dicentes, per solam* nominationem et dignitatem et adorationem, *unam personam*, unum Filium et unum Christum confingunt dicere: sed non confitetur *Dei Verbi ad carnem animatam anima rationabili et intellectuali, secundum compositionem sive secundum subsistentiam factam esse*, κατὰ σύνθεσιν ἤγουν καθ' ὑπόστασιν, sicut Sancti Patres docuerunt et ideo *unam eius subsistentiam compositam*, qui est Dominus (noster) Iesus Christus, unus de Sancta Trinitate, talis A. S. Cum enim multis modis unitas intelligitur..., sancta Dei ecclesia (Theodori et Nestorii) perfidiae impietatem reiciens, *unitionem Dei Verbi ad carnem secundum compositionem confitetur, quod est secundum subsistentiam. DB.* 216 (cfr. *DB.* 220, 226).

Lateran. (a. 649) *Can.* 8. Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem *naturarum substantialem unitionem indivise et inconfuse* in eo cognitam, condemnatus sit. *DB.* 261.

Conc. Romanum (a. 680). Unum eumdemque Dominum nostrum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum... salva proprietate utriusque naturae et *in unam personam unamque subsistentiam* concurrente, non in dualitatem personarum dispertitum vel diversum, neque in unam compositam naturam confusum: sed unum eundemque Filium unigenitum, Deum Verbum... neque alium in alio, neque alium et alium, sed *eundem ipsum in duabus naturis*, id est, in deitate et humanitate et *post substantialem adunationem* cognoscimus. *DB.* 288 (cfr. *DB.* 344, 429).

Profess. fidei Orient. (a. 1743). Unum eundemque Christum Filium Dominum unigenitum in duabus naturis inconfuse... salva proprietate utriusque naturae *in unam personam* atque substantiam concurrente, *non in duas personas partitum* aut divisum. *DB.* 1463.

Arg. 2. (E Prologo S. Ioannis: v. 14). — S. Ioanne teste, *Verbum caro factum est. Atqui* Verbum, nonnisi per unionem hypostaticam divinitatis et humanitatis, caro factum est. *Ergo* humanitas et divinitas hypostatice uniuntur. *Prob. Min.* Unum aliud fieri potest: *aut* mutatione substantiali, unius in aliud; *aut* unione hypostatica unius ad hypostasim alterius. Si unum suppositum, retinendo suam suppositalitatem, cum altero dumtaxat accidentaliter, non secundum hypostasim, unitur; *unum non fit aliud*, non evadit unum attributionis subiectum. *Porro* secundum attestationem S. Ioannis Verbum *factum* est caro. *Non* autem *per mutationem substantialem* Verbi in carnem, nec carnis in Verbum. *Ergo* Verbum caro factum est unione hypostatica divinitatis et humanitatis in persona Verbi.

Exegesis haec est *traditionalis*: iam catechumenis in Oriente ita exponebatur Prologus, ut patet ex *Symbolo Epiphanii*: « *Verbum*, quippe *caro factum est;* neque aut mutationem ullam est expertum, aut divinitatem suam in naturam convertit hominis, sed in unam sanctam perfectionem divinitatemque copulavit; unus enim est Dominus Iesus Christus, non duo ». *DB.* 13. Subtiliter commentatur hunc versiculum *S. Thomas*: « Quaeritur, quare Evangelista non dixit: « Verbum carnem assumpsit »; sed potius, « *Verbum caro factum est* ». Respondeo dicendum, quod hoc ideo fecit, ut excluderet errorem Nestorii, qui dixit in Christo fuisse duas personas et duos filios et alium esse filium Dei, alium filium Virginis: unde non concedebat, quod Beata Virgo esset mater Dei. Sed secundum hoc Deus non esset factus homo; quia impossibile est, quod duorum singularium, quae diversa sunt secundum suppositum, unum praedicetur de alio. Unde *si alia est persona Verbi, seu suppositum et alia persona hominis seu suppositum in Christo, tunc non erit verum, quod dicit Evangelista*: *Verbum caro factum est*: ad hoc enim fit aliquid, ut sit. Si ergo Verbum non esset homo, non posset dici, quod Verbum sit factum homo. Et ideo signanter Evangelista dixit, « *Factum est* » et non dixit. « assumpsit » (S. Thom., *Evangel. Ioannis, Cap.* I, *Lect.* 7).

Arg. 3. (E Doctrina Patrum).

Tertullianus, *Adv. Prax.*, 27. Videmus duplicem statum non confusum sed *coniunctum, in una persona,* Deum et hominem et adeo salva est utriusque proprietas substantiae. Quodsi tertium quid esset, ex utroque con-

fusum, ut electrum, non tam distincta documenta parerent utriusque substantiae, sed et spiritus carnalia et caro spiritualia egisset ex translatione, aut neque carnalia neque spiritualia, sed tertiae alicuius formae ex confusione. *RJ.* 379.

S. Ephraem, *Sermo*, 4, 6, 9. In divinitate et humanitate, quae *hypostatice unitae fuerunt*, in humanitate, qua usus est divinitus et humanitus, in dominatione et subiectione, in re et actione *Filius Dei, qui homo factus est, unus ipse est absque divisione. RJ.* 709.

Ps. Athanasius, *C. Apollin.*, 1, 12. Caro secundum naturam propria Deo facta est; *nec tamen consubstantialis est Verbi deitati*, quasi illi coaeterna esset, sed propria illi secundum naturam facta est et *indivisibilis propter unionem. Quod consubstantiale*, impassibile et mortis incapax est, *unionem cum consubstantiali non admittit secundum hypostasin*, sed secundum naturam; porro *secundum hypostasin propriam perfectionem exhibet* (Verbum inhumanatum). *RJ.* 797.

S. Gregor. Naz., *Ep.* 101 *ad Cledon* Si quis sanctam Mariam deiparam esse non credit, extra divinitatem est. Si quis formatum (in utero Mariae) hominem fuisse, Deumque postea subintrasse dicat, damnabilis est; hoc enim non Dei generatio est, sed generationis fuga. Ut paucis dicam, aliud quidem et aliud sunt ea, ex quibus constat Salvator; non tamen alius est atque alius, absit! *Ambo enim unum sunt per coniunctionem* (συγκράσει), Deo humanitatem et homine divinitatem suscipiente, aut quocumque verbo id exprimere velis. Dico autem aliud et aliud, *secus atque in Trinitate se habet;* illic enim alius est et alius, ne personas confundamus, non autem aliud et aliud, cum tria unum sint et idem quoad divinitatem. *RJ.* 1017.

S. Epiphanius, *Panar.*, 77, 29. Non duos Christos habemus, aut duos reges Dei Filios, sed eundem Deum, eundem hominem, *non* quod *Verbum habitavit in homine*, sed quod ipsum totum factum est homo. *Verbum caro factum est.* Non dixit caro facta est Verbum, quo nimirum ostenderet imprimis Verbum descendisse de caelo et *in seipso subsistentem fecisse*, ὑποστήσαντα, carnem ex utero sanctae virginis, integramque humanam naturam perfecte in seipsum affinxisse. *RJ.* 1109.

S. Augustinus, *Sermo* 186, 1, 1. Idem Deus, qui homo, et qui Deus, idem homo, *non confusione naturae, sed unitate personae.* Denique, qui Filius Dei generanti est coaeternus semper ex Patre, idem filius hominis coepit ex virgine. Ac sic et Filii divinitati est addita humanitas; et tamen non est personarum facta quaternitas, sed permanet Trinitas. *RJ.* 1518. *Epist.* 137, 3, 11. Sic autem quidam reddi sibi rationem flagitant; quomodo Deus homini permixtus sit, ut una fieret persona Christi, cum hoc semel fieri oportuerit; quasi rationem ipsi reddant de re, quae cotidie fit, *quomodo misceatur anima corpori, ut una persona fiat hominis.* Nam *sicut in unitate personae* anima utitur corpore, ut homo sit; *ita in unitate personae Deus utitur homine, ut Christus sit. RJ.* 1431.

S. Cyril. Alex., *Ep.* 4 *ad Nestorium.* Neque dicimus Verbi naturam per sui mutationem carnem esse factam; sed neque in totum hominem transformatam ex anima et corpore constitutum; asserimus autem *Verbum, unita sibi secundum hypostasim carne animata rationali anima,* inexplicabili incomprehensibilique modo hominem factum et hominis filium extitisse, *non per solam voluntatem aut beneplacitum, sive per solam personae assumptionem...* Quodsi unionem secundum hypostasim tamquam incomprehensibilem indecentemque repudiaverimus, eo prolabimur, ut duos filios esse dicamus, Scriptura (autem) non dicit: Verbum hominis personam sibi associasse, sed carnem factum esse. *MG.* 77, 46; *BC.* 47 C; Idem, *Adv. Nestor,* 1, 1. Ista nobis audiet: Carnem factum esse illud ex Deo Patre *Verbum ait scriptura divinitus inspirata,* hoc est, *carni sine confusione et secundum hypostasim unitum;* neque enim alienum ab eo erat unitum illi corpus et natum ex muliere, sed ut suum cuique nostrum proprium est corpus, eodem etiam modo Unigeniti corpus proprium illi erat et non alterius; sic namque factus est etiam secundum carnem. *RJ.* 2128.

S. Ioan. Damascen., *De fide orthodoxa,* 3, 5. In divina et arcana unius Dei Verbi incarnatione duas quidem naturas, divinam scl. et humanam, *una coivisse et secundum hypostasim unitas esse confitemur,* ut una hypostasis, ex naturis duabus composita, facta fuerit. *RJ.* 2362. (Cfr. *RJ.* 2368).

Solvuntur Difficultates.

1. Christus non est una persona divina, si in ipso divinitas inhabitat. *Atqui* ita est, testantibus Paulo et Ioanne; *Coloss.,* 2, 9: *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter; Ioan.,* 2, 19, 21. *Solvite templum hoc* (inquit Iesus) *et in tribus diebus excitabo illud. Ille autem dicebat de templo corporis sui. Ergo* in Christo non est una persona divina.

Resp.: *Dist. mai.*: Si in ipso divinitas d u m t a x a t i n h a b i t a t. *C. mai.* Si in ipso inhabitat r a t i o n e u n i o n i s h y p o s t a t i c a e *N. mai. Ctrd. min.* S. Paulus et Ioannes affirmant corpus Christi verum templum divinitatis esse, *C. assert.* D u m t a x a t t e m p l u m esse corpus Christi, *N. assert.* Unio personalis non impedit, quominus corpus Christi verum templum et instrumentum divinitatis appelletur. « Inhabitatio Dei, inquit S. Thomas, qua sanctos inhabitat, est per operationem, i. e. per amorem et cognitionem, quod est solius mentis rationalis; sed i n C h r i s t o i n h a b i t a t p e r a s s u m p t i o n e m h o m i n i s i n u n i t a t e m p e r s o n a e. Unde quidquid pertinet ad hominem, totum inhabitatur, quia ambo sunt unita Verbo. Ex hoc *errat Nestorius, dicens, unionem factam per inhabitationem tantum* ». (*In Ep. ad Colos. Cap.* 2, *Lect.* 2). S. Ioannis evangelium explanans, « attendenda sunt, inquit *Angelicus,* verba: nam Christus corpus suum templum dicit. Et in nobis quidem habitat Deus secundum gratiam, scl. secundum actum intellectus et voluntatis, qui

non est actus corporis, sed animae tantum, sed *in Christo habitat secundum unionem in persona*, quae quidem unio non solum ipsam animam, sed et corpus includit: et ideo ipsum corpus Christi est templum Dei ». (*Ev. Ioan. Cap.* 2, *Lect.* 3).

2. S. Patres saepius dicunt: Verbum assumpsisse hominem, hominem perfectum, integrum ([1]). *Atqui* homo perfectus et integer personalitate humana non destituitur. *Ergo* secundum constantem doctrinam Patrum Verbum assumpsit quoque personalitatem humanam.

Resp.: *Dist. mai.*: Idque affirmant *contra Docetas et Apollinaristas*, realitatem et integritatem naturae humanae vindicando, *C. mai.* Etiam quidditatem personae humanae Christo tribuendo, *N. mai. Dist. min.* Si nomine « homo » individuum concretum, per se subsistens intelligitur, *C. min.* Si nomine « homo » integra natura humana intelligitur, *N. min.* Apud S. Patres sicut et in sermone obvio saepe concreta nomina pro abstractis ponuntur.

3. Si una esset in Christo persona eaque divina, vera quoque esset propositio: « *Unus de Trinitate passus est* ». *Atqui* haec propositio non est vera et ab Hormisda damnata fuit. *Ergo* in Christo non est una persona divina.

Resp.: *C. mai. N. Min.*: Quoad Hormisdam distinguo: Hormisdas vituperavit hanc propositionem in sensu monophysitico, qui a Monachis Scythis subdole supponebatur, *C. min.* Damnavit eam simpliciter et absolute, *N. Min.* ([2]). Sensum omnino catholicum huius propositionis explicavit et comprobavit *Ioannes II* (a. 534). *DB.* 201, 202.

4. In Christo Iesu anima et corpus non sunt minoris virtutis quam in aliis hominibus. *Atqui* in aliis hominibus ex unione animae et corporis constituitur humana persona. *Ergo* in Christo Iesu est persona humana.

Resp.: *C. mai. Dist. min.*: Si corpus et anima non fuerunt assumpta ab altiori hypostasi, *C. min. Si* fuerunt assumpta, *N. min. Dist. conseq.* In Christo ex unione animae et corporis esset persona, si anima et corpus non assumerentur a Verbo, *C. conseq.* Adest persona humana, *N. conseq.* « Dicendum, quod hac ratione moti videntur illi, qui negaverunt unionem animae et corporis in Christo; ne per hoc scl. cogerentur personam novam vel hypostasim in Christo in-

([1]) Plures textus videsis: P. Galtier, *De Incarnatione*, p. 77-80.

([2]) Recte Tixeront, *Histoire des dogmes*, III[7], p. 132: Hormisdas temporisa, *essaya d'une sorte de réfutation et finalement ne donna aucune décision.* Il se plaignit seulement amèrement à l'évêque Possessor, exilé à Constantinople, de l'indiscrétion des moines venus à Rome (*Ep.* 70. *M. L.* 63, 490).

ducere; quia videbant, quod *in puris hominibus ex unione* animae ad corpus *constituitur persona;* sed hoc ideo in puris hominibus accidit, quia anima et corpus *sic coniunguntur in eis, ut per se existant*: sed in Christo uniuntur ad invicem, *ut adiuncta alteri* principaliori, quod subsistit in natura composita ex eis et *propter hoc* ex unione animae et corporis in Christo non constituitur nova hypostasis seu persona; sed advenit ipsum coniunctum personae seu hypostasi praeexistenti; nec propter hoc sequitur, quod sit minoris efficaciae unio animae et corporis in Christo quam in nobis; quia *ipsa coniunctio ad nobilius non adimit virtutem aut dignitatem, sed auget* » (*S. Th.*, q. 2, a. 5 ad 1).

5. Christus non est aequivoce homo. *Atqui* si humanitas Christi hypostatice uniretur Verbo, Christus esset dumtaxat aequivoce homo. *Ergo. Prob. min.*: Praeter rationem univocam hominis est, de sui ratione habere divinam hypostasim. *Atqui* si eadem est hypostasis Christi quam hypostasis Verbi, hypostasis divina pertinet ad rationem Christi hominis. *Ergo* si humanitas Christi hypostatice uniretur Verbo, Christus non esset univoce homo, sed aequivoce.

Resp.: *C. mai. N. min.*: Rationem allatam distinguo: Praeter, immo contra rationem formalem naturae humanae, prout naturae, est, ut per hypostasim divinam subsistat, *N. mai.* Praeter rationem univocam *suppositi humani,* prout suppositi, est, ut per divinam hypostasim subsistat, *C. mai. Ctrd. min.* Hypostasis divina pertinet *ad rationem formalem hypostasis* Christi hominis, *C. min.* Pertinet *ad rationem formalem* et constitutivam *humanae naturae* Christi, *N. min.* « Dicendum, quod in rebus creatis res aliqua singularis non ponitur in genere vel in specie ratione eius, quod pertinet ad eius individuationem, sed ratione naturae, quae secundum formam determinatur; cum individuatio magis sit secundum materiam in rebus compositis; sic ergo dicendum est, quod Christus est in specie humana ratione naturae assumptae, non ratione ipsius hypostasis » (*S. Th.*, q. 2, a. 3 ad 3).

6. Si repugnat, ut humanitas idem sit substantialiter quam natura divina, repugnat quoque ut humanitas substantialiter cum divinitate in hypostasi Verbi uniatur; nam in divinis hypostasis et natura realiter non differunt. *Atqui* repugnat, ut humanitas idem sit substantialiter quam natura divina. *Ergo* repugnat quoque, ut humanitas substantialiter in hypostasi Verbi uniatur cum divinitate.

Resp.: *N. mai* et *nego paritatem.* Apprime haec duo distinguntur: esse aliquid substantialiter idem cum alio; et uniri cum alio substantialiter! Etsi repugnet, ut humanitas idem *sit* substantialiter quam divina natura i. e. ut in substantiam divinam transmutetur et vicissim divinitas in humanitatem; non tamen repugnat, ut humanitas, manendo integra in ratione naturae humanae, cum hypostasi divina *uniatur.*

Immo, cum quadam restrictione dici potest, quod humanitas a natura divina *assumi* et cum natura divina substantialiter *uniri posset* (cfr. *S. Th.*, q. 3, a. 2-3). Tunc tamen natura divina ut aliqua hypostasis absoluta consideratur.

7. Duae substantiae perfectae in unum aliquod substantiale convenire non possunt. *Atqui* divinitas et humanitas in Christo sunt duae substantiae perfectae. *Ergo* divinitas et humanitas in Christo substantialiter uniri non possunt.

Resp.: *Dist. mai.*: Duae substantiae perfectae non possunt constituere aliquod unum substantiale in ratione naturae, in qua sunt perfectae, *C. mai.* In ratione personae, *subdist. mai.* Si ambae sunt *eiusdem ordinis* et finitae, *C. mai.*, si alterutra est *diversi ordinis* et infinita, *N. mai. C. min. Dist. Conseq.* « Non contingit in rebus creatis, inquit S. Thomas, quod idem numero subsistere possit diversis essentiis vel naturis; sed unus et idem Christus subsistit in duabus naturis » (*S. Th.*, q. 2, a. 3 ad 1).

8. Quae sunt diversi generis, et a fortiori diversi ordinis, in unum substantiale convenire non possunt, v. g. ex linea et albedine non fit unum, nisi per accidens. *Atqui* Verbum Dei est extra omne genus et est ordinis divini. *Ergo* cum humanitate non coniungitur substantialiter.

Resp.: *Dist. mai.*: Non possunt convenire in substantialiter unam essentiam seu naturam, *C. mai.* In substantialiter unum suppositum, *N. mai. C. min. Dist. Conseq.*

9. Quod perfecto advenit, accidentaliter ei unitur. *Atqui* humanitas Christi perfectissimo Verbo advenit. *Ergo* humanitas Christi Verbo accidentaliter unitur.

Resp.: *Dist. mai.*: Quod perfecto advenit et non trahitur ad primum esse ipsius, *C. mai.* Quod vero ad tale esse trahitur, *N. mai. Ctrd. min.* « Dicendum, quod illud, quod advenit post esse completum, accidentaliter advenit, *nisi trahatur in communionem illius esse completi*: sicut in resurrectione corpus adveniet animae praeexistenti, *non tamen accidentaliter*, quia ad idem esse assumetur, ut scilicet corpus habeat esse vitale per animam; non est autem sic de albedine; quia aliud est esse albi et aliud esse hominis, cui advenit albedo: Verbum autem Dei ab aeterno esse completum habuit secundum hypostasim, sive personam: ex tempore autem advenit ei natura, *non quasi assumpta ad unum esse, prout est naturae*, sicut corpus assumitur ad esse animae; sed ad unum esse, prout est hypostasis vel personae; et ideo humana natura non unitur accidentaliter Filio Dei » (*S. Th.*, q. 2, a. 6 ad 2).

10. Quod novam naturam ad unitatem substantialem trahit, substantialiter mutatur. *Atqui* Verbum Dei per assumptionem humanitatis substan-

tialiter non mutatur. *Ergo* Verbum Dei humanam naturam ad substantialem unionem non traxit.

Resp.: Quod aliquam naturam ad unitatem suae hypostasis trahit; hypostasis dico, quae ante unionem praeexistebat, haec hypostasis substantialiter mutatur, *N. mai.* Natura assumpta substantialiter mutatur, *subd. mai.* Mutatur in ratione naturae, *N. mai.*, in ratione suppositi mutatur substantialiter hoc sensu, quod per altiorem, infinitam hypostasim subsistit, *C. mai. C. min. Dist. Conseq.*

11. Quod non pertinet ad essentiam alicuius, unitur ei accidentaliter. *Atqui* natura humana non pertinet ad essentiam Verbi. *Ergo* natura humana unitur Verbo accidentaliter.

Resp.: *Dist. mai.*: Quod non pertinet ad essentiam neque ad hypostasim alicuius, unitur ei accidentaliter, *C. mai.* Quod non pertinet quidem ad essentiam alicuius et tamen pertinet ad hypostasim eiusdem, unitur ei accidentaliter, *N. mai. Dist. min.* Natura humana *ut sic* non pertinet ad essentiam Verbi, *C. min.* Ut concrete existit, *subd. min.* Non pertinet ad essentiam Verbi unione essentiali, *C. min.* Unione hypostatica, *N. min.* « Sufficit ad hoc, quod non sit unio accidentalis, quod *sit facta unio secundum hypostasim*, licet non sit facta unio secundum naturam » (*S. Th.*, q. 2, a. 6 ad 3).

12. Accidens potest adesse et abesse sine subiecti corruptione. *Atqui* humanitas Christi potest adesse et abesse sine Verbi corruptione. *Ergo* humanitas ut accidens Verbo unitur.

Resp.: *Dist. mai.*: Quod trahitur ad esse primum illius subiecti, *N. mai.* Quod non trahitur ad unum esse substantiale subiecti, *C. mai. Dist. min.* Sine mutatione Verbi qua Verbi, *C. min.* Sine mutatione Dei-hominis qua hominis, *N. min.* Deus-homo, Verbum incarnatum existit in suppositione assumptionis naturae humanae. Deus-homo desinit, si humanitatem amittit; Deus-homo non existit, si carnem ad suam personam non trahit.

13. Persona est rationalis naturae individua substantia. *Atqui* humanitas Christi est substantia rationalis individua. *Ergo* natura humana Christi est persona.

Resp.: *Dist. mai.*: Est individua perfecte i. e. sub omni respectu incommunicabilis, *C. mai.* Secus, *N. mai. Ctrd. min. Explico*: « Dicendum, inquit Angelicus, quod *substantia individua*, quae ponitur in definitione personae, importat substantiam completam per se subsistentem separatim ab aliis: alioquin manus hominis posset dici persona, cum sit substantia quaedam individua: quia tamen est substantia *individua, sicut in alio existens*, non potest dici persona: et eadem ratione nec natura humana in Christo, quae tamen potest dici individuum, vel singulare quoddam » (*S. Th.*, q. 6, a. 12 ad 2).

14. Humanitas Christi est res naturae. *Atqui* res naturae importat personam. *Ergo* humanitas Christi per se est persona.

Resp.: *Dist. mai.*: Est res naturae ultimo perfecta, incommunicabilis, *N. mai.* Humanitas Christi per se non est ultimo perfecta, incommunicabilis, *C. mai. Ctrd. min. Explico*: « Sicut persona significat quid completum et per se subsistens in natura rationali; ita *hypostasis, suppositum et res naturae* in genere substantiae significat quiddam per se subsistens; unde sicut *humana natura non est per se persona seorsim a persona Filii Dei*; ita etiam non est per se hypostasis vel suppositum vel res naturae ». (*S. Th.*, q. 16 *a* 12 *ad* 3).

15. Substantia est id, quod per se subsistit. *Atqui* humanitas Christi est substantia. *Ergo* humanitas Christi per se subsistit seu est persona.

Resp. Dist. mai. Per se subsistit i. e. cui convenit in se existere et non inhaerere alio tamquam subiecto inhaesionis, *C. mai.* Per se subsistit i. e. quaevis substantia per se et seorsim existit, *N. mai. Dist. min.* Humanitas non inhaeret Verbo tamquam subiecto inhaesionis. *C. min.* Existit per se seorsim, *N. min.*

16. Humanitas Christi habet omnia, quae ad dignitatem humanae naturae pertinent. *Atqui* personalitas ad dignitatem humanae naturae pertinet. *Ergo* humanitas Christi habet etiam personalitatem humanam.

Resp. Dist. mai. Quae pertinent ad dignitatem vel formaliter vel aequivalenter, *C. mai.* Semper et dumtaxat formaliter, *N. mai. Dist. min.* Personalitas propria vel aliena, *C. min.* Semper et dumtaxat propria, *N. min. Explico*: Humanitas Christi habet omnia, quae pertinent ad suam dignitatem *vel* formaliter in seipsa, *vel* aequivalenter in alio meliori. Huiusmodi disiunctiva, ut animadvertit *Mingoja* (*De Unione Hypostatica*, p. 205), admittenda est; quia personalitas non est constitutiva naturae intrinsece, nec est proprietas formalis naturae; sed *in tantum ad dignitatem naturae pertinet, in quantum per se existere importat.* Multo autem melius et dignius est alicui, quod in aliquo digniori existat quam in se, et ideo humana natura est dignior in Christo existens in Verbi persona, quam in nobis in propria personalitate.

17. Persona Verbi non continetur in aliquo genere et specie. Atqui Christus, ut homo continetur sub supecie humana. *Ergo* Christus, ut homo, est persona humana.

Resp.: *C. mai. Dist. min.* Christus est sub specie humana ratione naturae humanae assumptae, *C. min.* Ratione ipsius hypostasis, *N. min. Nego Conseq.* Genus et species determinantur a natura, non a persona.

18. Ubi sunt duae generationes, ibi etiam sunt duae personae. *Atqui* in Christo sunt duae generationes. *Ergo* in Christo sunt duae personae.

Resp.: *Dist. mai.* Ubi sunt duae generationes et secundum hypostasim, quae generatione producitur et secundum naturam, *C. mai.* Ubi sunt duae generationes dumtaxat secundum duas naturas eiusdem hypostasis, quae generationi praexistit, *N. Mai. Ctrd. min.* Eadem infinita hypostasis terminare potest duas generationes, in quantum duas naturas per generationem possidet.

Thes. 5. — Quoniam subsistentia neque in mera negatione assumptibilitatis vel assumptionis, neque in totalitate entis in se formaliter consistit; unitas hypostatica inexacte explicatur, cum humanitas Christi a Verbo tantum assumpta, a Verbo non divisa, non tota in se existere dicitur.

Cl. Tiphanus, *De Hypostasi et Persona*, Parisiis 1881[2]; Fr. Abert, *Die Einheit des Seins in Christo und die Lehre des hl. Thomas von Aquin*, Regensburg 1889; Fr. Schmid, *Quaestiones Selectae, De esse physico unionis hypostaticae*, Paderbornae 1891; I. B. Terrien, *Doctrina sincera S. Thomae Aquinatis de unione hypostatica Verbi Dei cum humanitate*, Parisiis 1894; A. Cappellazzi, *La persona nella dottrina di S. Tommaso d'Aquino*, Siena 1899; A. Michel, *Union hypostatique*, DTC. 13, 437-567; I. Dalmau, *De Ratione suppositi et personae secundum S. Thomam*, Barcinonae 1923; D. Mincoja, *De Unione hypostatica*, Catanae 1926.

Status Quaestionis.

1. Unionem hypostaticam humanitatis cum Verbo quod attinet, *quatuor definita sunt*: *a*) Unicam in Christo dari hypostasim eamque divinam Verbi. *b*) Christum humana personalitate carere, quamvis etiam post unionem natura humana Iesu singularis et integra perseveret. *c*) Hanc singularem naturam humanam Christi secundum hypostasim, in ratione personae Verbi cum divina natura uniri. *d*) Unionem in ratione hypostasis substantialem per se, non vero accidentalem esse.

Quibus ex fide admissis, profundiorem huius *mysterii intelligentiam quaerimus*, sciscitando: cur, ob quam rationem formalem singularis natura humana Christi, post unionem integra perseverans, persona humana non sit seu humana subsistentia,

privetur? Cur et ob qualem rationem formalem unio humanitatis et divinitatis in persona divina Verbi substantialis sit? Responsum commune, fide certum in promptu est tale: Quoniam *hypostasis Verbi* modo eminentissimo et ineffabili *vices humanae personae supplendo, functionem hypostaticam in humanam naturam extendendo, hanc sustentat, subsistere facit, et secum hypostatice substantialiter unit.* Quamvis igitur in Christo duae sint naturae, Christus unum est numero suppositum, Θεάνθρωπος.

Quibus praestitutis, intellectus nondum contentus quiescit, exactiorem determinationem rationis formalis investigando: cur humanitas Christi personalitate humana careat, cur unio hypostatica sit substantialis? Proh dolor! In hac laboriosa investigatione Theologos catholicos inter se dissidentes videt; quippe qui secundum diversa systemata scholarum in diversa ratione constitutivum formale hypostasis humanae collocarint et consequenter diversam rationem assignarint: cur singularis natura humana Christi personalitate humana careat, cur unio duarum naturarum in hypostasi Verbi substantialis sit. *Cardo* igitur *controversiae,* prout ex modo dictis patet, vertitur circa hoc: in quo ratio formalis personae humanae seu subsistentia consistat.

2. Non obstante dissensu, *Theologi in quibusdam* amice *conveniunt*: *a*) Una eademque est omnium sententia: unionem hypostaticam (prout ab actione uniendi distinguitur) [1], illam relationem esse, per quam natura singularis Christi ad Verbum refertur ita, ut Verbum sit Deus-homo; unionemque ipsam per se substantialem, non accidentalem esse.

---

[1] *Unio active* (seu « unitio ») est illa mirabilis operatio divina, per quam humanitas Christi ad hypostasim Verbi tracta est. *Unio passive* est convenientia humanitatis et divinitatis in ratione personae Verbi; seu est status inductus per unionem activam. *Unio formaliter seu unitas est* illa ratio sub qua et in qua unita conveniunt. Unitio efficit unionem in unitate. Loquimur in thesi non de unione active, sed de unione formaliter considerata.

b) Consentiendo in nominali definitione personae, omnes unanimiter docent: naturam singularem a persona saltem ratione ratiocinata seu sic dicta distinctione virtuali maiore distingui.

c) Nullo prorsus dissentiente, inter omnes constat: nomen subsistentiae vel concrete vel abstracte sumi. *Subsistentia concrete* spectata idem est ac persona, idem ac suppositum existens. In antiquis documentis traditionis quandoque nomine « subsistentia » ὑπόστασις, persona designatur. (Cfr. *DB*. 201, 213, 216, 217, 288, 292). Apud recentiores *subsistentia abstracte* sumitur estque ratio illa formalis, per quam persona in esse personae constituitur. De his ambigit nemo!

3. Discordia vero incipit, cum ad exactiorem determinationem rationis formalis, qua persona constituitur, ventum fuerit. De constitutivo formali personae seu de subsistentia quinque opiniones circumferuntur: *Scotistica, Tiphani, Suarezii, Cajetani, Capreoli*. Ad duas tamen contradictorie oppositas reducuntur. *Prima sententiarum classis* (Scotistico-Tiphaniana) per rationem formalem personae seu per subsistentiam naturae singulari nullam realitatem, realiter distinctam, superaddi arbitratur. *Secunda sententiarum classis* (*Suarezii, Cajetani, Capreoli*) per subsistentiam et cum subsistentia aliquam realitatem ontologicam naturae singulari advenire, ab eaque aliquomodo realiter distingui asseverat. Iuxta opinionem primam humanitati Christi nihil ontologici deest ad hoc, ut persona humana evadat. A ratione personae humana natura Christi deficit per solam assumptionem a Verbo. Iuxta placita opinionis secundae humanitas Iesu aliquo reali ontologico destituitur adeoque propria et connaturali personalitate caret; cum autem Verbum vices huius realitatis sua personalitate eminenter suppleat, natura humana, substantialiter, secundum hypostasim Verbo unitur.

4. In thesi 5ª primam opinionum seriem exponemus et crisi subiciemus. In thesi 6ª de secunda sententiarum classe sermo erit. Refutando opiniones, quae, ut nos arbitramur, cum certis

et tenendis principiis non satis cohaerent [1], nulli illarum censuram theologicam inurimus; quippe quae optimorum Catholicorum et magni nominis Theologorum sint! Thesis 5ª in duas partes dividetur: In I Parte de explicatione mysterii per Scholam Scotisticam proposita loquemur. In II Parte de explicatione Tiphanistica disseretur.

Pars I. — Subsistentia formaliter in negatione assumptionis vel assumptibilitatis non consistit; adeoque unio hypostatica non explicatur per hoc, quod humanitas Christi assumpta non in se existere dicitur.

A) Expositio opinionis Scotisticae.

Scotus († 1308, *In IV Sent.*, l. 3, dist. 1, q. 1, n. 5 seq.; dist. 5, q. 2, n. 4, 5; dist. 6, q. 1; Cfr. L. 1, dist. 13, q. unica, n. 9, 10; dist. 23, q. unica, n. 7; *Quodl.*, 19, a. 3), ut probabilem proposuit sententiam, quam Scotistae: Fr. Mayronis († 1327, *In IV Sent.*, l. 3, dist. 1, q. 11), Bassolis († 1333, *In IV Sent.*, l. 3, dist. 1, a. 1, q. 1), G. Occam († 1349, *Quodl.*, 4, q. 11), G. Biel († 1495, *In IV Sent.*, l. 3, dist. 1, q. 1; Cfr. L. 1, dist. 30, q. 4), I. De Rada († 1608, *Controversiae Theologicae In III Sent.*, p. 3, controv. 1, a. 1). Mastrius († 1673, *Disp. Theol. In IV Sent.*, l. 3, q. 3, a. 1), Frassen († 1711, *Scotus Academicus: De Verbi Divini Incarnatione*, q. 4), P. Minges (*Comp. Theol. Dogm., I.* 2, p. 274) suam fecerunt. Subsistentia non est aliqua realitas, realiter distincta a natura singulari, sed duplicem independentiam significat, independentiam a subiecto inhaesionis et independentiam ab alio comprincipio substantiali. Ratio formalis

---

[1] Ad certa principia *S. Thomae* recurremus, quae sancte tenenda sunt. Codex Iuris Canonici, Can. 1366, § 2: Philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino *pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant.*

personae excludit inhaesionem per modum accidentis et coëxistentiam per alium. Subsistentia ergo in aliquo mere negativo consistit: in negatione scl. dependentiae actualis et aptitudinalis. Suppositum non est aptum naturaliter ab alio tamquam a subiecto dependere, quamvis natura singularis supernaturaliter ab altiore hypostasi dependere possit. De facto nullum suppositum ab alio tamquam a subiecto sustentante dependet.

Natura igitur humana Christi ideo persona non est, quod actu ab hypostasi Verbi dependet et per Verbum subsistit. Nulla tamen realium perfectionum haec humanitas privatur, quibus aliud quodvis suppositum humanum praeditum est atque pollet; adeoque, si humanitas a Verbo dimitteretur, sine ulla cuiusvis realitatis additione persona humana evaderet. Unio proinde hypostatica in eo simpliciter reponitur, quod Verbum humanitatem assumpsit, non deserit, sed sustentat.

Mastrius, v. g. audiatur: « Dixi *subsistentiam* supra naturam singularem *addere solum duplicem negationem* communicationis ut quo, seu dependentiae ad alienum suppositum tam actualis quam aptitudinalis et in illa duplici negatione formaliter consistere atque ideo effectum formalem eius esse; *reddere naturam et actu et aptitudine alieno supposito incommunicatum et sic esse effectum mere negativum*; quae est expressa Scoti doctrina... et ita passim solent politiores Scotistae rationem formalem personalitatis et subsistentiae explicare, qua data explicatione, dixi minime opus esse; subsistentiam superaddere naturae aliquod positivum, ab ipsa distinctum; quia cum effectus formalis eius sit negativus, poterit sufficienter per conceptum subsistentiae negativum haberi. Ex quo deduxi opinionem de negativo, nedum in se, sed etiam de mente doctoris esse longe probabiliorem » (1).

Frassen vero ait: « Negatio communicabilitatis tam actualis quam aptitudinalis est id, quo constituitur persona in ratione personae; hinc anima separata non est persona, quia licet actualiter non communicetur suo corpori, habet tamen aptitudinem, ut iterum uniatur et communicetur suo corpori; similiter humanitas Christi non potest dici persona, licet sit actualiter et aptitudinaliter incommunicabilis et incommuni-

(1) Mastrius, *De Dominica Incarnatione*, q. 3, a. 1.

cata, *ut quod*, quippe non potest praedicari de multis, tamen est communicabilis, *ut quo*, tamquam forma totalis supposito et personae Verbi. Altera vero negatio communicabilitatis, nempe *ut quo*, oritur non ex aliqua entitate positiva individui vel personae, sed ex defectu actionis agentis extrinseci non unientis ipsam naturam cum aliena persona; ex eo enim quod aliquod agens extrinsecum non causaverit unionem inter naturam individuam cum aliqua personalitate extranea, natura individua remanet sine unione cum personalitate extranea; unde manet personata propria personalitate » (1).

B) Crisis explicationis Scotisticae.

1. — Subsistentia in mera negatione dependentiae consistere nequit.

a) Per subsistentiam natura rationalis individua redditur *indivisa in se et divisa ab omni alio, seu incommunicabilis. Atqui* natura rationalis individua, indivisa in se et divisa ab omni alio seu incommunicabilis per solam negationem dependentiae actualis et aptitudinalis non redditur. *Ergo* in sola negatione dependentiae actualis et aptitudinalis subsistentia non constitit.

Prob. min. Omnis negatio super ente fundatur. *Ergo* actualis indivisio in se, immo indivisibilitas seu incommunicabilitas causatur per aliquod principium intrinsecum et positivum, quod talem naturam incommunicabilem reddit. Assertum hoc evidentissime est S. Thomae: I IIae, q. 72, a. 6: « *Semper in rebus negatio fundatur super aliqua affirmatione, quae est quodammodo causa eius* » I, Dist. 35, q. 1, a 1 ad 2: « Omnis negatio de re aliqua fundatur super aliquid in re existens, ut, cum dicitur: « Homo non est asinus », veritas negationis fundatur supra hominis naturam, quae naturam negatam non compatitur ». *De Pot.*, q. 10, a. 5: « Veritas cuiuslibet negativae in existentibus fundatur supra veritatem affirmativae; sicut veritas huius negativae:

---

(1) Frassen, *Scotus Academicus*: *De Incarnatione Verbi Divini*, t. VII, Romae 1901, p. 212.

« Aethiops non est albus », fundatur super veritatem huius affirmativae; « Aethiops est niger ».

b) Subsistentia secundum sensum obvium ac communem est id, quo natura rationalis, individua, in rerum natura *constituitur sui iuris, independens. Atqui* per meram negationem dependentiae nemo unquam constituetur sui iuris et independens. *Ergo* subsistentia in mera negatione dependentiae non consistit.

Ad min. Verum equidem est; nos terminis negativis actum subsistendi concipere et explicare, negando scl. communicabilitatem actualem relate ad aliam hypostasim: sed pari ratione caetera elementa notionis personae negative concipere et exprimere possumus, v. g. quod persona non est accidens, neque substantia incompleta, neque substantia universalis. At facile quisque videt: his *negationibus perfectionem positivam exprimi; quae causa atque fundamentum est: cur persona non sit accidens, pars vel aliquod universale.*

2. — In sententia Scotistica ratio formalis unionis hypostaticae non indicatur.

Quaerimus enim: cur, ob quam rationem formalem natura humana Verbo substantialiter unita sit. Respondent Scotistae: humanitas Christi Verbo unita est ideo, quia est assumpta, quia non est a Verbo divisa. *Atqui ratio unitatis substantialis hypostaticae in assumptione qua tali et in mera negatione divisionis non constitit. Ergo* in sententia Scotistica ratio formalis unionis hypostaticae non explicatur.

Prob. min.: 1° In assumptione qua tali unio hypostatica formaliter non constitit. Assumptio formaliter dicit *actionem* et *passionem*, cuius terminus est humanitas; unio formaliter *relationem* significat. Assumptio considerari potest et debet ut unio *in fieri;* unio est *status* inductus per assumptionem. Indifferenter dicimus humanitatem Verbo et Verbum humanitati unitum esse; non aeque dici potest: Verbum ab humanitate assumptum esse; nam unice recte affirmatur: humanitatem a Verbo assumptam esse.

Argumento nostro patrocinatur S. *Thomas*, qui P. 3, art. 8, quaest. 2 ex professo demonstrat: unionem Verbi non esse idem, quod assumptio. « *Unio*, inquit, *importat relationem* quandam divinae naturae et humanae, secundum quod conveniunt in una persona: omnis autem relatio, quae incipit esse ex tempore, ex aliqua mutatione causatur: mutatio autem, consistit in actione et passione; sic ergo dicendum est, quod *prima et principalis differentia* inter assumptionem et unionem est, quod unio importat ipsam relationem, assumptio autem actionem, secundum quam dicitur aliquid assumens; vel passionem, secundum quam dicitur aliquid assumptum; ex hac autem differentia accipitur *secundo alia differentia* assumptio dicitur sicut in fieri, unio autem sicut in facto esse; et ideo uniens dicitur esse unitum; assumens autem non dicitur esse assumptum: natura enim significatur ut in termino assumptionis ad hypostasim divinam, per hoc quod dicitur homo: unde vere dicimus, quod Filius Dei, qui est uniens sibi naturam humanam, est homo; sed humana natura, in se considerata, id est, in abstracto, significatur ut assumpta, non autem dicimus, quod Filius Dei sit humana natura: ex eadem etiam sequitur *tertia differentia* quod relatio, praecipue aequiparantiae (1), non magis se habet ad unum extremum, quam ad aliud: actio autem et passio diversimode se habent ad agens et patiens et ad diversos terminos; et ideo assumptio determinat terminum a quo et ad quem: dicitur enim assumptio quasi ab alio ad se sumptio: unio autem nihil horum determinat; unde indifferenter dicitur, quod humana natura est unita divinae et e converso; non autem dicitur divina natura assumpta ab humana; sed e converso, quia humana natura adiuncta est ad personalitatem divinam, ut scl. persona divina in humana natura subsistat » (2).

Prob. min. 2°. In mera negatione divisionis unio hypostatica non consistit. Omnis enim unitas est illa ratio, sub qua et in qua termini uniti conveniunt atque communicant. *Atqui* ab Scotistis, praeter indivisionem naturae humanae a Verbo, nulla prorsus ratio positiva agnoscitur et assi-

---

(1) Relatio *aequiparantiae* est illa, quae aequaliter se habet ad utrumque extremum, vi eiusdem rationis et appellationis, v. g. relatio inter duos parietes albos, duas arbores aeque altas. Relatio *disquiparantiae*, est illa, quae diversa ratione et appellatione se habet ad extrema, v. g. relatio inter patrem et filium; in patre est ratione et appellatione paternitatis; in filio est ratione filiationis et appellatur filiatio. Idem dic de habitudine matris ad filiam, domini ad servum etc.

(2) Cfr. 3, *Dist.* 5, q. 1, a. 1, q. 5.

gnatur. *Ergo* ab Scotistis ratio unionis hypostaticae non explicatur et falso in indivisione reponitur.

Ad mai. Quamvis rationem unitatis per negationem divisionis concipiamus et exprimamus, tamen negatio divisionis sicut omnis negatio in aliquo positivo fundatur. « Ergo in omni unitate, concludimus cum P. Billot ([1]), oportet invenire aliquid positivum, in quo fundamentum habeat indivisio. Et si quidem unitas sit unitas simplicitatis, positivum illud est ipsa entitas simplicis. Si autem sit unitas compositionis, debet esse certa quaedam actualitas, in qua unita aliquomodo communicant: sicut anima et corpus communicant in eadem completa ac perfecta essentia, sicut individuum naturae et actus essendi communicant in eadem actualitate existentis per se et in se, sicut subiectum et accidens communicant in eodem esse secundum quid, sicut lapides domus communicant in eadem forma artificiali, atque ita porro ».

Ad min. Scotistae ad quaestionem: cur humanitas et Verbum hypostatice uniantur, respondent: quia persona divina Verbi et humana natura *non sunt divisae.* Et si quaeris; cur divisae non sint? Reponunt: quia *sunt indivisae!* Cur indivisae? Quia Verbum humanam naturam *assumpsit, sustentat et tenet!* Quid ultra inquiris!? Quibus evidenter demonstratur; in explicatione Scotistica nullam rationem obiectivam « *indivisionis* » assignari.

Dices: Ultima et profundissima *ratio*, cur humanitas Christi Verbo hypostatice uniatur seu a Verbo divisa non sit, alia, *praeter et extra voluntatem Dei efficacem, frustra inquiritur.*

Respondeo: Nequaquam frustra! Non sufficit enim simpliciter dicere: unionem hypostaticam a Deo esse volitam et voluntatem Dei efficacem esse; nam divina voluntas est causa unionis efficiens, non formalis. Nos autem causam formalem unionis investigamus. Porro unio hypostatica est relatio realis ex parte humanitatis assumptae. Iam vero relatio realis sine fundamento reali existere nequit: nisi igitur fundamentum aliquod reale, praeter factum assumptionis, in humanitate assi-

---

([1]) Cfr. Billot, *De Verbo Incarnato*, q. 2, § 1, p. 126.

gnetur; unio hypostatica, qua relatio, rationabiliter non explicatur. *Atqui*, fatentibus Scotistis, humanitas Christi per unionem nullomodo est immutata. In quo ergo fundamentum relationis hypostaticae collocabitur?

Pars II. — Subsistentia in totalitate substantiae singularis formaliter non consistit; adeoque unitas hypostatica inadaequate explicatur, cum humanitas Christi non tota in se existere dicitur.

A) Expositio sententiae Cl. Tiphani et sequacium.

Cl. Tiphanus, († 1641, *De Hypostasi et Persona*, cc. 10, 19-25, 36-39); Petavius, († 1695, *De Incarnatione*, l. 5, c. 7, n. 6-10); Wirceburgenses, (*De Incarnatione*, n. 255-265); Franzelin, († 1886, *De Verbo Incarnato*, th. 27-34); Stentrup, († 1898, *De Verbo Incarnato*, th. 23-26). Pesch, († 1925, *De Verbo Incarnato*, th. 7-9); Otten, (*De Verbo Incarnato*, th. 11-12); Dalmau, (*De Ratione suppositi et personae*, p. 18-23); Galtier (*De Incarnatione et Redemptione*, th. 15-16) unionis hypostaticae explicationem, quae sequitur, tradiderunt.

Subsistentia non est mera negatio assumptionis, sed positiva entis perfectio, nempe: totietas entis substantialis in se, per quam substantia singularis ut hoc totum in se et ab aliis distinctum constituitur atque existit. « Manifestum est, (inquit *Tiphanus*, p. 66, n. 11), hypostasim esse *totum reale*, non rationis seu logicum, cum sit substantia prima, non secunda seu universalis: esse item *totum substantiale*, non accidentale, propter eandem rationem. Et si quidem sit hypostasis composita, ea est substantia tota totalitate, non solum essentiae, sed etiam integritatis actualis; cum sit substantia per se ac distincta ab omni alia, nullique alteri adiuncta per modum partis. Recte igitur definita est: *substantia prima tota et integra*, id est, quae nullius pars est, sive essentialis, sive integrans, nec ad modum partis se habet ».

Persona realiter omnino idem est, quod sub-

stantia individua rationalis naturae. Quare affirmat *P. Tiphanus*: « nullum modum, nullam formam, aut actum informantem posse esse subsistentiam; quia haec omnia essentialiter sunt imperfecta, sunt alterius, sunt partes, vel rationem partis habent ». (*Ibidem*, p. 67, n. 17). Attamen substantia singularis, individua a subsistentia virtualiter distinguitur; cum personalitas formaliter totalitatem entis substantialis in se efferat et assumptionem in ratione partis ad aliquod totum superius neget. Formalis igitur notio personae duplicem aspectum habet: *positivum*, in quantum substantiam individuam, totam in se connotat; alterum vero *negativum*, in quantum per totalitatem entis in se negatio assumptionis simul connotatur.

Humana natura Christi personalitate naturali destituitur non propter defectum vel amissionem alicuius perfectionis substantialis, quae a natura individua realiter distingueretur; sed propter accessum ad totum perfectius, scl. ad hypostasim Verbi. Iterum cum *Tiphano* notetur: « humanitatem in Christo non esse hypostasim et personam humanam; *quia est in eo ad modum partis*, nec sua est et quia extra eam est aliquid, nempe Verbum, cui ita est realiter et substantialiter unita, ut in ratione substantiae et perfectionis minorem ad illud habeat proportionem, quam millesima guttulae pars ad totum mare vel punctum ad lineam » (*Ibid.*, p. 67, n. 15).

Unio hypostatica formaliter consistit in accessu ad perfectius; quatenus Verbum functionem hypostaticam suae sacrosanctae personae etiam ad humanam naturam extendit; quo fit, ut humana natura, quatenus terminata hypostasi Verbi, huic simul hypostatice uniatur. Per assumptionem ad hypostasim Verbi humana natura nihil amittit; remanet cum omnibus principiis, quibus homo quispiam subsistens constituitur. Omnis realitas substantialis, quae est in Petro, invenitur univoce in humanitate Christi. Proindeque humana natura Christi persona esset, si remansisset in ordine naturali; est enim in ordine naturali prorsus completa. At, quia est in potentia oboedientiali ad assumptionem

estque supernaturaliter assumptibilis; ideo haec eadem humanitas, in ordine naturali completa, in ordine supernaturali est incompleta. *Quatenus ergo potentia oboedientialis humanae naturae actuatur et humanitas a Verbo assumitur*; haec hypostatice Verbo unitur, et personalitate humana non pollet [1].

B) Crisis et refutatio explicationis Tiphanianae.

1. Subsistentia non consistit formaliter in totalitate entis in se.

In quantum Tiphanus et sequaces affirmant: personam aliquod totum in se subsistens esse, verissimum dicunt. Etenim omnis persona ut aliquod totum in se clausum degit; quidquid autem pars est, nomen personae non meretur. De hoc dubitat nemo. Sed in quantum Tiphanistae contendunt: *naturam individuam per seipsam aliquod totum esse*, totietatisque illius, praeter naturam individuam, *nullam obiectivam, intrinsecam rationem dari, quae per communicationem sui ipsius hanc naturam individuam perfecte, ultimo, individuam redderet, totam in se clausam, ab omni alio distinctam et incommunicabilem efficeret*; in quantum, inquam, talem realitatem reiiciunt, decipiuntur. Haec enim realitas obiectiva seu subsistentia realiter distinguitur a natura individua.

a) *Quae invicem* separata sunt, *non sunt eadem prorsus realitas. Atqui* in Christo Iesu subsistentia humana a natura humana separatur. *Ergo* subsistentia humana non est eadem prorsus realitas atque natura individua.

Ad mai. Principium identitatis impedit; quominus una et eadem ontologica realitas prorsus non existat et existat, auferatur, pereat et nihilominus eadem perseveret.

Ad min. Secundum dogma fidei definitum: persona humana in Christo prorsus non existit; quamvis natura humana individua, integra permaneat.

---

(1) Cfr. Galtier, *Op. cit.*, p. 191, 192, 194.

Dices: Animalitas et rationalitas separari possunt: quin realiter in homine distinguantur; pariter ergo subsistentia humana et natura individua separari possunt, quin realiter distinguantur.

Respondeo: Nego partitatem. *Non* enim *ex separabilitate rationum formalium ut sic* argumentabamur, sed *ex facto separationis* duarum realitatum ex fide noto realem subsistentiae et naturae humanae non identitatem deduximus.

b) In Christo Iesu, salva fide, non potest ontologice existere personalitas humana seu subsistentia. *Atqui* si natura humana individua realiter et ontologice esset idem quod subsistentia humana; tunc etiam in Christo Iesu ontologice et realiter esset personalitas humana. *Ergo* subsistentia humana non est realiter et ontologice prorsus idem quod natura humana et individua.

Prob. min. Supponimus ex fide, in Christo Iesu, non obstante unione hypotastica, naturam humanam singularem integram permanere. Quo posito, sic probo minorem ultimam. Aliqua forma realis non potest omnibus effectibus formalibus (et primariis et secundariis) etiam per omnipotentiam divinam privari: tunc enim haec forma realis esset et non esset. *Atqui*, si humanitas individua ontologice et realiter esset idem prorsus quod persona humana; *manente in Christo humanitate individua, integra, haec humanitas etiam per omnipotentiam divinam non posset omnibus effectibus formalibus humanae personalitatis privari.* Effectibus enim formalibus natura humana in Christo non privatur. *Ergo*, si natura individua ontologice et realiter esset prorsus idem quod persona humana; manente integra in Christo humanitate, maneret et persona humana ; quod quomodo cum dogmate conciliari possit, vix capio.

Dices: Effectus formalis non solum pendet a forma, sed etiam ab aptitudine subiecti. Sic puta: gratia sanctificans reddit homines filios Dei adoptivos, quin hunc effectum formalem exerat in Christo Iesu; quippe qui, qua Filius Dei naturalis, filius adoptivus fieri nequit. A pari ergo natura humana Christi non exerit effectum formalem personalitatis humanae; cum iam humanitas Christi per personalitatem Verbi subsistat.

Respondeo: Iterum nego paritatem! Filiatio adoptiva non est unicus et totalis effectus gratiae sanctificantis; potest ergo gratia existere in aliquo subiecto; quin illud filium adoptivum reddat. Negatur etiam humanitatem prorsus *incapacem esse* ad subsistendum! Insuper quaeritur: quomodo humanitas, secundum integram suam entitatem cum personalitate humana realiter identificata; nullum ex effectibus personalitatis exerat; cum e contra omnes effectus formales naturae humanae producat?!

2. — In sententia Tiphanistarum ratio formalis unionis hypostaticae non assignatur.

Ad quaestionem enim, cur humanitas Christi persona humana non sit, respondetur: quia est pars totius altioris, quia non est totum in se. Totum in se non est humanitas, quia assumpta per Verbum sustentatur. At nemo non videt, in tali explicatione nullum assignari positivum fundamentum, praeter et extra factum assumptionis. Porro assumptio, ut probavimus, cum unione formaliter non convertitur.

Dices 1° Humana natura Christi *a ratione personae deficit solo accessu ad perfectius.* Respondeo: nego assertum. Impossibile est enim, ut aliquid per additionem ad aliud perfectius e completo fiat incompletum in eo ordine, in quo est completum, *nisi ratione accessus* et tractionis ad aliud suppositum pereat ultimus actus, constituens illud in esse completi. *Atqui* humana natura Christi, iuxta Tiphanistas, nihil omnino amittit in linea substantiae et existentiae humanae, cum a Verbo assumitur, et ita est completa et perfecta in se, ut, si tantum dimitteretur, sine ulla prorsus mutatione persona humana evaderet. Quomodo ergo per solam assumptionem ad personam Verbi personalitatem humanam amittere poterit? Corpus aliquod, v. g. lapis in ratione substantiae completus non cadit a ratione substantiae et individui *in se*, quamquam per additionem pars alicuius aedificii esse incipit. Si gutta additur guttae, molecula moleculae, maius aggregatum guttarum et molecularum crescit, sed nulla gutta vel molecula per solam additionem a ratione suppositi individui decidit. Igitur, *quamdiu ens aliquod omnia elementa retinet, quae ad rationem totius in se in aliquo ordine efformandam requiruntur; tamdiu in hoc ordine totum in se et completum manet. Sine amissione ergo alicuius perfectionis a ratione totius in se non deficiet per solum accessum ad aliud.* Ergo et natura humana Christi, nullo prorsus carendo, quod ad rationem humanae personae requiritur, nihilque amittendo; per solum accessum ad totum superius personalitatem humanam non amittit.

Dices 2° Solo accessu ad totum perfectius aliquid a ratione totius in se deficere potest et pars alterius fieri. Nam solo accessu *triangulum A* additum *triangulo B* quadratum evadit. Elementa 2+3 summam 5 efformant sola additione.

Respondeo: Ens aliquod solo accessu deficit a ratione totius in se; distinguo: fit *pars logica* alicuius *totius logici, C. Antec.* Realiter et ontologice desinit esse aliquod totum reale et fit pars realis, *subdistinguo*: *fit pars realis alicuius totius substantialis, N. Antec.* Fit pars realis alicuius *realis aggregati vel totius artificialis, accidentalis, C. Antec.* Exempla allata de additionibus logicis valent. In ordine ontologico aliquod totum in se substantiale fieri potest pars totius accidentalis vel aggregati per solam additionem. Aliquod autem totum substantiale, quod omnia substantialia retinet, a ratione totius substantialis non deficit per solum accessum ad perfectius. Pars substantialis alicuius totius substantialis fieri potest tantum illud, quod aliquid vel amittat vel acquirat. « Nam *ens substantialiter completum et totum in se, est ens terminatum in linea essendi simpliciter* et hanc terminationem consequitur ex actu essendi proprio, sub quo sistit; partes autem non habent actum essendi proprium, sed sunt per esse totius. Unde si quod totum fit pars per additionem ad aliud, necesse est, ut vi additionis amittat suum esse proprium, ad quod remanet solum in potentia. Alias fiet totorum aggregatio seu totum per accidens, non autem totum per se » [1]. « Ad rationem totius, ait *S. Thomas* in *III*. Dist. 6. q. 2, a. 3 pertinent duo: unum scl., quod esse totius compositi pertinet ad omnes partes, quia partes non habent proprium esse, sed sunt per esse totius ».

3. — In sententia Tiphaniana unio hypostatica nequit esse unio per se substantialis.

a) Dogma fidei catholicae est: Christum esse unum suppositum, ens substantialiter unum. *Atqui* secundum explicationem unionis, quam Tiphanus cum sequacibus tradidit, Christus nequit esse suppositum et ens substantialiter unum. *Ergo* in explicatione unionis, quam Tiphanus tradit, unio hypostatica nequit esse per se substantialis.

Prob. min. Secundum constantem doctrinam S. Thomae totuplex est ens, quotuplex esse substantia-

---

[1] Billot, *Op. cit.*, p. 95, 96.

lis existentiae. *Atqui* in explicatione Tiphani et sequacium in Christo Iesu est duplex esse existentiae substantialis; nempe increatum, personale esse Verbi et creatum esse existentiae humanitatis. *Ergo* secundum explicationem unionis hypostaticae, quam Tiphanus tradidit, Christus nequit esse suppositum et ens substantialiter unum.

Prob. mai. S. Th., 3 p., q. 17, a. 2: « Impossibile, quod *unius rei* non sit nisi *unum esse* ». 3, Dist. 18, q. 1, a. 1 ad 3: « *Unitas rei consequitur esse suum.* Unde eodem modo praedicatur de re ens et unum, quod convertitur cum ente. Et ideo non potest esse, quod sit suppositum unum et esse eius non sit unum ». *S. Th.*, 1 p., q. 76, a. 2 ad 2: « Unumquodque hoc modo habet unitatem, quo habet esse et per consequens idem est iudicium de multiplicatione rei et de esse ipsius ». P. 1, q. 77, a. 2 ad 3: « Unius rei est unum esse substantiale, sed possunt esse operationes plures » *Quodl.*, 9, a. 3 ad 2: « *Esse est id, in quo fundatur unitas suppositi*: unde esse multiplex praeiudicat unitati suppositi ». 3, Dist. 6, q. 2, a. 2: « Impossibile est, quod unum aliquid habeat duo esse substantialia, quia unum fundatur super ens: unde, si sint plura esse, secundum quae aliquid dicitur ens simpliciter, impossibile est, quod dicatur unum ». Porro secundum Angelicum « ens simpliciter » est omnis substantia sub suo esse existentiae. P. 3, q. 11, a. 5 ad 3: « Bonum sicut ens dupliciter dicitur: uno modo *simpliciter et sic bonum et ens dicitur substantia, quae in suo esse et in sua bonitate subsistit* ». Quare Angelicus Doctor clare concludit; 3, Dist. 6, q. 2, a. 2: Omne quod habet per se esse, est subsistens. Si ergo in Christo est duplex esse, sunt ibi duo subsistentia ergo et duae hypostases ».

Dices: Principium hoc S. Thomae: — « totupliciter ens simpliciter multiplicatur, quoties actus existentiae substantialis multiplicantur »:

— *non esse absolute universale,* valere dumtaxat in ordine naturali; ideoque *in ordine supernaturali,* si per omnipotentiam divinam aliquod ens, propria existentia substantiali praeditum, ad altius suppositum assumetur, numerus suppositorum et entium simpliciter non augebitur.

Respondeo: nego simpliciter assertum! Nam in testimoniis ex S. Thoma adductis asserta sunt absolute universalia totamque metaphysicam regunt: tam de Deo quam de creatura, tum in ordine naturali tum supernaturali valent.

b) Ut duo substantialiter completa amboque actu existentiae praedita, aliquod unum per se substantialiter fiant, repugnat. *Atqui* in sententia Tiphani et sequacium Verbum Dei et humana natura sunt duo substantialiter completa amboque proprio actu existentiae substantialis gaudent. *Ergo* in sententia Tiphani humanitas et Verbum aliquod unum per se substantiale constituere numquam poterunt.

Prob. mai. S. Thomas in 3, Dist. 6, q. 1, a. 2: « *Quod habet esse completum, in quo subsistit, non potest uniri alteri,* nisi tribus modis: *vel* accidentaliter, ut tunica homini; *vel* per modum aggregationis, sicut lapis lapidi in acervo; *vel* aliquo accidente, sicut homo unitur Deo per amorem vel gratiam et *neutra harum* (unionum) *est unio simpliciter, sed secundum quid* ». Idem principium reperimus in P. 3, q. 2, a. 1: « Tripliciter aliquid unum ex duobus vel pluribus constituitur. Uno modo ex duobus integris perfectis remanentibus, quod quidem fieri non potest, nisi in iis, quorum forma est compositio vel ordo vel figura: sicut ex multis lapidibus absque aliquo ordine adunatis, per solam compositionem fit acervus: ex lapidibus autem et lignis secundum aliquem ordinem dispositis et etiam ad aliquam figuram redactis fit domus: et secundum hoc posuerunt aliqui, unionem esse per modum confusionis (al. *commassationis*), quae scl. est sine ordine vel per modum commensurationis, quae scl. esset cum ordine. Sed hoc non potest esse: *primo quidem, quia compositio vel ordo vel figura non est forma substantialis, sed accidentalis;* et sic sequeretur, quod unio incarnationis non esset per se,

sed per accidens, secundo, quia ex huiusmodi non fit unum simpliciter, sed secundum quid: remanent enim plura actu. Alio modo fit unum ex perfectis, sed transmutatis: sicut ex elementis fit mixtum... Tertio modo fit aliquid ex aliquibus non permixtis vel permutatis, *sed imperfectis*: sicut ex anima et corpore fit homo ». *Metaph.*, L. VII, lect. 13: *Duo, quae sunt actu, numquam sunt unum actu*; sed duo, quae sunt in potentia, sunt unum actu, sicut patet in partibus continui. Est enim intelligendum, quod duo in actu existentia, numquam faciunt unum ».

Dices: Principium in maiori enuntiatum absolute universale non esse, ideoque in ordine supernaturali applicationem non habere. *Per actuationem ergo potentiae oboedientialis fieri potest; ut ens in se substantialiter completum, propria existentia creata praeditum* (ut, inquam, tale ens), *a ratione suppositi deficiat per simplex factum assumptionis* a supposito superiore.

Respondeo: hoc ne quidem per potentiam oboedientialem fieri potest. Per potentiam oboedientialem contradictoria realizari non possunt. *Atqui* duo contradictoria realizarentur, si humanitas Christi, substantialiter integra, cum existentia substantiali re identificata, nullo carens, nihil amittens, per solam assumptionem seu actuationem potentiae oboedientialis a ratione personae deficeret. Nam *omne ens substantiale, quod proprio et connaturali actu existentiae gaudet, eoipso ens totum in se clausum, et subsistens constituitur*. Existentia enim, ut docet S. Thomas, est ultimus actus formae et naturae (*De Anima*, a. 6 ad 2). Humanitas igitur Christi, qua substantialiter integra, qua cum actu existentiae realiter identificata, *aliquod totum in se et subsistens esset*; vicissim, qua assumpta; *aliquod non-totum in se et non-subsistens fieret*. Contradictoria ergo in eadem humanitate verificarentur.

Thes. 6. — Neque per modum substantialem ratio propria unionis hypostaticae explicatur; quare humanam naturam Christi ideo Verbo hypostatice unitam esse putamus; quod per esse personale Verbi existit.

STATUS QUAESTIONIS.

1. Ex argumentis in thesi 5ª allatis duo constant: *a*) Subsistentia creata est aliqua realitas substantialis, quae a natura individua aliquomodo realiter distinguitur. *b*) Hypostatica, per se substantialis unio humanitatis cum Verbo aegre explicari potest, si humana natura cum proprio et connaturali actu existentiae realiter identificata vel supponitur vel admittitur. « Non enim fit simpliciter unum, inquit *S. Thomas*, ex duobus actibus, sed ex potentia et actu, in quantum id, quod est in potentia, fit actu. Ens autem, quod praeexistit actu, non potest fieri ens simpliciter; sed potest fieri ens hoc, ut album vel magnum; quod est fieri secundum quid » (*De Spir. Creat.*, a. 3).

2. *Quoad realem distinctionem* subsistentiae a natura individua *Suarezius, Cajetanus et Capreolus conveniunt.* Dum tamen exactius determinare conantur; cuiusnam generis sit illa realitas substantialis, quae naturae individuae per subsistentiam superadditur, sequaces tam Suarezii quam Cajetani et Capreoli in prorsus diversas abeunt vias. Non unanimis est consequenter horum Theologorum sententia quoad formalissimam rationem et fundamentum unionis hypostaticae. Cum tres explicationes huius problematis in secunda opinionum classe tradantur; in tres partes sponte thesis dividitur. In *Parte Iª sententia Suarezianorum expendetur.* In *Parte IIª explicatio Cajetanea proponetur.* In *Parte IIIª explicatio Capreoli ut probabilior propugnabitur.*

Pars I. — Subsistentia non est modus substantialis naturae individuae existenti superadditus; neque unio hypostatica per modum substantialem unionis obtineri potest.

A) Expositio doctrinae Suarezii et sequacium.

Fr. Suarez († 1617, *De Incarnatione*, Disp. 8, sect. 3-4, *Disputationes Metaphysicae*, Disp. 34, sect. 4), Gregorius de Valentia († 1603, *Commentar. Theol. in P. III*, q. 4, Disp. 1, punct. 2), G. Vasquez († 1604, *Disputationes in P. III S. Thomae*, Disp. 31, cap. 6-7), L. Lessius († 1623, *De Incarnatione Verbi*, q. 2, a. 3, dub. 1), De Lugo († 1660, *De Incarnatione Dominica*, Disp. 12, sect. 1-4) docent: *subsistentiam aliquem modum substantialem, positivum perseitatis* esse, scl. modum existendi in se et per se. Hic modus naturam humanam existentem, immo cum existentia substantiali re identificatam, ultimo perficit et incommunicabilem reddit.

« Dico, personalitatem ad hoc dari naturae, ut illi det ultimum complementum in ratione existendi, vel (ut ita dicam), *ut existentiam eius compleat in ratione subsistentiae*, ita ut personalitas non sit proprie terminus aut modus naturae secundum esse existentiae, sed secundum esse essentiae ipsius naturae. Nam existere ex se solum dicit habere entitatem extra causas seu in rerum natura: unde de se indifferens est ad modum existendi, innitendo alteri ut sustentati, et ad modum existendi per se et sine dependentia a sustentante. Igitur quamdiu existentia non est terminata per modum existendi in se et per se, adhuc est incompleta et in statu quasi potentiali et ideo ut sic non potest habere rationem subsistentiae. Rursus si afficiatur modo existendi in aliquo, a quo sustentetur et pendeat, etiam habet statum incompletum, quia est in alio, a quo pendet et ad compositionem alicuius completi entis ordinatur. Tunc igitur existentia naturae substantialis erit complete terminata, quando fuerit affecta modo existendi per se, hic ergo modus complet rationem subsistentiae creatae; ille ergo habet propriam rationem personalitatis seu suppositalitatis... Postquam essentia (contracta usque ad individuationem et singularitatem) est in actu, solum indiget modo existendi in se ac per se: hic ergo ultimus est

terminus naturae secundum existentiam eius, et hoc est proprium munus suppositalitatis » (1). Modus substantialis « perseitatis » a natura singulari et individua *modaliter realiter* distinguitur. *Modaliter*, non sicut res a re, sed sicut modus a re.

Natura humana Christi connaturali personalitate caret, quia ultimo termino substantiali perseitatis seu modo substantiali subsistentiae privatur; etenim Verbum assumpsit humanitatem illo modo perseitatis spoliatam.

« Nihil aliud intelligimus deesse humanitati Christi, ut non subsistat subsistentia propria, nisi talis existendi modus, quo fit per se et non in alio. Nam in ea est integra *omnis essentia* actualis creata et consequenter est *etiam substantialis existentia* humanae naturae, tamen quia illa existentia ita est affecta, ut innitatur Verbo, a quo sustentatur et pendet; ideo caret illa humanitas modo existendi per se; ergo solum ex defectu huius modi non est subsistens, nec persona creata » (2).

Ad elucidandam naturam unionis hypostaticae P. Suarez eiusque fautores *varie signa rationis* in toto mysterio Incarnationis distinguunt. Incarnatio universim est *actio realis*, per quam Verbum et natura humana in hypostasi divina adunantur. Actio, *qua anima Christi creatur*, realiter differt ab actione, per quam *humanitas creata Verbo coniungitur*. Incarnatio, rigorose accepta, est *actio unitiva seu productiva unionis*, per quam natura humana Verbo hypostatice copulatur. Per actionem unitivam fit aliquid in humanitate, producitur nempe substantialis unionis modus, quo humanitas, ut Verbo hypostatice unita redditur. Hic modus substantialis unionis (a modo *subsistentiae* apprime distinguendus), est aliqua realitas substantialis, supernaturalis, creata, quae humanitatem Verbo Dei formaliter hypostatice *unitam* efficit. Actionis unitivae terminus, (*qui fit*), est compositum, Deus-homo; terminus autem quo

---

(1) Cfr. Suarez, *Disp. Metaph.*, Disp. 34, sect. 4.

(2) Cfr. Suarez, *Ibidem* et *De Incarnat.*, Disp. 11, Sect. 3.

formalis est modus substantialis unionis. Per hunc modum in humanitate productum, haec Verbo hypostatice unitur, per illum quoque relatio hypostatica humanitatis ad Verbum fundatur [1].

Verba P. Suarez excipiantur: « Ut difficultas huius quaestionis intellegatur, oportet distinguere omnia, quae interveniunt in hoc mysterio. Primum est *humanitas*. Secundum est *Verbum*. Tertium est *actio seu passio* vel mutatio, per quam haec unita sunt. Quartum est *terminus ultimus* resultans per hanc actionem, scl. hic homo. Quintum est *relatio unionis* inter extrema unita. Et sextum addi potest id, quod est *fundamentum proprium* huius relationis, seu id, *quod fit in humanitate* per illam actionem, qua copulatur Verbo, seu quod idem est, ipsa substantialis coniunctio, quae intelligitur esse in termino illius actionis, ut per illam hic homo resultare possit.

Difficultas superest de sexto illo membro supra posito et oritur ex dictis de actione unitiva, quae vera est effectio et proxime *versatur circa humanitatem, quam immutat et in qua recipitur*; necessarium ergo videtur per illam aliquid fieri et hoc inquirimus, quid sit. Dicendum: fundamentum proximum huius relationis esse substantialem modum unionis humanitatis ad Verbum. Ille enim proxime ac formaliter fit per actionem incarnationis, seu mutationem humanitatis. Imprimis ille modus est aliquid creatum, quia fit de novo. Rursus est aliquid in humanitate, in qua esse debet relatio. Deinde est aliquid realiter distinctum a Verbo, ad quod terminari debet relatio. Denique sine illo modo impossibile est, resultare hanc relationem et illo posito, impossibile est, quin resultet, quia terminus necessario praesupponitur. Ergo habet omnia requisita ad rationem fundamenti » [2].

B.) Crisis explicationis Suarezianae.

1. Subsistentia in modo substantiali perseitatis non consistit.

a) In illo subsistentia non consistit, quod *in ordine ontologico* a natura humana individua realiter-modaliter distinctum

---

(1) Cfr. Noël, *Theologiae R. P. Fr. Suarez Summa seu Compendium*, P. II, q. 14, Disp. 8, sect. 1-3. Edit. Migne, p. 568-571; Muncunill, *De Verbi Divini Incarnatione, Op.-Cit.*, p. 130-139; Salmanticenses, *De Incarnatione*, Disp. 4, dub. 1; Fr. Schmid, *De esse physico unionis hypostaticae, Op. Cit.*, p. 370 seq.

(2) Cfr. Suarez, *De Incarnatione*, Disp. 8, sect. 3.

non existit. Atqui modus substantialis perseitatis realiter-modaliter a natura individua distinctus non existit. *Ergo* in illo modo substantiali perseitatis subsistentia non consistit. *Prob. Min.* Modus substantialis, secundum P. Suarez aliosque, neque est accidens, neque pars substantiae, neque principium substantiale, neque substantia completa. *Atqui* inter accidens, partes substantiales, principia substantialia, substantiam completam non datur aliquod ens medium substantiale, modaliter-realiter distinctum. *Ergo* modus substantialis perseitatis realiter-modaliter a natura individua distinctus non existit. Concedimus varios dari modos entis sed non realiter-modaliter a substantia distinctos.

b) Modus substantialis, prout a P. Suarez definitur, *contradictoria involvere videtur.* « Subsistere enim, iuxta Doctorem Eximium, dicit determinatum modum existendi per se et sine dependentia sustentante, unde illi opponitur in-existere vel in-esse. Igitur *quamdiu existentia non est terminata per modum existendi in se et per se, adhuc est incompleta et in statu quasi potentiali* et ideo ut sic non potest habere rationem subsistentiae. Tunc igitur existentia naturae substantialis erit complete terminata, quando fuerit affecta modo existendi per se... (Modus ille) merito dicitur esse terminus, aut modus naturae *secundum esse existentiae, quia secundum esse essentiae iam natura est omnino completa*, neque indiget alia determinatione. Indiget (tantum) existentia, qua fiat ens actu: *postquam vero est essentia in actu, solum indiget modo existendi in se ac per se* » (1).

Haec descriptio modi substantialis repugnare videtur. Nam *existentia substantialis, qua existentia* (ut P. Suarez ibidem expresse affirmat), *formaliter rem extra causas ponit. Hic effectus formalis existentiae stat in indivisibili, non suscipit plus vel minus.* Quae cum ita sint; quomodo aliquid substantialiter *in se existens, actu extra causas positum*, potest esse in statu potentiali in linea existentiae? Existentia enim est ultimus actus! *Inter substantialiter existere et non existere, non datur medium.*

---

(1) Suarez, *Disp. Metaph.*, 34, sect. 4.

Quidquid ergo *in se* actu substantiali existit, existit quoque *per se*. Frustra ergo modus substantialis introducitur.

c) Dato et non concesso, entitatem substantialem modalem realiter distinctam in ordine ontologico existere, hac persona in ratione personae constitui non posset. Subsistentia enim, procul dubio, aliquid substantiale est, in aliquo accidente collocari nequit. Modus vero substantialis naturae individuae per suam existentiam substantialem existenti advenit. Immo haec natura individua cum existentia substantiali re identificatur. *Atqui quidquid enti sub suo esse substiantiali constituto advenit, accidentaliter ei advenit*, accidentaliter illud modificat, nullam perfectionem substantialem ei adfert. *Ergo* per modum substantialem personalitatis persona in ratione personae constitui non potest.

Prob. min. C. Gent., 1, 22: « Omne, quod sequitur ad esse rei, est ei accidentale ». I., Dist. 17, q. 1, a. 2: « Non sufficit, ut (aliquid) dicatur accidens in se; potest enim aliquid in se substantia esse, et advenire alicui accidentaliter, sicut vestimenta; sed si adveniat post esse completum ut forma inhaerens, de necessitate est accidens ». *De Spir. Creat.*, a. 3: « In hoc consistit ratio accidentis, quod sit in subiecto; ita tamen quod *per subiectum intellegatur aliquod ens actu et non in potentia tantum* ».

Dices: Quidquid advenit enti in se subsistenti accidentaliter ei advenit, nisi trahatur ad unum esse substantiale illius subiecti. (Cfr. *S. Th.*, 3 P., q. 2, a. 6, ad 2; I. Dist. 8, q. 5, a. 2; 17, q. 1, a. 2). *Atqui* modus substantialis perseitatis trahitur ad unum esse substantiale subiecti. *Ergo* subsistentia non erit accidens.

Respondebit Suarez cum sequacibus: nequaquam; modus substantialis non trahitur ad esse subiecti. Subsistentia enim, qua entitas realis, modalis, substantialis *habet suam existentiam et quidem realiter modaliter distinctam ab existentia naturae individuae. Ergo* non trahitur ad unum esse substantiale naturae individuae. Argumentatio ergo nostra per hanc instantiam non subnervatur.

2. In sententia P. Suarez unio per se substantialis hypostatica vix explicari potest.

Christus est ens per se unum et suppositum numero unum. Sed haec unitas per se numerica in explicatione P. Suarez servari non videtur. Nam *ubi duae substantiae dantur, quarum unaquaeque per se propria existentia substantiali gaudet; ibi sunt duo habentia esse in se, duo simpliciter in se et per se seu per suam existentiam extra causas posita. Atqui* duo per se et in se simpliciter existentia numquam unum numerice ens per se erunt. *Ergo* in explicatione P. Suarez unitas substantialis per se servari non videtur.

Dices: Etsi in Christo duae sint existentiae, cum duae numero naturae in Christo permaneant; tamen Christus est ens per se unum numero; quia hae *duae existentiae unius suppositi sunt.*

Respondeo: ex duobus actu existentibus non fit unum ens per se et simpliciter ergo neque unum suppositum; quia *tot numerantur entia simpliciter, quot actus existentiae substantialis.* Unum *per accidens* ex pluribus praeditis actu substantialis existentiae fieri concedimus. Quidquid autem substantialiter *in se* existit, eo ipso et *per se* existit seu est suppositum existens. Nam, si aliquid per existentiam substantialem non existeret etiam *per se*, tunc *illa existentia substantialis non esset vere substantialis, quippe quae aliquo fulcro ac veluti subiecto inhaesionis indigeret*; quod contra rationem substantiae esse, nemo est, quin videat. Ubi ergo duae existentiae substantiales reperiuntur, ibi etiam sunt duo supposita.

3. Unio hypostatica per modum substantialem unionis non obtinetur.

a) Modus unionis creatur et humanitati, dum iam per suam existentiam existit, advenit. Sed, *quidquid enti substantialiter existenti advenit, ut accidens ei advenit; et rursus accidens nequit esse causa formalis unionis substantialis. Ergo* per modum substantialem unionis hypostatica unio non explicatur.

b) Praeterea S. Thomas explicite docet: *in unione hypostatica inter humanitatem Christi et Verbum nihil medium cadere*, quod hypostaticae unionis utriusque causa formalis esset. *Atqui* in doctrina P. Suarez modus substantialis unionis medius inter humanitatem et Verbum cadit, in humanitate producitur, quo haec hypostatice Verbo uniatur. *Ergo* modus ille unionis contra mentem S. Thomae introducitur.

Prob. Mai., 3, Dist. 2, q. 2, a. 2, *Sol.* I.: « Sciendum est, quod in unione humanae naturae ad divinam nihil potest cadere medium formaliter unionem causans, cui per prius humana natura coniungatur quam divinae personae; sicut enim inter materiam et formam nihil cadit medium in esse, quod per prius sit in materia quam forma substantialis; *alias esse accidentale esset prius substantiali*, quod est impossibile; — ita etiam inter naturam et suppositum non potest aliquid dicto modo cadere, cum utraque coniunctio sit ad esse substantiale ». *Ibid. Sol.* III: « Dicendum, quod inter humanam naturam et divinam *necesse est cadere unionem mediam*, non sicut causam sed sicut effectum, coniunctionem naturarum consequentem. Ex hoc quod motus assumptionis humanae naturae terminatur ad personam, consequitur haec relatio, quae dicitur unio; unde *unio est medium non sicut assumptionem causans, sed potius sicut eam consequens* ». (Cfr. 3 P., q. 2, a. 10; q. 6, a. 6).

Dices: naturam humanam, priusquam assumatur, modo substantiali *elevari* oportere, quo assumptibilis redderetur et ad personam Verbi traheretur; quia assumptio, quin immo assumptibilitas, vires naturales humanitatis prorsus transcendit.

Respondemus cum S. Thoma: « Quamvis assumi in unitatem divinae personae sit supra facultatem humanae naturae; *non tamen exigitur aliquid formaliter humanam naturam elevans ad talem assumptionem*: tum quia, quocumque addito, talis natura a persona divina in infinitum distaret; tum quia, cum assumi per se naturae conveniat; omnia autem accidentia praeter rationem naturae sint, ideo *non poterit* humana natura secundum id, quod assumptibilis est, *elevari per aliquod accidens additum*, ad hoc ut assumptibilior fiat: sed ad hoc, ut assumatur, exigitur benignitas divina humanam naturam ad tantam dignitatem gratis elevans » (3, Dist. 2, q. 2, a. 2, Sol. I., ad 3).

Pars II. — Subsistentia non videtur esse modus seu ultimus terminus naturae individuae; non eo igitur humanitas Verbo hypostatice unitur, quod hypostasis Verbi eminenter vices huius termini supplet.

A). Exposito sententiae Cajetani et sequacium.

Secundum Cajetanum Thomam de Vio († 1534, *Commentar in P. III*, q. 4, a. 2; q. 17 a. 2), B. de Medina († 1581, *In P. III.*, q. 4, a. 2), D. Bannez († 1604, *Commentar. In Summam Theol. S. Thomae, P. I*, q. 3, a. 3), Didacum Alvarez († 1635, *De Incarnatione Divini Verbi*, 3 P. q. 4, a. 1, Disp. 23), Ioan. a S. Thoma († 1644, *Cursus Theologicus*, P. I, q. 3, Disp. 4, a. 1), Gonet († 1681, *Clypeus Theol. Thomist.*, *De Incarnatione*, Disp. 6, a. 3), Salmanticenses (*Cursus Theologicus, De Incarnatione*, Tract. 21 Disp. 8, Dub. 1 et 3), R. Billuart († 1757, *Cursus Theologiae, De Incarnatione*, Diss. 4, a. 1 et 3), E. Hugon († 1929, *Tractatus Dogmat. De Verbo Incarnato*, q. 2, a. 2), Diekamp (*Katholische Dogmatik*, Münster 1921[5], t. 2, p. 201 seq.), D. Mingoja (*De Unione hypostatica*, Op. Cit., p. 38 seq.; 272 seq.) subsistentia humana est *modus substantialis vel terminus ultimus et purus naturae individuae*, qui modaliter-realiter tum a substantia singulari tum ab existentia distinguitur.

Subsistentia dicitur esse *terminus naturae*, quia naturam suppositare nihil aliud innuit, nisi ipsam terminare et complere. Ista vero *terminatio*: non est *accidens*, quia non advenit primo esse rei iam omnimode constituto in ratione primae substantiae; non est *substantia*, quasi nova natura superaddita naturae singulari, nec est *differentia* substantiae, neque *pars* sicut materia et forma. sed est *realitas* in genere substantiae *reductive*, quatenus est *perfectiva ac completiva substantiae in linea substantiae* et requisitum substantiale, ut substantia actu existat. « Est autem huiusmodi realitas, ait *Cajetanus* (III P., q. 4, a. 2), in genere substantiae *reductive*, sicut reliquae rationes constitutivae substantiarum, ut rationale et huiusmodi, quamvis non sit differentia proprie

loquendo, sed est *terminus ultimus, ac ut sic, purus, naturae substantiae* ».

Dicitur terminus *ultimus*, quia natura, quamvis individua, numquam est terminata in ratione subsistentis, donec suppositetur. Est insuper terminus *purus*, nempe personalitas *non est principium formale aut materiale* constituens intrinsece naturam in ratione speciei vel individui ut sic; etenim *terminare in suo conceptu nullam dicit causalitatem sive intrinsecam sive extrinsecam;* sed est pura terminatio naturae, eo modo, quo punctum terminat lineam (1).

Subsistentia *realiter-modaliter a natura individua distinguitur*. Non realiter sicut res a re, sed modaliter. Modus ille substantialis, quamvis distinctus, separatus existere non valeret. « Iste modus seu terminus (inquit *Ioannes a S. Thoma*) est quodammodo *idem* (quod natura individua) et quodammodo *non idem;* sicut terminus est terminans quasi idem et quasi non idem, est enim *aliquid eius*, scl. terminus et *non est illud*, ut patet de puncto et linea. Ratio vero est, quod subsistentia se habet ut terminatio substantiae; inde autem sequitur, quod *subsistentia non datur tamquam extremum componens*, sed ut terminatio ipsa seu totalitas completa et *resultans ex compositione* aut constitutione omnium partium seu praedicatorum substantiae, ergo *non se debet habere ut realitas*, sed ut modus; dat enim statum quemdam seu modum essendi ipsi rei, quam afficit, sicut punctum, dum terminat lineam. *Ipsum terminare, modificare est*, et esse terminatam non est aliud, quam sic esse modificatam, ut non ulterius se extendat, aut componat cum alio, sed ibi sistat. Ergo (subsistentia) *addit supra substantiam non realitatem*, sed modum rei, scl. totaliter se habere seu per modum totius » (2).

Subsistentia differt realiter ab existentia; persona vero est subiectum formale et immediatum susceptivum existentiae, tamquam rem terminantis in linea entis realis; hoc autem efficitur.

---

(1) Cfr. Mingoja, *De Unione Hypost.*, Op. Cit., p. 17, 18.

(2) Cfr. Ioan. a S. Thoma, *Curs. Theol.*, I P. I, q. 3, Disp. 4, a. 1. Ed. Vivès, p. 560-561, n. 22, 23.

quatenus *prius* subsistentia terminat naturam, *postea* vero naturae-subsistenti advenit existentia, ita ut *existentia recipiatur primo et immediate in subsistentia* et *hac mediante*, in natura.

Humanitas Christi personalitate humana caret, quia *tum* connaturali modo substantiali seu ultimo termino puro perseitatis, *tum connaturali* actu existentiae privatur. Individua natura humana Iesu substantialiter hypostatice Verbo unitur; quia hypostasis Verbi modo eminentissimo tum vices illius termini ultimi naturae tum vices actus existentiae substantialis supplet.

« Ex hoc, inquit *Ioannes a S. Thoma*, optime intelligitur mysterium incarnationis, in quo Verbum assumpsit naturam humanam, reddendo illam non terminatam a se, sed terminatam ab alio, quasi excludendo terminationem illam per hoc, quod natura humana tracta fuit ad terminum et totalitatem alterius, tamquam si esset pars eius; sicut videmus, quod ut aliqua linea vel superficies, quae erat terminata suis punctis, ponatur sub alieno termino, sufficit, quod uniatur et continuetur cum altera; sic enim redditur tamquam pars eius. Ita *Verbum divinum exclusit modum terminationis ab humana natura*, reddendo illam tamquam partem Verbi, quod se habet ut persona totalis et integra: et sic *natura humana amisit terminationem propriam* et alieno termino substantiali terminata est. Neque aliud fuit *Deum fieri hominem*, quam naturam humanam, quae de integrali et totali modo postulabat existere, utpote substantia, *impedire a propria terminatione* et alteri seu personae uniri » (1).

B) Crisis explicationis Cajetanae.

1. — Concedimus in sententia Cajetani unionem per se substantialem servari.

Etenim a Thomistis e familia religiosa Ordinis Praedicatorum Deo-homini *unum dumtaxat esse existentiae substantialis tribuitur*. Agnoscimus insuper tuemurque varios entis accidentales modos, quin immo et modos substantiales. Diversi enim modi ens corporeum et incorporeum, vivens vel vita carens, sentiens aut non sentiens, rationale vel irrationale est. Hos tamen modos sub-

(1) Cfr. Ioan. a S. Thoma, *Ibid.*, p. 561, 562.

stantiales, ab ipsa substantiali realitate modaliter realiter distingui, contendet nemo. Quamvis igitur *modos substantiales ratione a substantia distinctos admittamus, quamvis in propugnanda unica* substantiali *existentia* in Christo cum tot tantisque S. Thomae Commentatoribus *conveniamus;* nihilominus, (quovis meliori iudicio salvo), quoad rationem formalem subsistentiae et rationem formalissimam unionis hypostaticae cum Cajetano et sequacibus non concordamus.

2. — Censemus: rationem formalem personalitatis in modo substantiali seu termino puro non consistere.

a) Persona eo formaliter constitui nequit, quod, praeter naturam singularem, ontologice nulla realitas est. *Atqui modus substantialis seu terminus purus, praeter naturam singularem, ontologice nulla realitas est. Ergo* persona per modum substantialem formaliter constitui nequit.

Maiorem sequaces Cajetani concedunt; secus persona *per ipsam* naturam individuam plene constitueretur. Staret igitur opinio Tiphani et Scotistarum.

Prob. min.: Id ontologice non est substantialis realitas ulla, quod neque substantia completa, neque incompleta, neque pars substantiae, neque principium substantiale dici et esse potest. *Atqui,* fatente Cajetano et sequacibus, *modus substantialis neque substantia completa, neque incompleta, neque pars substantialis neque principium substantiale dici et esse potest. Ergo* modus substantialis, praeter et extra naturam individuam, ontologice est realitas nulla.

Dices: Modus substantialis est realitas *reductive* substantialis!

Respondeo: Id *nec reductive* aliqua substantialis realitas est, quod neque est materia neque forma; nullamque prorsus causalitatem, sive intrinsecam, sive extrinsecam exercere asseritur. *Atqui modus substantialis neque materia est, neque for-*

ma, nullamque causalitatem, sive intrinsecam, sive extrinsecam exercet. Ergo modus substantialis, praeter et extra naturam individuam, neque reductive est substantialis aliqua realitas.

Prob. min.: Ad instruendos « novitios » inquit *Cajetanus*: (In 3 P., q. 4, a. 2) Personalitas est terminus purus. Porro « terminare ut terminare, nullam dicit causalitatem. Personalitas, ut terminans naturam; nullam causalitatem dicit respectu naturae terminatae, ita quod non solum est *extra genera causarum extrinsecarum*, sed etiam *extra causas intrinsecas*, quoniam nec in genere *causae formalis*, nec in genere *causae materialis* se habet ad naturam, sed ut terminus eius ».

Si igitur modus personalitatis, *qua limes et terminus purus* nulla prorsus realitate substantiali pollet; quo pacto naturam individuam, *perfecte individuam, ultimo perfectam in ratione naturae* et *incommunicabilem* reddere poterit!? Quomodo id praestabit, si nulla est substantialis realitas?

Dices: Modus personalitatis id praestat, quatenus ut aliqua *realitas reductive substantialis est* et concipitur.

Respondeo: *Ioannes a S. Thoma* non semel, categorice *negat*: *modum substantialem vel aliquam realitatem substantialem esse.* Quin immo hoc ipse probat. « Repugnat, quod id, quod se habet ut terminus formalis, seu ratio terminandi in aliqua compositione, sit realitas et non modus, nam *id, quod se habet, ut realitas componere debet cum eo, cui adiungitur, ut ex illis resultet totum per se vel per accidens;* ipsa vero ratio totalitatis seu terminationis et, ut sic dicam, « ultimationis », non potest se habere ut ultima ratio et terminatio compositi; ergo *non potest esse realitas componens.*

Unde, *si id, quod se habet ut terminus* et tanquam terminatio ultima, *esset realitas, deberet uniri rei,* quam terminat et inde resultare aliud totum et alia terminatio et non totum per accidens et *sic esset processus in infinitum...* ». Debemus « ergo dicere: modum ipsius totalitatis et terminationis *non realitatem*

superadditam (esse); *realitas enim potius se habet ut componens*, quam ut terminatio ipsa compositi seu totius » (1).

Dices: Modus personalitatis non confert quidem quidquam substantialitatis *qua terminus ultimus et limes*, sed confert *qua ultimum complementum naturae individuae.*

Respondeo: Id aliquid substantialitatis afferre et conferre potest; quod ontologice, praeter naturam individuam, existit. Sed id, quod neque substantia est, neque principium substantiale ullum; quod nullam causalitatem sive extrinsecam sive intrinsecam exercet; id quamvis *adesse et existere affirmetur*, ontologice est nihil. Quod nihil est; nihil afferre vel conferre potest. Adeoque modus personalitatis, realiter-modaliter a natura individuali distinctus, etiamsi contradictoria non involveret (2), etiamsi gratis non fingeretur; tamen certo *aliquid mysteriosissimum esset, mysteriosius ipso mysterio* Incarnationis!

b) Dato et non concesso, nullam ex his inconvenientiis urgere; nova instantia contra modum personalitatis Cajetaneum movetur. Asseritur enim a Cajetano et sequacibus: naturam individuam demum per modum personalitatis existentiae recipiendae *capacem* reddi. *Atqui* hoc assertum cum certis principiis S. Thomae conciliari nequit, qui constanter affirmat: materiam *per se*, nullo interveniente medio, formae recipiendae *capacem esse*, potentiam subiectivam *per se* actus connaturalis susceptivam esse, essentiam *ex se* et *per se* actus existentiae recipiendi *capacissimam* esse. *Ergo* subsistentialis modus, ut elementum a doctrina *S. Thomae* alienum atque heterogeneum, incaute introductus est.

---

(1) Cfr. Ioannes a S. Thoma, *Curs. Theol.*, In P. I, q. 3, Disp. 4, a. 1, ed. Vivès, p. 561.

(2) Omnibus attente, quae sequaces Cajetani de modo docent, perpensis, concludit *P. Billot*: Suppositalitas modalis simul aliquid adderet et nihil adderet. Aliquid *adderet*, pro quanto asseritur esse *positivum principium*, praeter principia rei terminandae; *nihil adderet*, pro quanto dicitur esse *purus terminus*, cuius adaequata ratio proponitur in essendo illud rei, post quod nihil rei est. Quae omnia contradictionem involvunt, ut apparet in terminis (Billot, *Op cit.*, p. 88).

Prob. min. De Verit., q. 27, a. 5 ad 17: « Dicendum, quod essentia animae immediate est essendi principium, operationis vero principium est mediantibus potentiis ».

C. Gent., l. 2, c. 55: « Forma manente, oportet rem esse: per formam enim substantia fit proprium susceptivum eius, quod est esse. Esse per se consequitur ad formam; per se enim dicimus, quod est secundum ipsum; unum quodque autem habet esse, secundum quod habet formam... Manifestum est enim quod substantia completa est proprium susceptivum ipsius esse; proprium autem susceptivum alicuius actus ita comparatur, ut potentia ad actum... Sicut ignis ita comparatur ad calorem ut potentia ad actum ».

C. Gent., l. 2, c. 54: « Comparatur enim forma ad ipsum esse sicut lux ad lucidum vel albedo ad album esse; deinde, quia etiam ad ipsam formam comparatur ipsum esse ut actus. Per hoc enim in compositis ex materia et forma, forma dicitur principium essendi, quia est complementum substantiae, cuius actus est ipsum esse, sicut diaphanum est aëri principium lucendi, quia facit eum proprium subiectum luminis ». *S. Th.*, I P., q. 50, a. 5: « Rotunditas a circulo separari non potest: quia convenit ei *secundum seipsum;* sed æneus circulus potest amittere rotunditatem per hoc, quod circularis figura separatur ab ære. Esse autem *secundum se* competit formae, *unumquodque enim ens actu est, secundum quod habet formam* ».

3. — Cajetanus et sequaces hanc rationem formalem unionis assignant, quam S. Thomas excludit.

Secundum Cajetanum et sequaces natura humana Christi formaliter ad rationem personae humanae non pertingit *propter defectum ultimi complementi naturae, ultimae perfectionis naturae et substantiae perfecte individuae. Atqui* secundum S. Tho-

mam natura humana Christi personalitate humana caret *non propter qualemcumque defectum vel diminutionem naturae. Ergo* explicatio unionis et rationis formalis personae, a Cajetano data, contradicit S. Thomae.

Ad mai. Cajetanus. In P. III, q. 4, a. 2: « Ex modo, quo videmus multiplicari hypostases, rationi consentaneum apparet, quod hypostasis terminationem naturae singularis superaddat. Ex hoc namque, *quod realitas personalitatis est terminus ultimus naturae*, patet primo difficultas de identitate et diversitate eius a natura singulari: est enim idem et quodammodo non idem: sicut terminus et terminatio quasi idem et quasi non idem ».

Prob. min. S. Thomas, 3 P., q. 4, a. 2 ad 2: « Dicendum, quod naturae assumptae non deest propria personalitas propter defectum alicuius, quod ad perfectionem humanae naturae pertineat, *sed propter additionem alicuius, quod est supra humanam naturam, quod est unio ad divinam personam* ».

Pars III. — Cum subsistentia nihil aliud sit quam substantia singularis prout suo esse substantiali actuata; — natura humana Christi personalitate connaturali caret et Verbo hypostatice unitur, quia per esse personale Verbi existit.

Exponitur et defenditur sententia Capreoli.

Ioannes Capreolus († 1444, *Defensiones Theologicae Divi Thomae Aquinatis, L. III Sent.*, Dist. 5, q. 3, a. 3; Dist. 6, q. 1, a. 1-3) prima lineamenta explicationis adumbravit, quam alii ut: Terrien († 1908, *De Unione Hypostatica Doctrina Sincera S. Thomae Aquinatis*, Parisiis 1894, p. 67-97), Billot (*De Verbo Incarnato*, th. 7), Janssens († 1925, *De Deo Homine, Christologia*, Frib. 1901, p. 626 seq.), G. Van Noort (*Tractatus de Deo Redemptore*, Amstelodami 1910², p. 27 seq.), A. Michel (*Hypostase*, DTC 7, 423 seq.),

R. Welschen, O. P. (*La Personne, son concept d'après S. Thomas*, « Rev. Thomiste », 1914, p. 128-142; 1919, p. 1-26), Th. Pègues, O. P. (*Commentaire français littéral de la Somme Théologique*, Paris 1924, t. XV, p. 70-76), G. Mattiussi († 1925, *In Tractatum De Verbo Incarnato*, Romae 1925², p. 69 seq.), M. De La Taille (*Entretien amical d'Eudoxe et de Palamède sur la grâce d'union*, « Rev. Apolog. », 1929, p. 1-26, 129-145), complerunt et perfecerunt.

Verba Capreoli excipiamus: « Rem aliquam creatam per *se subsistere*, potest intelligi dupliciter. *Primo modo*, quia subsistit per se, sicut per actum subsistendi; et sic conceditur, quod nulla creatura per se subsistit, quia *nulla creatura subsistens est suum esse. Secundo modo, quia habet in se proximum elicitivum et susceptivum illius actus* et sic omnis prima substantia per se subsistit. Nos *non dicimus*, quod natura (abstracta, universalis) sit suppositum, nec quod compositum ex natura (universali) et esse sit suppositum; sed, quod aliquid medium est suppositum, scilicet individuum naturae stans sub tali esse. In talibus enim *individuum addit supra naturam* (specificam) et *suppositum supra individuum*. In angelis vero dicimus, quod suppositum est non aliquid tertium constitutum ex natura et esse, sed *natura stans sub esse*...

Verbum divinum suppositat humanam naturam non isto modo, quod sit terminatio eius, eo modo, quo actus est terminus potentiae et esse est terminus essentiae, sed alio modo: quia scilicet trahit humanitatem ad suum terminum et ad suum esse et ad suam actualitatem: sicut arbor, cui inseritur ramus, trahit ramum ad suam subsistentiam et ad suum suppositum » (¹). Perpendamus et compleamus, quae breviter dicta sunt a Capreolo.

1° Subsistentia nihil aliud est quam substantia individua prout connaturali sibi actu existentiae actuata.

(¹) Cfr. I. Capreolus, *Defensiones Theologicae*, Turonibus 1904, t. 5, p. 110.

Subsistentia, prout est illa ratio abstracta, per quam persona in ratione personae constituitur, vel *adaequate, complete* vel *inadaequate et incomplete* considerari potest. Subsistentia *adaequate et complete* spectatur, si ea *omnia* complectitur et dicit, quibus persona concreta constitui intelligitur. Subsistentia *inadaequate* spectatur, si *aliquod* ex constitutivis formalibus personae effert et adfert. Iamvero duo sunt essentialia veluti elementa omnis suppositi et personae: a) *substantia individua*, b) *incommunicabilitas eiusdem* (1). *Quaerimus*: quaenam est ratio obiectiva, quae haec duo praestat seu quidnam est subsistentia *adaequate spectata?*

Subsistentia ita spectata est-ne adaequate idem, quod substantia individua? Si subsistentia a substantia individua nihilo differret, *nihil plus realitatis*, quam natura individua esset: tunc natura individua Christi, quia et in quantum substantia humana, individua; etiam subsistens dici deberet, adeoque persona esset; quod quam dogmati revelato evidenter contradicat, illico perspicitur. Existentia substantialis, formaliter *ut existentia*, seorsim spectata est-ne adaequate subsistentia? Pariter non! Nam *existentia ut existentia* nonnisi rem extra causas ponit; et omnes substantiae individuae in hoc et per hoc, quod extra suas causas sunt, *minime differunt*. Ratio *distinctionis* rerum inter se non est existentia, sed *talis natura, talis essentia*. Iamvero de ratione subsistentiae est, ut aliquod subsistens *distinctum* efficiat.

Unde ergo suppositum formaliter *adaequate* habet, quod sit subsistens distinctum, incommunicabile? *Non a sola substantia individua;* quia natura humana individua in Christo persona non est, quamvis sit substantia singularis, in ratione naturae prorsus perfecta. *Non a sola existentia substantiali, ut est existentia*, adaequate ratio subsistentiae provenit; existentia enim ens substantiale *incommunicabile* efficit, sed *non dat ei per se distinctam singularitatem*, quippe quae formaliter causetur per talem materiam et per talem formam.

---

(1) Cfr. II, Dist. 3, q. 1, a. 2.

Quare, id est adaequate formaliter subsistentia, quo aliquid subsistens singulare, distinctum, incommunicabile redditur. *Atqui aliquod subsistens singulare, distinctum, incommunicabile redditur per substantiam individuam, quae et quatenus stat sub suo convenienti actu existentiae. Ergo* subsistentia adaequate formaliter est substantia individua, quae et quatenus suo convenienti actu existentiae terminatur.

Prob. min. 1°. Substantiam singularem, individuam de ratione subsistentis et subsistentiae saltem inadaequate esse, nemo Theologorum in dubium unquam vocavit. Decretorie asserit idem S. Thomas 3 P., q. 2, a. 2: « In supposito *includitur ipsa natura speciei* et supperadduntur quaedam alia, quae sunt praeter rationem speciei, unde *suppositum significatur ut totum habens naturam sicut partem formalem et perfectivam sui* ». *Quodl.* 2, a. 4: « In significatione naturae includitur solum id, quod est de ratione speciei; suppositum autem non solum habet haec, quae ad rationem speciei pertinent, sed etiam alia, quae ei accidunt et ideo *suppositum signatur ut totum; natura autem sive quidditas ut pars formalis* ». Quin immo Scotistae et Tiphanistae subsistens et substantiam individuam re identificaverunt. Suarezii et Cajetani sequaces substantiam individuam e ratione formali subsistentiae non excludunt, sed contendunt: substantiam perfecte individuam demum per modum substantialem effici. Ostendimus (p. 118-120; 126-128) modum illum substantialem gratis et frustra confingi. S. Thomas in compositis aliam rationem individuationis non novit, nisi materiam signatam quantitate et talem formam. Quot vicibus repetit: formam receptibilem in materia *individuari per materiam;* illam autem *formam,* quae non est receptibilis in materia, *per seipsam individuari?* (1) Sufficit illam longam seriem textuum

(1) Cfr. *S. Th.*, P. I, q. 3, a. 2 ad 3; q. 3, a. 3; q. 13, a. 9; P. III, q. 77, a. 4; IV Dist. 12, q. 1, a. 1, q. 3 ad 3; *De Pot.*, q. 9, a. 3 ad 5. *Hae carnes et haec ossa et haec anima sunt principia individuantia hominem.* P. I, q. 29, a. 2 ad 3; q. 29, a. 4; q. 30, a. 4; q. 33, a. 2; q. 75, a. 4; q. 85, a. 1 ad 2; *C. Gent.*, l. I, c. 65; l. II, c. 74; *De Verit.*, q. 10, a. 5; *De Pot.*, q. 9, a. 1 ad 6.

videre, qui in « *Tabula aurea* » *sub nomine* « Individuum » (40) indicantur. *Substantia individuatur per seipsam.* Ideo individuum eius habet speciale nomen scl. hypostasis; non autem accidentia, quia individuantur per subiectum [1].

In specie quaedam audiamus. *De Pot.* q. 9, a. 4: « Distinctum subsistens in natura humana non est nisi *aliquid per individualem materiam individuatum* et ab aliis diversum », *De Pot.*, q. 9, a. 3 ad 13. « In rebus creatis principia individuantia duo habent: quorum unum est, quod sunt *principium subsistendi*, (natura enim communis de se non subsistit, nisi in singularibus) aliud est, *quod per principia individuantia naturae ab invicem distinguuntur* ». I, Dist. 26, q. 1, a. 2 ad 2: « *In creaturis hypostases distinguuntur per materiam* et proprietates diversae sunt ostendentes distinctionem ». I. Dist. 25, q. 1, a. 1 ad 8: Particulare efficitur individuum per aliquod principium essentiale, quod quidem in rebus compositis est materia et in rebus divinis est relatio distinguens ».

Iure merito ergo *concludimus*: substantiam individuam, quae ex unanimi Theologorum consensu ad rationem formalem (saltem ut pars) pertinet, non per aliquem modum personalitatis, sed *per talem materiam et per talem formam in ratione alicuius individui distincti* constitui.

Prob. min. 2°. Substantia individua, distincta, incommunicabilis efficitur per suum connaturalem actum existentiae.

Incommunicabilitas est illa substantiae individuae proprietas, vi cuius talis substantia in unionem per se substantialem cum altero subsistente venire non potest. *Atqui substantia individua in unionem per se substantialem cum altero subsistente venire non potest, si et quatenus stat sub suo actu existentiae substantialis. Ergo* incommunibilitas substantiae individuae efficitur per actum convenientis existentiae substantialis.

---

(1) S. *Th.*, P. I, q. 29, a. 1: q. 39, a. 1 et 3: *De Pot.*, q. 9, a. 1 ad 3 et ad 8 etc...

Prob. min. Ex duobus, actu substantialis existentiae praeditis, non fit ens unum simpliciter (cfr. p. 112 seq.). III, Dist. 18, q. 1, a. 1 ad 3: « *Unitas rei consequitur esse suum.* Unde eodem modo praedicatur de re ens et unum, quod convertitur cum ente. Et ideo non potest esse, quod sit suppositum unum et esse eius non sit unum ». *Quodl.*, 9, a. 3 ad 2: « *Esse est id. in quo fundatur unitas suppositi*: unde esse multiplex (substantiale) praeiudicat unitati suppositi ».

Existentia ergo substantialis, utpote ratio perfectae incommunicabilitatis substantiae individuae, in rationem formalem personalitatis intrinsece intrat; *non* quidem *ut unica, totalis et adaequata ratio* subsistentiae, sed *ut eius pars* intrinsece constitutiva. Nihil enim subsistit, quod actu existentiae substantialis in se et per se caret; et vicissim omnis substantia individua, quae nondum connaturali actu existentiae terminata est, adhuc alteri ut pars communicari potest. Persona proinde differt ab existentia ut totum a sua parte intrinsece constitutiva; pari modo differt persona a natura individua, si natura concipitur, ut nondum actu connaturali existentiae terminata.

Dices: S. *Thomas explicite negat* (*Quodl.*, 2, a. 4 c. et ad 2; *Quodl.*, 9, a. 3) *actum existentiae de ratione suppositi esse.*

Respondeo: Suppositum dupliciter considerari potest: denominative et formaliter. Suppositum *formaliter* est totum compositum ex substantia individua et connaturali actu existentiae. Suppositum *denominative* est tantum natura individua, quae ad existendum ordinatur et ordinem ad actum existentiae includit. Itaque S. Thomas, loquendo *de supposito denominativo* i. e. de natura individua, *qua* aliquid totum existet vel existere potest; affirmat actum existentiae de ratione suppositi (denominativi) non esse.

Insuper iuxta S. Thomam dupliciter aliquid de ratione alterius esse potest: aut *formaliter* i. e. *de essentia et definitione* eius, aut *integraliter-completive* ac veluti « per accidens ». « *Dupliciter* aliquid accipitur ut « accidens », *praeter rationem rei.*

Uno modo quia non cadit in definitione significante essentiam rei, sed tamen est designativum vel determinativum alicuius essentialium principiorum; sicut rationale accidit animali, utpote praeter definitionem eius existens, et tamen est determinativum essentialiter animalis; unde essentiale homini et de ratione eius existens. *Alio modo* accidit aliquid alicui, quia *nec est in eius definitione, nec est determinativum alicuius essentialium principiorum;* sicut albedo accidit homini » (*Quodl.*, 2, a. 4 ad 1). Quae cum ita sint; actus existentiae non est quidem de ratione i. e. definitione naturae individuae, sed accidit ei. (Quare angelicae etiam naturae) « quia non est suum esse, *accidit* aliquid praeter rationem speciei, scl. *ipsum esse* et alia quaedam, quae attribuuntur supposito » (*Ibidem*, ad 1). Item existentia sola non est de ratione suppositi scl. non est adaequata *definitio* suppositi. *Existentia tamen est de ratione suppositi,* inquantum est unum e principiis essentialibus suppositi.

Prob. min. 3°. *Persona* in ratione sua intrinsece constitutiva *importat, quod est perfectissimum in tota natura. Atqui* perfectissimum in tota natura est *actus existentiae connaturalis;* quippe qui sit ultima actualitas entis, actualitas omnium actuum, perfectio omnium perfectionum. *Ergo* actus existentiae, est de ratione intrinseca personae.

Adeoque S. *Thomas consequenter docet*: existentiam de ratione suppositi esse (sicut integraliter-constitutive de ratione compositi sunt partes eius essentiales). 3 P., q. 19, a. 1 ad 4: « Dicendum, quod *esse* et operari est personae a natura; aliter tamen et aliter; nam esse pertinet ad ipsam constitutionem personae; et sic quantum ad hoc se habet in ratione termini, et ideo *unitas personae requirit unitatem ipsius esse completi et personalis* ». 3 P., q. 2, a. 2 ad 2; « Personalitas in tantum pertinet ad dignitatem alicuius rei et perfectionem eius, in quantum ad dignitatem alicuius rei et perfectionem eius pertinet: quod *per se existat, quod in nomine personae intelligitur* » (Cfr. 1. P., q. 30, a. 2 ad 3; *Quodl.*, 9, a. 6).

Quibus bene perpensis facile tria in supposito distingues: *a*) *totum quod* existit et subsistit, cui omnia tribuuntur; *b*) id *quo* subsistit tamquam *actu* subsistendi ([1]); *c*) id *quo* subsistit tamquam *ratione exigitiva* subsistentiae. Ratio exigitiva (*qua*) subsistendi - est *talis natura* individua; actus (*quo*) subsistendi - est existentia substantialis, actuans naturam individuam; subiectum (*quod*), cui esse et operari convenit et tribuitur - est persona. Ad rem S. *Thomas* (I, Dist. 23, q. 1, a. 1): « Quandoque dicimus Socratem esse *essentiam* quandam; quandoque dicimus, quod essentia Socratis non est Socrates; et sic patet, quod *essentia* quandoque dicit *quo* est, ut significatur nomine *humanitatis;* et quandoque *quod est,* ut significatur hoc nomine *homo*. Similiter etiam *subsistere* est *actus* alicuius *ut quod* subsistit vel *ut quo* subsistit. Cum autem subsistere dicat esse determinatum et tota determinatio essendi consequatur formam, quae terminus est, constat; quod aliquid denominatur subsistens per primam formam, quae est in genere substantiae, sicut album per albedinem et animatum per animam; et ideo in Praedicamentis dicit Boëtius, quod συσίωσις vel *subsistentia* est forma, accipiens subsistentiam, pro *quo* subsistitur. Si autem accipitur subsistentia pro eo *quod* subsistit, sic proprie dicitur illud, *in quo* per prius invenitur talis natura hoc modo essendi ».

2° Humanitas Christi persona non est ideo, quia connaturali actu existentiae caret.

Actus existentiae ad rationem formalem constitutivam personae humanae partialiter pertinet. *Atqui* humanitas Christi con-

---

([1]) Per *actum existentiae* substantialis natura rationalis, individua *per se existit seu subsistit.* « Subsistere dicit determinatum modum essendi, prout scilicet aliquid est ens per se, non in alio, sicut accidens » (I, Dist. 23, q. 1, a. 1). Substantia « secundum quod *per se existit et non in alio,* vocatur subsistentia. Illa enim subsistere dicimus, quae non in alio, sed in se existunt », (I P., q. 29, a. 2).

naturali actu existentiae caret. *Ergo* humana natura Christi ideo persona non est, quia connaturali actu existentiae caret.

Prob. min. 1°. Si humanitas Christi proprio et connaturali actu existentiae gauderet, Christus ens substantialiter per se, simpliciter unum esse non posset. *Atqui* Christus est ens substantialiter per se, simpliciter unum. *Ergo* humanitas Christi connaturali et proprio actu existentiae caret.

Ad maiorem cfr. argumenta p. 112 seq.

Praecipue autem recole hoc: Ubi unitas per se substantialis non per vinculum eiusdem *essentiae* causatur; ibi unica ratio formalis convenientiae duorum ex unitate *actus existendi* habebitur. *Atqui* in Christo Iesu humanitas et divinitas in ratione eiusdem essentiae communis non conveniunt. *Ergo* in Christo Iesu unica ratio convenientiae humanitatis et divinitatis idem numero actus existendi erit. Proinde, si humanitas Christi propria existentia creata polleret, Christus ens per se simpliciter unum non esset.

Prob. min. 2°. Quidquid per se existit, est subsistens seu suppositum. Adeoque, si humanitas Christi propriam, creatam existentiam haberet, *per se* existeret seu subsistens et suppositum esset. Nam existentia substantialis rem formaliter extra causas ponit; quidquid autem formaliter est extra causas non solum in se, sed etiam per se existit. Ergo, si humanitas Christi propriam existentiam creatam haberet, etiam per se existeret seu subsistens et suppositum esset.

Frustra oppones; hoc ratiocinium valere de substantiis non assumptis; si vero aliqua substantia, in se existens, assumatur, haec assumpta substantia eo ipso non per se existet. Frustra argues ita! Nam per assumptionem solam substantia assumpta nihil prorsus in linea substantiae et existentiae perdidit; cur ergo, cum plane substantialiter immutata maneat et cum *in se* existere pergat, cur inquam, *per se* existere desineret? Dices, quia in persona Verbi est. Quid inde? Numquid per appositionem ad esse personale Verbi in se existere desiit? Minime. *Ergo*, si in se existit et existere pergit; etiam *per se existat*, oportet; quia per appositionem ad esse Verbi nihil perdidit.

Prob. min. 3° *ex auctoritate S. Thomae*, qui constanter docuit: humanitatem Christi proprio et connaturali actu existentiae carere. III, Dist. 6, q. 2, a. 2: « Loquendo igitur de esse *secundum quod est actus entis*, sic dico secundum opinionem secundam (quam Angelicus tuetur), oportet ponere tantum unum esse; secundum alias autem duas oportet ponere duo esse. Ens enim subsistens est, quod habet esse tamquam eius, *quod est*; quamvis sit naturae vel formae tamquam eius, *quo* est; unde nec natura rei nec partes eius proprie dicuntur esse, si esse praedicto modo accipiatur: similiter autem nec accidentia, sed suppositum completum, quod est secundum omnia illa. *Prima* ergo *opinio, quae ponit duo subsistentia*, ponit duo esse substantialia; similiter *tertia* opinio, quia ponit. *quod partes* humanae naturae *adveniunt* divinae personae *accidentaliter*, ponit duo esse, unum substantiale et aliud accidentale; *secunda* vero opinio, quia ponit *unum subsistens* et ponit humanitatem non accidentaliter advenire divinae personae, *oportet quod ponat unum esse*. Impossibile est enim, quod unum aliquid habeat duo esse substantialia; quia unum fundatur supra ens: unde, si sint plura esse, secundum quae aliquid dicitur ens simpliciter, impossibile est, quod dicatur unum. Sed non est inconveniens, quod esse unius subsistentis sit per respectum ad diversa principia constituentia ipsum: et similiter suo modo unum esse Christi habet duos respectus, *unum ad naturam humanam, alterum ad naturam divinam* ».

III, Dist. 6. q. 2, a. 3: « *Opinio prima* dicit, quod hic homo habet esse suum proprium: unde esse divinae personae ad ipsum non pertinet: similiter *tertia opinio* dicit, quod est esse superadditum ad esse personae divinae accidentaliter: unde anima et corpus non dicuntur partes personae, sicut nec accidentia subiecti. Sed secunda ponit unum esse in Christo; unde esse divinae personae pertinet ad utramque naturam ». 3 P., q. 2, a. 2 ad 3: « Licet haec *humana natura* sit quoddam individuum in genere substantiae, *quia* tamen *non per se separatim existit, sed in quodam perfectiori, scl. in persona Verbi Dei*, consequens est, quod non habeat personalitatem propriam ». 3 P., q. 17, a. 2: « Impossibile est, quod unius rei non sit unum esse. *Si* igitur *humana natura adveniret Filio Dei non hypostatice, sed accidentaliter*, sicut quidam po-

suerunt, *oporteret in Christo ponere duo esse*, unum quidem, secundum quod est homo: quia esse album non pertinet ad ipsum esse personale Socratis: esse autem capitatum et esse corporeum et esse animatum, totum pertinet ad unam personam Socratis; et ideo ex omnibus his non fit nisi unum esse in Socrate: et si contingeret, quod post constitutionem personae Socratis advenirent Socrati manus vel pedes vel oculi, sicut accidit in caeco nato, ex his omnibus non accresceret Socrati aliud esse, sed relatio quaedam ad huiusmodi; quia scl. diceretur esse non solum secundum ea, quae prius habebat, sed etiam secundum ea, quae sibi postmodum advenerunt; sic igitur, *cum humana natura coniungatur Filio Dei hypostatice, vel personaliter et non accidentaliter consequens est*, quod secundum humanam naturam non adveniat ei novum esse personale, sed solum nova habitudo esse personalis praexistentis ad naturam humanam; ut scl. persona illa iam dicatur subsistere non solum secundum divinam naturam, sed etiam secundum humanam ».

Quodl., 9, a. 3: « Esse proprie et vere non attribuitur nisi rei per se subsistenti; huic autem attribuitur esse duplex. Unum scl. esse resultans ex his, ex quibus eius unitas integratur, quod proprium est esse suppositi substantiale. Aliud est esse supposito attributum praeter ea, quae integrant ipsum; quod est esse superadditum, scl. accidentale; ut esse album attribuitur Socrati, cum dicitur, Socrates est albus. *Quia* ergo *in Christo ponimus unam rem subsistentem tantum, ad cuius integritatem concurrit etiam humanitas, quia unum suppositum est utriusque naturae*; ideo oportet dicere; quod esse substantiale, quod proprie attribuitur supposito, in Christo est unum tantum; habet autem unitatem ex ipso supposito et non ex naturis. Si tamen ponatur humanitas a divinitate separari, tunc *humanitas suum esse habebit aliud ab esse divino*. Et sic patet, quod secundum opinionem secundam oportet dicere, quod in Christo est unum esse substantiale, secundum quod esse est suppositi proprie, quamvis sit in eo multiplex esse accidentale ».

Prob. min. 4°. Si in Christo Iesu duae existentiae substantiales darentur; naturae duae, actu existentiae substantialis terminatae, *vel* dumtaxat *accidentaliter* unirentur, (nam e duobus integris actu non fit unum substantiale actu): *vel*, si substantialiter unirentur, alterutra earum *in potentia esse deberet*. *Atqui* repugnat ens substantialiter actu existens adhuc substantialiter in potentia esse. Existentia enim substantialis est *ultima actualitas* omnis formae et naturae. *Ergo* in Christo Iesu nonnisi una

est existentia personalis Verbi Dei, quae vices creatae existentiae supplet.

« *Supplet*, inquit P. Billot, pro quanto praestat humanitati *consistere in rerum natura;* non quidem tribuendo formaliter vel quasi formaliter realitatem specificam essentiae seu naturae, (hoc enim esset absurdum); sed *gerendo vices alterius comprincipii, sine quo natura creata extra causas sistere nullatenus potest.* Supplet tamen eminentiori modo, quia esse Verbi *nec recipitur* in humanitate, *nec contrahitur* ad eam, *nec qualibet alia ratione mutatur,* sed semper subsistendo in seipso, sustentat naturam creatam. Quapropter Verbum extendit ad humanitatem suum subsistendi actum per hoc solum, quod humanitas a Deo creata est et conservatur, non sub proprio esse ipsius, sed ut communicata hypostasi Verbi, cuius increata existentia eidem humanitati est loco esse proprii... Hinc tandem fit, ut Filius Dei incipiat exercere, etiam in natura assumpta, suum personalem existendi actum, iam nunc in appropriata sibi natura existens.

Hinc igitur habes, unde *aliquomodo concipias*, qualiter assumpta natura ita communicetur Verbo, ut existat per esse ipsius. Dixi tamen *aliquomodo...* Sane *omne esse creatum est contractum et limitatum* ad unam determinatam naturam, ad quam transcendentalem ordinem dicit et ex consequenti nequit se extendere ad aliam. Aliunde apparet inscrutabilis profunditas, quia non assequimur; quo pacto actus existentiae possit *actuare naturam citra receptionem in illo.* Actus purus, qui est Deus, utrumque potest. Quamvis positive nesciamus, *quid sit* illa actuatio irrecepta, non limitata; tamen ratiocinio adducimur, *quod sit* » (1).

3. Ratio formalis unionis hypostaticae est convenientia humanitatis et divinitatis Christi in personali esse Verbi.

Etenim convenientia humanitatis et divinitatis Christi *in aliqua communi natura* impossibilis est; quia de duarum naturarum in Christo integra et inalterata permanentia revelatio, (ut statim videbimus), certos nos reddit. Item *assumptio sola*, qua talis, nequit dici ratio formalis unionis hypostaticae; nam assumptio dumtaxat *via* ad unionem, atque *condicio* eiusdem est; cum unio rationem aliquam, in qua unita conveniunt, secum importet (cfr. p. 103 seq.). Ut talis ratio *nequaquam modus sub-*

(1) Cfr. Billot, *De Verbo Incarnato,* op. cit., p. 141 et 143.

stantialis assignari potest; modus loquor, qui medius inter Verbum et humanitatem caderet, hanc elevaret, ad Verbum traheret, Verbo consereret. In unione enim hypostatica inter Verbum et humanitatem *nihil medium cadit*, quod ipsius unionis causa esset. (Cfr. p. 121 seq.). Non restat ergo aliud, quod obiectiva ratio unionis hypostaticae esset, praeter et extra convenientiam humanitatis et divinitatis *in esse personali Verbi*.

Probo assertum: *a*) Unio hypostatica est convenientia duorum secundum actum hypostaticum. *Atqui* actus hypostaticus personae Verbi est esse personale Verbi. *Ergo* ratio formalis unionis hypostaticae est convenientia humanitatis et divinitatis Christi in esse personali Verbi.

Ad min. Quamvis esse divinum commune sit Tribus, et quamvis, secundum nostram explicationem, humanitas et divinitas in esse Verbi conveniant: ex hoc tamen, minime sequitur, humanitatem personaliter unitam esse toti Trinitati. Nam humanitatem *non* τῷ esse divino *simpliciter, absolute, ut sic considerato* unitam asserimus, sed contendimus: hanc cum esse divino uniri, *prout est personale esse Verbi*. In Deo quidem essentia divina et persona realiter non differunt. Sed quia essentia divina a relationibus virtualiter distinguitur: ideo esse divinum considerare possumus: *vel* prout est esse *commune, absolutum, vel* prout est *esse huius personae*, quae ab alia persona relatione distinguitur. Filiatio divina subsistens est quidem realiter idem, quod essentia divina: sed filiatio divina, ut subsistens, est secunda persona divina, Filius, qui ut vera persona suum esse personale habere concipitur. Hoc esse personale Filii realiter ab essentia divina non distinguitur; sed humanitati, *non prout commune, verum prout esse personale Verbi*, communicatum creditur.

Eiusdem distinctionis memores nos facit ipse *S. Thomas*, III, Dist. 6, q. 2, a. 2 ad 2: « In Deo ipsa essentia subsistens est, unde sibi secundum se debetur esse: immo ipsa est suum esse subsistens: unde essentia a persona non differt secundum rem et ideo esse essentiae est etiam personae; et tamen persona et essentia ratione differunt. Quamvis ergo unum sit esse, potest tamen esse considerari vel prout est essentia, *et sic non*

unitur humanitas in esse divino; unde non unitur Patri: vel potest considerari prout est personae; *et sic unitur in esse divino* ».

Probo assertum: *b*) ex auctoritate S. Thomae.

I, Dist. 17, q. 1, a. 1: « *Unio* humanae naturae in Christo *terminata est ad unum esse personae divinae et ideo* idem actus numero est personae divinae et naturae humanae assumptae ». I, Dist. 37, q. 1, a. 2: « *Creatura attingit ad ipsum Deum* non solum secundum operationem, sed *etiam secundum esse*: non quidem prout esse est actus essentiae, quia creatura non potest transire in naturam divinam sed secundum quod est actus hypostasis vel personae, in cuius unionem creatura assumpta est *et sic est ultimus modus, quo Deus est in Christo per unionem* ». III, Dist. 6, q. 3, a. 2 ad 2: « Quamvis (natura humana Filio Dei) adveniat post esse completum, *non tamen est accidentaliter adveniens*; quia trahitur ad unionem in illo esse, sicut corpus adveniet animae in resurrectione ». III, Dist. 11, q. 1, a. 2: « *Esse* dictum *simpliciter* de supposito *significat esse personale ipsius*; esse vero, secundum quod convenit parti vel accidenti, non dicitur simpliciter de supposito, sed suppositum dicitur esse in eo; unde, cum dico: *Christus est*, significatur esse ipsius, non autem esse ipsius naturae, vel accidentis vel partis. Cum autem fiat unio naturarum in esse suppositi secundum secundam opinionem, *esse, secundum quod Christus simpliciter esse dicitur, est esse increatum* ». 3 P., q. 2, a. 6 ad 2: « Verbum Dei ab aeterno esse completum habuit secundum hypostasim, sive personam: *ex tempore autem advenit ei natura humana*, non quasi assumpta ad unum esse, prout est naturae, sicut corpus assumitur ad esse animae; sed ad unum esse, prout est hypostasis vel personae et ideo humana natura non unitur accidentaliter Filio Dei ». 3 P., q. 6, a. 6 ad 1: « Unio nostra ad Deum est *per operationem*, in quantum scl. eum cognoscimus et amamus;

sed unio naturae humanae ad Verbum Dei est secundum esse personale ».

Conclusio. Quibus praestitutis, quae dicta sunt, ad brevem aliquam sinthesim redigamus. Tria explicanda erant: quid subsistentia; cur humanitas Christi connaturali personalitate careat; ob quam rationem formalem humanitas Verbo uniatur?

1° Quoniam Scotistae rationem formalem personae in *mera negatione* assumptionis et assumptibilitatis collocarunt, nihil explicant. Inassumptibilitas substantiae individuae in aliqua ratione intrinseca, obiectiva fundatur; nisi haec assignata fuerit, nodus quaestionis ne quidem tangetur. Apud Scotistas pariter ratio formalis unionis hypostaticae nulla indicatur. Nam *unio ipsa cum assumptione* male confunditur, quae formaliter apprime differunt.

2° Sequaces Tiphani verum dicunt, in quantum affirmant; falluntur, in quantum negant. Verum enim est: omne totum substantiale in rationali natura personam esse itemque omnem partem a ratione personae deficere. Haec quidem iure meritoque affirmantur! At, quia Tiphanistae simul contendunt « totietatis entis in se » nullam realem et obiectivam rationem dari, praeter et extra naturam individuam, decipiuntur. Illud enim est *ens in se totum, quod est indivisum in se et divisum ab omni alio, quin immo incommunicabile. Atqui* natura individua *per se*, qua natura, nondum est aliquid divisum ab omni alio et incommunicabile. *Ergo* natura individua, qua talis, nondum est aliquid totum in se seu nodum ad rationem personae pertingit. Suppositum evadet per aliquid sibi realiter superadditum.

Rursus ratio formalis divisionis entis ab omni alio eiusque incommunicabilitatis arbitrarie in aliquo modo « perseitatis » collocatur. Nam talis modus a Cajetano et Suarezio gratis, inutiliter, non sine contradictione fingitur; quare *ratio divisionis* substantiae individuae *ab omni alio*, ratio formalis *incommunicabilitatis* eiusdem seu causa formalis « totietatis entis in se » *repetenda est ab actu existentiae* substantialis. Existentia enim est ultima actualitas naturae individuae, quae hanc actuando,

indivisam in se, divisam ab omni alio et incommunicabilem reddit. Quamvis igitur existentia sola adaequate formaliter cum subsistentia non identificetur; tamen ad rationem formalem constitutivam personae ut pars pertinet.

3° Ad quaesitum ergo 2um et 3um, circa quod cardo controversiae vertitur, contra Suarezii et Cajetani fautores tenemus: humanitatem Christi a ratione personae humanae, non ob defectum alicuius modi personalitatis deficere, sed *ob defectum existentiae connaturalis;* nam actus existentiae ut pars formaliter constitutiva in rationem suppositi intrat. Natura proinde humana, cum connaturali actu existentiae careat, persona non est. Unitur vero in ratione hypostasis Verbo Dei non per aliquem modum creatum unionis, sed per hoc, quod per esse personale Verbi existit.

Solvuntur Difficultates.

Dices I: Unio hypostatica non est facta in esse personali Verbi.

1. Id non est ratio formalis unionis hypostaticae, quod est commune toti Trinitati. *Atqui* esse divinum commune est toti Trinitati. *Ergo* esse Verbi non est ratio formalis unionis hypostaticae.

Resp.: *C. mai. Dist. min.* Esse divinum absolute spectatum est commune toti Trinitati, *C. min.* Esse personale, relative a Verbo habitum, est commune, *N. min. Dist. Conseq.* Esse divinum, absolute spectatum, non est ratio unionis, *C. conseq.* Esse divinum, relative a Verbo habitum, non est ratio unionis, *N. conseq. Explico*: Deus Pater non aliam quidem realiter essentiam et existentiam habet, quam Filius et Spiritus Sanctus, sed eam habet alio modo. In Patre est esse divinum ut *non communicatum*, in Filio idem realiter esse est *ut communicatum* per generationem. Quare esse personale, relativum Patris non est formaliter esse personale Filii: adeoque, si humanitas in esse personali Filio hypostatice unitur, non in aliquo absoluto, quod Trinitati convenit, copulatur.

2. Unio hypostatica est relatio inter humanitatem et divinitatem. *Atqui* nulla relatio ex eo exurgit, quod humanitas per esse personale Verbi existit. *Ergo* existentia humanitatis per esse personale Verbi male assignatur ut ratio unionis.

Resp.: *Dist. mai.* Unio hypostatica est aliqua relatio accidentalis, *N. mai.* Est relatio substantialis, *subd. mai.* Est talis relatio

Verbi ad humanitatem, *N. mai.* Est talis relatio humanitatis ad Verbum, *C. mai. Ctrd. min. Explico*: Ipsa humanitas quatenus per esse personale Verbi existit, tota sua realitate ordinem ad Verbum dicit. « Respondeo, (ait *S. Thomas*, III, Dist. 5, q. 1, a. 1, sol. I), quod unio, relatio quaedam est. Omnis autem relatio fundatur vel supra quantitatem, secundum quod reducitur ad genus quantitatis, aut supra actionem, vel passionem. *Unitio autem est quaedam actio* vel passio, qua ex multis efficitur aliquo modo unum; et *hanc actionem sequitur ista relatio*, quae est unio. Relationum autem tam harum, quam illarum quaedam innascuntur ex motu utriusque; et tunc oportet, quod illae relationes sint realiter in utroque extremorum, sicut paternitas et huiusmodi: quaedam autem innascuntur ex motu unius, sine immutatione alterius, quod accidit in his, quorum unum dependet ad alterum et non e converso, sicut scientia ad scitum; et in talibus relatio est secundum rem in eo, quod dependet ad alterum, in altero vero secundum rationem tantum. *Cum igitur in Incarnatione non sit aliqua mutatio facta in natura divina, sed in humana*, quae tracta est ad unitatem in persona divina, erit haec relatio, scl. unio secundum rem in natura humana, in divina autem *secundum rationem tantum*, secundum quod aliqua sunt relativa, non quia ipsa referuntur, sed quia alia referuntur ad ipsa ».

3. Unio hypostatica secundum esse personale Verbi fieret, si causalitas huius esse ad aliquod genus causarum revocari posset. *Atqui* causalitas esse personalis Verbi ad nullum genus causarum revocari potest; non enim existit humanitas per esse personale Verbi ut per causam *materialem*, neque ut per causam *formalem*, neque ut per causam *efficientem*, (quia in hac ultima suppositione non causa formalis unionis assignaretur). *Ergo* unio hypostatica non est facta secundum esse personale Verbi.

Resp.: *C. mai. N. min.* Assigno quartum: causalitas esse personalis Verbi est reductive formalis. De ratione verae et proprie formae simulatque de ratione veri ac proprii actus finiti sunt duo: *recipi* in subiecto tanquam in propria potentia et *actuare seu perficere* subiectum, communicando illi seipsum. Divinum esse, qua irreceptum et irreceptibile, nequit ut forma *recipi*, nequit pariter supplere esse alicuius *essentiae* creatae, non potest supplere *actus cognitionis vel amoris*, nam hi actus a principiis intrinsecis creaturae eliciuntur; sed esse divinum *potest communicatione sui* dare alicui naturae *consistentiam extra causas*, seu eminenter supplere actum existentiae.

Actus enim existentiae non aequiparatur supra enumeratis formis, quia nec confert esse specificum seu esse tale vel tale; nec modificat subiectum quantum ad essentiam, vires, aut quaslibet proprietates; nec de sui ratione habet, exoriri ex intimo potentiarum, sicut operatio; sed communicatione sui confert consistentiam extra nihil et extra causas. Non repugnat ergo, ut esse divinum personale

Verbi suppleat eminenter vices creati actus existentiae. Sicut in visione beatifica species intelligibilis suppletur per essentiam divinam, ita similiter proprium esse humanitatis suppletur per esse personale Filii Dei. (Cfr. Billot, *Op. Cit.*, p. 148-152).

4. Esse existentiae est ipsi naturae intrinsecum. *Atqui* esse personale Verbi non potest esse ipsi naturae humanae intrinsecum. *Ergo* esse personale Verbi falso asseritur ut ratio formalis unionis hypostaticae.

Resp.: *Dist. mai.* Actus existentiae est intrinsecus naturae, sicut aliquid ipsius naturae constitutivum, *N. mai.* Sicut actus intrinsecus, ponens naturam extra causas, *C. mai. Ctrd. min.* Esse Verbi non potest esse naturae humanae intrinsecum constitutivum, *C. min.* Non potest fieri actus existendi irreceptus quidem, sed naturae dans consistentiam extra causas, *N. min.*

Dices II: Humana natura propriam existentiam creatam habet, ergo non ob defectum connaturalis existentiae a ratione personae deficit.

1. Quidquid creatur, suum esse habet. *Atqui* natura humana Christi creata est. *Ergo* suum esse habet.

Resp.: *Dist. mai.* Quidquid creatur, suum esse essentiae possidet, *C. mai.* Possidet esse existentiae, *subd. mai.* vel actum existentiae suum, vel alienum, *C. mai.* Dumtaxat suum. *N. mai. Dist. min.* Humanitas Christi creata est secundum esse naturae, *C. min.* Secundum esse existentiae, *subd. min.*. Creatus est actus existentiae connaturalis, *N. min.* Humanitas tracta est ad existentiam increatam Verbi, *C. min.*

Explico: Ab arguente falso supponitur, quod creatio praecise ad esse existentiae terminetur. Creatur proprie *totum* seu *res existens*, quae extra causas per suum actum sustentatur. Unde ad hoc, ut aliquid dicatur et sit creatura, non oportet necessario, ut ipse actus existendi creetur; *sufficit enim omnino, si natura e nihilo producitur*. Humanitas Christi eo producitur e nihilo, quod ad unitatem esse personalis Verbi assumitur, sicut pulchre *S. Leo M.* in ep. 35 ad Iulianum ait: « Natura nostra *non sic assumpta est, ut prius creata*, post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur ».

2. Natura humana, a Christo assumpta, est aliquod ens. *Atqui* omne ens actu existendi pollet. *Ergo* natura humana, a Christo assumpta, connaturali actu existendi pollet.

Resp.: *Dist. mai.* Est aliquod ens, quod per se connaturaliter existit, *N. mai.* Aliquod ens quo Verbum est homo, *C. mai. Ctrd. min.* Omne ens quo connaturali actu existendi ex se pollet, *N. min.* Omne

ens quod actu existendi pollet, *subd. min.* actu creato vel increato, *C. min.* Semper et dumtaxat actu creato. *N. min. Explico*: Natura humana non est ens *quod* subsistit et existit, quia persona humana dici deberet. Est autem ens *quo Verbum* subsistit ut homo.

3. Ut aliquid assumi possit, praeexistere debet. *Atqui* natura humana assumitur. *Ergo* antequam assumatur et, ut assumi possit, praeexistere debet.

Resp.: *Dist. mai.* Praeexistere debet tempore, *N. mai.* Secundum modum intelligendi, *C. mai. C. min. N. conseq. Explico*: Eodem instanti, eademque operatione natura humana Christi creata et assumpta est. Adeoque humanitas « quamvis non praeexistat tempore, praeexistit tamen secundum modum intelligendi et hoc sufficit ». (S. *Thom.*, III, Dist. 5, q. 3. a. 1 ad 2).

4. Quidquid entitas aliqua est, existentia quoque praeditum est. *Atqui* humanitas Christi, qua natura, profecto aliqua entitas est. *Ergo* humanitas Christi, qua natura humana, existentia quoque connaturali praedita est.

Resp.: *Dist. mai.* Quidquid entitas aliqua est, existentiam quoque habet per se, rationi sui, *N. mai.* Ratione alterius comprincipii, *C. mai. Ctrd. min.* Humanitas Christi aliqua realitas est, ratione sui et per se connaturaliter existens, *N. min.* Existens per Verbum, *C. min.*

5. Anima humana Christi, qua forma, dat esse corpori. *Atqui* non dat esse increatum. *Ergo* anima humana Christi corpori, quod informat, dat esse creatum.

Resp.: *Dist. mai.* Qua forma dat esse essentiae, *C. mai.* Dat esse existentiae, *subd. mai.* Acceptum a personalitate Verbi, *C. mai.* Acceptum *aliunde* seu diversum, *N. mai. Dist. min.* Anima humana Christi non dat esse essentiae increatum, *C. min.* Non communicat acceptum, increatum esse existentiae, *N. min. Explico* verbis S. Thomae (3 P., q. 17, a. 2 ad 4): « Anima in Christo dat esse corpori, in quantum facit ipsum actu animatum; quod est dare ei complementum *naturae et speciei*; sed, si intelligitur corpus perfectum per animam absque hypostasi habente utrumque, hoc totum compositum ex anima et corpore, prout significatur nomine humanitatis, non significatur *ut quod est*, sed ut *quo* aliquid est: et *ideo ipsum esse est personae subsistentis*, secundum quod habet habitudinem ad talem naturam: cuius *habitudinis causa est anima*, in quantum perficit humanam naturam informando corpus ».

6. Esse personale Verbi est aeternum. *Atqui* esse humanitatis Christi non est aeternum. *Ergo* esse personale Verbi non est idem, quod esse humanitatis Christi.

Resp.: *Dist. mai. Esse personale* Verbi, quatenus naturam divinam terminare concipitur; est aeternum, *C. mai.* Quatenus terminat naturam humanam Christi, *Subd. mai.* Est aeternum in se, *C. mai.* Terminatio seu eminens actuatio humanitatis per aeternum esse est aeterna. *N. mai. Dist. min.* Terminatio seu eminens

actuatio humanitatis per esse aeternum non est aeterna, *C. min.* Ipsum esse personale, quod humanitatem terminat et actuat, non est aeternum; *N. min.* Sapienter monet Doctor Angelicus (3 P., q. 17, a. 2 ad 2): « Illud esse aeternum Filii Dei, quod est divina natura, fit esse hominis, in quantum natura assumitur a Filio Dei in unitatem personae ».

7. Repugnat, ut ens contingens existat existentia necessaria. *Atqui* natura humana est ens contingens, dum esse personale Verbi est ens quam maxime necessarium. *Ergo* repugnat, ut natura humana Christi per esse personale Verbi existat.

Resp.: *Dist. mai.* Repugnat, ut ens contingens ex se et per se existat per existentiam necessariam, *C. mai.* Repugnat, ut actus increatus, necessarius aliquod ens contingens gratuito terminet atque eminenter actuet, *N. mai. C. min. Dist. conseq.* Repugnat, ut esse personale Verbi in natura humana, ut in potentia subiectiva recipiatur, *C. conseq.* Repugnat, ut Verbum suo esse humanam naturam eminenter actuet, *N. conseq.*

8. Generatio terminatur ad esse. *Atqui generatio*, qua Verbum fit caro in tempore evenit. *Ergo* generatio Filii Dei terminatur quoque ad esse temporale; seu duplex in Christo est esse, temporale et aeternum.

Resp.: Generatio terminatur proprie ad suppositum existens, ad esse autem sive novum sive noviter, *C. mai.* Terminatur ad esse dumtaxat novum, *N. mai. C. min. Dist. conseq.* Generatio Filii Dei ex Maria terminatur ad aliquod esse temporale hoc sensu, quod idem aeternum, personale esse Verbi *ratione naturae humanae*, quam actuat, etiam in tempore existit, *C. conseq.* Hoc sensu terminatur ad esse temporale, quod natura humana suam creatam existentiam habet, ab esse Verbi condistinctam, *N. conseq. Explico*: Generatio temporalis Iesu Christi terminatur ad generationem praeexistentis iam suppositi aeterni, *non* quidem ita, ut illud suppositum *simpliciter* esse incipiat, sed ut idem incipiat quoque *existere in humana natura;* ergo *secundum quid*, prout homo, seu « noviter ».

9. Ubi duplex vita, ibi etiam duplex existentia. *Atqui* in Christo duplex vita reperitur. *Ergo* in Christo duplex quoque adest existentia.

Resp.: *Dist. mai.* Ubi duplex vita in actu primo (seu duplex natura vivens), ibi est duplex existentia, *N. mai.* Ubi duplex vita in actu secundo, *transeat maior. Dist. min.* In Christo est duplex vita in actu primo (seu duplex natura), *C. min.* Duplex vita in actu secundo quasi dispertita in duo supposita, non eiusdem suppositi, *N. min.*

Sapienter monet S. Thomas (*Quodl.*, 9, a. 3 ad 1 et 2): « Vivere dicit esse quoddam specificatum per speciale essendi principium; et ideo *diversitas vitae consequitur diversitatem principiorum vivendi*, sed magis respicit ad suppositum subsistens... *Operatio suppositi* non est de integritate unitatis eius, sed consequitur eius unitatem; unde *unius suppositi invenimus*

multas operationes secundum diversa operationum principia, quae supposito insunt; sicut homo aliud operatur lingua et manu, sed esse est, in quo fundatur unitas suppositi». Ex duplicitate ergo vitae dumtaxat dualitas naturarum, non vero dualitas existentiae demonstratur. Si enim aliquod suppositum in duplici natura existit, duplex in eo aderit series actuum vitalium, qui tamen unius suppositi erunt.

10. Per generationem id acquiritur, quod per corruptionem amittitur. *Atqui* per corruptionem amittitur actus existentiae. *Ergo* per generationem acquiritur actus existentiae.

Resp.: *Dist. mai.* Per generationem acquiritur id tantum et exclusive, *quod* per corruptionem amittitur, *N. mai.* Id etiam inclusive, *C. mai. Dist. min.* Per corruptionem amittitur esse essentiae, alicuius totius, *C. min.* Amittitur semper esse existentiae, *N. min. Explico*: Per corruptionem desinit aliquod totum, suppositum humanum, essentia humana; non perit tamen existentia humana, quae animam ut formam consequitur.

11. Sicut triplex personalitas eiusdem divinitatis non repugnat, ita pariter duplex existentia eiusdem suppositi non repugnat. *Atqui* triplex personalitas eiusdem divinitatis non repugnat. *Ergo* duplex existentia eiusdem suppositi contradictionem non involvit.

Resp.: *Nego maiorem* ob disparitatem evidentem. Triplex personalitas in una divinitate contradictionem non involvit, quia personalitas divina est aliquid *relativum*; personae divinae relationibus constituuntur, dum essentia divina una est aliquid *absolutum*. Repugnat autem, ut aliquod suppositum, quod *absoluta perfectione* constituitur; duplici actu existentiae substantialis polleat. Nam quod existentiam substantialem possidet, est ens simpliciter. Si igitur alicubi duae existentiae substantiales adessent, ibi duo entia simpliciter darentur. Porro suppositum unum est ens simpliciter unum. Ideoque in uno supposito duae existentiae inveniri non possunt.

12. Si humanitas non per proprium actum existentiae sed per esse Verbi existeret, in verum accidens converteretur. *Atqui* repugnat, ut substantia in accidens transformetur. *Ergo* humanitas Christi per connaturalem actum existentiae extra causas degit.

Resp.: Iterum *nego maiorem*. Quamvis enim humanitas ad praeexistens Verbum accedat, in accidens non mutatur, quia ad unum esse suppositi divini trahitur. Non existentia ut existentia in accidens et substantiam dividitur, sed *essentiae* sunt, quae in accidens et substantiam dispescunt. Etsi igitur humanitas Christi per esse Verbi existat, a ratione substantiae non decidit; quia de ratione naturae humanae, qua talis essentiae, est, ut sit substantia.

13. Nullius aut saltem valde dubii valoris haec explicatio dogmatis reputabitur, quae tota quanta in quaestione disputata innititur. *Atqui* nostra explicatio unionis hypostaticae, tota quanta in quaestione disputata dis-

tinctionis realis inter essentiam et existentiam entium creatorum innititur. *Ergo* nostra explicatio unionis hypostaticae nullius aut saltem valde dubii valoris reputabitur.

Resp.: *C. mai. Nego minorem.* Non in aliqua quaestione inter catholicos disputata directe nostra explicatio fundatur. Proprie enim explicationem nostram *in principiis, tum ex fide tum ex S. Thoma tenendis,* collocavimus. Principia vero, ut de aliis taceam, prae primis haec duo sunt: 1° Christus est ens et suppositum simpliciter unum, non duo; 2° Entis simpliciter unius non est nisi unum esse. *Iam vero* haec duo tenenda principia ruunt atque negantur, si identitas realis tum naturae individuae et personae, tum essentiae et existentiae, vel supponitur vel admittitur. *Ergo ad admittendam distinctionem realem* tam inter personam et naturam individuam, quam inter essentiam et existentiam *vi horum principiorum,* quae in omni explicatione mysterii serta tectaque manere debent, *adigimur.* Si quis persuasus est, his principiis, per suppositionem duplicis existentiae in Christo, nihil derogari; teneat sibi. Nos tamen arbitramur: S. Thomam unum dumtaxat actum existentiae in Christo admisisse; illumque ut ducem sequimur.

14. Praecise, instabis, S. Thomas (in opusculo certe genuino «*De Unione Verbi Incarnati* »), formaliter explicite duo esse in Christo admisit; nam *art.* 4 ait: « Sicut Christus est unum suppositum et *unum simpliciter,* ob unitatem suppositi, et *duo secundum quid* propter duas naturas; ita *habet unum esse simpliciter* propter unum esse aeternum aeterni suppositi et *aliud esse huius suppositi,* non in quantum est aeternum, sed in quantum est temporaliter homo factum, quod *esse,* etsi non sit accidentale, quia homo non praedicatur accidentaliter de Filio Dei, non tamen est principale sui suppositi, sed *secundarium* ». Iamvero hoc opusculum «*De Unione*» sub finem vitae (intra a. 1269-1272) probabiliter consignatum fuit. *Ergo* sub finem vitae suae S. Thomas duplex esse in Christo admisit.

Resp.: 1° Quidam Theologi ut *Cajetanus,* (3 P., q. 17, a. 2), *Terrien,* (*De Unione Hypostatica,* Op. Cit., p. 104 seq.), *Billot,* (*De Verbo Incarnato,* Op. Cit., p. 138 seq.), *Mingoja,* (*De Unione Hypostatica,* Op. Cit., p. 301 seq.), de authenticitate huius opusculi dubitant. Immerito tamen, ut videre est apud *Mandonet,* (*Des Ecrits authentiques de S. Thomas d'Aquin,* Frib. Helv. 1910, p. 288-289), *Fr. Pelster,* (*La Question de Unione Verbi,* « Archives de Philosophie » t. 3 (2), 1925, p. 198-245), *D'Alès,* (*Thomisme,* D. A. F. C. 4, 1707 seq).

2° Authenticitate igitur opusculi illius extra omne dubium collocata, solutionem difficultatis ex ipso S. Thoma petimus. Ipse enim doctor Angelicus quam exactissime declaravit, quo sensu de duplici esse in Christo loqueretur. Distinguit nempe duas species essendi: « esse simpliciter » et « esse secundum quid ». Esse secundum quid agnoscit *duo.*

Jamvero esse simpliciter ex unitate vel multiplicitate existentiae substantialis repetit. Cum igitur S. Thomas dumtaxat *unum esse simpliciter* agnovit: unam quoque et unam tantum existentiam substantialem in Christo admisit. *Prob. min. ultimam.* Initio enim eiusdem articuli 4, ex quo difficultas petitur, statuit: « Quidquid est unum simpliciter, *est unum secundum esse.* Sed Christus est unum simpliciter, ut supra habitum est. *Ergo in eo est unum esse* ». In conclusione art. 3 habet: « Quia igitur Christus est *unum* suppositum, habens duas naturas, sequitur, quod sit *unum simpliciter* et *duo secundum quid* ». Ibidem art. 3 ad 5: « Quia ergo *suppositum* humanae naturae et divinae in Christo, secundum quod accipitur in sua singularitate discretum, *est unum et idem* in duabus naturis determinatis; est quidem simpliciter unum secundum seipsum, *secundum quid autem duo,* in quantum scilicet habet duas naturas ». Quia igitur in Christo naturae sunt duae; quarum una scl. humanitas certo momento temporis ad esse personale Verbi tracta fuit; cum e contra divinitas ab aeterno a Verbo habebatur; ideo *idem et unum, aeternum esse personale Verbi,* tum ad humanitatem tum ad divinitatem refertur ad hanc ab aeterno, ad illam a stato momento temporis. *Quatenus igitur idem « esse simpliciter » suppositi divini ad duas naturas diversimode refertur, eatenus a S. Thoma duplex esse « secundum quid » in Christo agnoscitur.* Non aliud ergo S. Thomas hic art. 4 docet, quod in 3 P., q. 17, a. 2 ad 1 exponit: « Dicendum quod *illud esse aeternum Filii,* quod est divina natura, fit esse hominis, in quantum humana natura assumitur a Filio Dei in unitatem personae ».

Dices III: Non in existentia sed in modo perseitatis subsistentia formaliter consistit.

1. Substantia singularis per modum substantialem in ratione personae constituitur, si absque illo modo natura singularis nondum est perfecte individua et incommunicabilis. *Atqui* substantiâ singularis, rationalis naturae, absque modo substantiali perseitatis nondum est perfecte individua et incommunicabilis. *Ergo* ratio formalis personae in modo perseitatis consistit.

Resp.: C. mai. Nego minorem. Substantia composita, perfecte individua per talem materiam et per talem formam redditur. Incommunicabilis vero et inassumptibilis evadit, cum et quatenus connaturali actu existentiae perficitur. Ad quid igitur nova entia, mysteriosissima, sine ratione fingere?! . . . . .

2. Suppositum rationalis naturae per existentiam in ratione personae formaliter non constituitur, si suppositum plene constitutum esse debet, antequam actu existat. *Atqui* suppositum plene constitutum esse debet antequam existat. *Ergo* suppositum rationalis naturae in ratione personae per existentiam formaliter non constituitur.

Resp.: 1° Concedimus libenter per existentiam solam suppositum adaequate formaliter non constitui: si ergo arguens id supponeret, nihil evinceret. 2° *Dist. mai.* Suppositum aliquod possibile, suppositum denominativum (seu natura singularis perfecte individua, ordinem dicens ad connaturalem sibi actum existendi) plene constitutum esse debet, antequam existat, *C. mai.* Suppositum formaliter, concretum plene constitui debet aliquo modo substantiali, antequam existat, *N. mai. Ctrd. min.*

3. Suppositum ponitur in praedicamento. *Atqui* actus existentiae est extra praedicamenta. *Ergo* actu existentiae formaliter suppositum non constituitur.

Resp. 1° *Dist. mai.* Suppositum ponitur in praedicamento ratione actus existendi, *N. mai.* Ratione naturae, *C. mai. C min.* 2° In difficultate iterum supponitur: subsistentiam formaliter *adaequate et totaliter* in existentia consistere; quod minime sustinemus.

4. Ratio suppositi prior est natura quam actus existendi; ergo per existentiam suppositum formaliter non constituitur. *Prob. antec.* Illud est suppositum, in quo immediate actus existentiae et accidentia recipiuntur. *Atqui* actus existendi et accidentia immediate in supposito recipiuntur. *Ergo* suppositum natura est prius quam existentia.

Resp. Dist. antec. Suppositum denominativum prius est quam actus existendi, *C. antec.* Suppositum formaliter concretum prius est suo actu existendi, *N. antec.* Distinguo rationem allatam. Illud est suppositum denominative spectatum i. e. natura individua, in qua actus existendi et accidentia recipiuntur, *C. mai.* Est natura prout terminata aliquo modo personalitatis, *N. mai. Ctrd min.*

Explico: 1° Actus existendi et accidentia non recipiuntur quidem immediate in natura *abstracta et specifica*, sed recipiuntur immediate in natura *individua*, singulari, quae talis fit per talem materiam et talem formam, non vero per aliquem modum suppositalitatis, naturae individuae superadditum. In substantia individua immediate et primario actus existentiae, secundario etiam accidentia recipiuntur.

2° Argumentum hoc, quo sequaces Cajetani tanto gloriantur, *nimis probat;* ergo nihil evincit. Nam certo certius accidentia in personalitate Verbi non recipiuntur. Si igitur natura individua demum *per formam suppositalitatis* perfecte individua et *subiectum capax recipiendorum accidentium* redderetur, tunc etiam in humanitate Christi modus personalitatis et suppositalitatis adesse deberet, quo natura humana tale subiectum constitueretur. Si natura individua *ex se* immediate tale subiectum non est, tunc et in Christo talis forma suppositalitatis aderit.

5. Esse consequitur suppositum iam perfecte constitutum; esse supposito tribuitur, a supposito habetur. *Atqui* quod suppositum consequitur,

quod supposito tribuitur, a supposito habetur, illo ipsum suppositum formaliter non constituitur. *Ergo* suppositum non constituitur per esse.

Resp.: *a*) Si suppositum aliquod possibile vel denominativum spectatur, vel si suppositum adaequate ut forma totius consideratur, esse consequitur suppositum ita acceptum, *C. mai.* Si vero suppositum aliquod concretum sumitur, esse non intrat neque ut pars constitutiva illius, *N. mai.* *b*) Si suppositum ut aliquod subiectum morale attributionis concipitur, esse huic subiecto tribuitur, esse ab illo habetur, *C. mai.* In constitutionem ontologicam illius subiecti moralis esse non intrat ut pars constitutiva, *N. mai. Dist. min.* Suppositum possibile, et denominativum non constituitur formaliter adaequate per existentiam, *C. min.* In constitutionem suppositi concreti non intrat existentia, *subd. min.* Ut forma adaequata, totalis, *C. min.* Ne quidem ut pars, *N. min.*

Explico: Vigilanti verbo usus est S. Thomas 3 P., q. 17, a. 2: « Esse pertinet et ad naturam et ad hypostasim: ad hypostasim sicut ad id, *quod* habet esse, ad naturam autem, sicut ad id, *quo* aliquid habet esse » In supposito, prout est forma totius seu in supposito adaequate spectato tria distinguas: a) *essentiam individuam*, b) *existentiam*, c) *essentiam existentem*. Essentia et existentia sunt illud, *quo* suppositum est. Suppositum ipsum est illud, *quod est*. Existentia duo praestat: essentiam *extra causas ponit* et, ponendo eam extra causas, simul essentiam *subsistentem et incommunicabilem reddit*. Existentia prout suum effectum perfecte exerit, ad rationem constitutivam suppositi ut pars pertinet; hoc autem adaequate concipitur, prout essentiam individuam sua existentia actuatam dicit. Pro aliqua modali substantiali entitate, quae in constitutionem suppositi veniret, in systemate S. Thomae locus non datur. « In quolibet ente, inquit Angelicus, est duo considerare, scilicet ipsam rationem speciei et esse ipsum, quo aliquid aliud subsistit in specie illa » (*De Verit.*, q. 21, a. 1).

Thes. 7. — Humanitas et divinitas Iesu Christi in unam communem naturam non coalescunt, sed inconfuse, immutabiliter, salva utriusque proprietate, perseverant.

S. Th., q. 2, a. 1; Suarez, *disp.* 7, *sect.* 1, 2; Pesch, th. 11; Janssens, *Sect.* 2, q. 2, a. 1, pg. 72 seq; Muncunill, disp. 3, a. 3, pg. 114 seq; Billot, th. 5; Otten, th. 14; Galtier, th. 7; Mingoja, *Op. cit.*, p. 158 seq.; Hugon, *Op. cit.*, p. 333 seq.

Status Quaestionis.

1. Thesi 4ª demonstravimus: duas naturas Christi in ratione personae Verbi hypostatice uniri ita, ut in Deo-homine nonnisi una sit hypostasis divina Filii Dei. Quo posito, *quaerimus*: utrum unio secundum hypostasim ex communitate naturae seu novae alicuius essentiae divino-humanae oriatur nec ne? Unio humanitatis et divinitatis est-ne ideo hypostatica, quia *per prius* utraque natura *in unam novam essentiam* convenerant?

2. *Quid unio in natura?* Cum duo conprincipia substantialia aliquod *novum compositum* substantiale novamque essentiam efformant, unio in natura seu essentialis habetur. Si ergo duo vel plura, velut potentia et actus conveniunt ita, ut ex eorum coniunctione novum principium substantiale essendi et operandi resultet; *unio talis est unio in ratione essentiae seu naturae*. In ratione personae seu hypostatice duo uniri possunt, quin ex eorum coniunctione persona ipsa efficiatur. Si enim aliqua persona praeexistens novam naturam assumit et hanc in ratione hypostasis secum unit, talis persona *simpliciter esse* non incipit, sed *secundum quid* in tali natura existentiam inchoat. Unio *in persona* recte definiri potest: *coniunctio, qua unum est ab alio indivisum secundum rationem personae;* sive hypostasis ipsa ex coniunctione eorum resultet sive non. Et si quidem suppositum ex coniunctione illorum exurgit; tunc unio non tantum in persona verum etiam *per prius in ipsa natura* obtinuit. Exemplo sit unio animae et corporis. Si autem ex coniunctione duarum substantiarum *hypostasis ipsa non effi-*

citur, sed persona praeexistens alio modo ratione naturae assumptae se habere incipit, *unio talis hypostatica vocatur*.

3. Affirmamus: humanitatem et divinitatem Christi non in essentia seu natura communi convenire seu unionem illarum hypostaticam *non ex unitate in natura resultare*, sed ex convenientia in ratione divinae hypostasis Verbi. Duae naturae in Christo, non obstante unione hypostatica, impermixtae, immutatae, inconfusae, salva utriusque proprietate, permanent ita, ut una ab alia perfecte distinguatur. Unio hypostatica nullam naturarum unitarum mixtionem, mutationem, confusionem vel conversionem causavit, minimeque illam praerequirit. Unionem divinitatis et humanitatis in ratione communis essentiae *Monophysitae* perabsurde finxerunt.

4. Monophysitae sensu stricto illi Orientales vocantur, qui a saeculo *V* et *VI* pervicaciter asseverant: in Christo post unionem hypostaticam nonnisi unam naturam unamque essentiam adesse. *Ante* unionem duae naturae integrae et distinctae existebant; adeoque, Christum *ex duabus* naturis factum esse, dici potest; at *in duabus* naturis Christus non subsistit, quia a momento hypostaticae unionis Deushomo est μία φύσις σεσαρκωμένη.

a) Auctor et pater huius erroris Eutyches fuit; primum Nestorii diaconus, sub finem vitae archimandrita Constantinopolitanus († post 452) (1). Cum strenue Nestorianismum confutaret atque *unicitatem personae* in Christo defenderet; in aliud extremum incidit ita, ut *unicitatem quoque naturae* credendam proponeret. In concilio Constantinopolitano (a. 448) palam negavit: Christum *nobis consubstantialem* esse et *in* duabus naturis subsistere. Quare ab eodem concilio excommunicatus et dignitate abbatiali privatus fuit. Sententia concilialis tum imperatori Theodosio tum maxime Dioscoro, patriarchae Alexandrino, displicuit. Dioscoro ergo suggerente et imperatore annuente, Ephesum (a. 449) concilium cogitur: in quo concilio, vel potius « latrocinio », Eutyches ab omni haereseos labe purgatur et Flavianus, patriar-

(1) Cfr. M. Jugie, *Eutyches et Eutychianisme*, DTC. 5, 1582 seq.

cha Constantinopolitanus, deponitur. Anno tamen 451 in concilio Chalcedonensi epistula dogmatica S. Leonis M. solemniter accipitur et doctrina Eutychetis ut haeretica damnatur.

Inde a concilio Chalcedonensi, quod dualitatem naturae (« dyo-physismum ») solemniter definivit, monophysismi fata varia fuere. Quidam, in verba Eutychetis iurantes, *realem* monophysismum profitebantur. Alii, potius schismatico spiritu imbuti, monophysismum *verbalem propagabant*. Hi praesertim in eo errabant, quod definitionem concilii chalcedonensis (seu dyophysismum) ut haeresim damnabant; quamvis aliis verbis idem, quod concilium docerent et crederent.

Quidam *realis*, *eutychiani*, monophysismi fautores dicebant: carnem Dominicam a divinitate absorptam atque consumptam fuisse. Christus proinde nonnisi *umbram*, *apparentiam*, *vestigium* humanae carnis habuisse affirmabatur; caro enim eius dumtaxat ut sigillum quoddam in divinitate impressum putabatur. Talem monophysismum a docetismo vix differre, nemo non videt. Alii Eutychetis sequaces quandam transformationem Verbi in carnem admiserunt. Verbum scl. in carnali figura concretum et coagulatum apparuit; sicut nebula in pluviam, vapor in nivem, aqua in glaciem transformatum est.

Alii denique aliquam mixtionem vel compositionem realem humanitatis cum divinitate adstruebant. Sicut ex elementis in mixto, ex anima et corpore una nova natura exurgit, ita ex unione hypostatica una natura Verbi incarnati originem ducit.

b) Ab hoc reali monophysismo *verbalis* apprime differt. Auctor et « spiritus movens » monophysismi verbalis Severus († 538), patriarcha Antiochenus, fuit. Qua parte ingenio acerrimus, illico absurditatem Eutychianae haeresis perspexit adeoque *duas essentias* (οὐσίας), in Christo *etiam post unionem* admisit. Perpetuo tamen a dyo-physismo Concilii Chalcedonensis sicut a Nestorianismo abhorruit.

Terminologiae S. Cyrilli Alexandrini innixus, qua dogma sacrosanctum praemisit; *tria vocabula*, scl. φύσις, ὑπόστασις, πρόσωπον, formaliter, adaequate idem omnino significare, per-

facteque *synonyma esse*. Cum igitur Christus in unica, divina hypostasi subsistat, *unicam* tantum φύσιν habere potest. Qui dyophysismum profitetur, cum Nestorio sentit et damnatur. Quoniam autem ab hypostasi, physi et prosopo formaliter οὐσία, seu essentia distinguitur; ideo *in Christo duae sunt essentiae*. Nam humanitas et divinitas in unam οὐσίαν non coalescit. Christus, quamvis duas habeat οὐσίας, est tamen μία φύσις τοῦ Λογοῦ σεσαρκωμένη. Huic personae divinae inhumanatae omnia tribuuntur, appropriantur; immo ab ipsa impulsive et directive omnia proveniunt; quare in Christo consequenter *una est* ἐνέργεια, operatio, *una voluntas*. Cum unitas operationis et voluntatis a Severo aequivoce quandoque proponeretur, Severus quoque pater et auctor monergismi et monothelismi merito reputatur. Severo antiocheno fere in omnibus concordant plurimaque ab eo mutuantur: Dioscorus Alexandrinus, Timotheus Aelurus, Philoxenes Mabugensis, Ps-Dionysius Areopagita (1), Iacobus Baradeus. Libri lithurgici dissidentium *Coptorum*, *Abissynorum*, *Iacobitarum Syrorum*, *Armenorum* ex una parte monophysismum Eutyhcianum veluti haeresim anathematizant atque exsecrantur; ex altera tamen *verbali monophysismo* Severiano omnino indulgent et favent (2).

Ecclesiae schismaticae, authocephalae, cum unius, supremi magisterii atque regiminis influxu priventur, donoque infallibilitatis careant, facile in minutas sectas dillabuntur, quae cum suis auctoribus nascuntur, crescunt et quandoque sepulturae mandan-

---

(1) P. F. Stiglmayr S. J., *Der Sog. Dionysius Areopagita und Severus von Antiochien*, « Scholastik » III. 1928 p. 1-27; 161-189, non sine specie fundatae et valde, allicientis probabilitatis affirmat; auctorem operum, quae Dionysio Areopagitae tribuebantur, Severum Antiochenum esse.

(2) J. Lebon, *Le monophysisme sévérien, Etude historique, littéraire et théologique sur la résistance monophysite au concile de Chalcédoine jusqu'à la constitution de l'église jacobite*, Louvain 1909; J. Maspéro, *Histoire des patriarches d'Alexandrie depuis la mort de l'empereur Anastase jusqu'à la réconciliation des églises jacobites* (518-616), Paris 1923; O. Bardenhewer. *Geschichte der altkirchlichen Literatur*, IV. Freib. in Br. 1924², p. 5 seq.; 78 seq.; M. Jugie, *Monophysisme*. DTC. 10, 2216-2251.

tur. Quod imprimis in his sectis monophysiticis, quae e radice Eutychiano-Severiana pullurarunt, verificatum cernimus.

Acephali. Anno 482 *Acacius* patriarcha Constantinopolitanus, fraudibus *Petri Mongi* (patr. alex.) circumventus, imperatori Zenoni auctor fuit, ut ad sedandas christologicas lites edictum, quod « *Henotikon* » appellatur, promulgaret. Henotikon, quamquam unius vel duarum naturarum nullam mentionem fecit; quamquam Nestorium et Eutychem anathematizavit; nihilominus non pacem desideratam, sed discordias novasque turbas in ecclesia orientali excitavit. Catholicis displicuit, quia in hoc decreto imperiali concilium chalcedonense damnabatur. In ecclesiis monophysiticis Henotikon novarum scissionum causa fuit. Qui enim a Petro Mongo (patriarca alex.) sese separaverant et Henotikon reiicerant; « *Acephaloi* » vocati sunt ([1]).

Theopaschitae. *Petrus Fullo* († 488, patr. antioch.), « *Trisagio* » (Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis) verba, « *qui pro nobis crucifixus est* », adiecit. Et quoniam « Trisagion » hucusque in honorem SS. Trinitatis cantari intelligebatur, per adiecta a Petro verba Trisagion alium prorsus sensum acquirebat et ab haeresi Sabelliana difficulter excusari potuit. Insuper, quoniam nonnulli Eutychetis asseclae humanitatem a divinitate absorptam eique admixtam fabulabantur; consequenter quoque affirmabant, Christum divinitate passum fuisse, adeoque secta eorum perabsurda « *Theopaschitarum* » cognomen nacta est. Hoc supposito monophysitico innixi quidam monachi Scytae ab Hormisda, R. P. approbationem formulae « *Unus de Trinitate passus est* », subdole sollicitabant.

Aphtharto-docetae. Cum tempore Iustini imperatoris (518-520) Severus Antiochia pulsus Alexandriam venit, grave dissidium inter eum et *Iulianum de Halicarnasso* exarsit, qui pariter, sede sua depositus, Alexandriam se contulit. Iulianus corpus Christi a primo momento unionis hypostaticae *incorruptibile* esse affirmabat; dum Severus illud *corruptibile* esse contendit. Hinc Iuliani sequaces, inter quos *Gaianus* excelluit,

---

([1]) L. Salaville, *Hénotique*, DTC. 6, 2153 seq.

« *aphtharto-docetae* », vel « *Gaianitae* » nomen sibi meruerunt; dum Severi fautores « *phtharto-latrae* » appellabuntur ([1]).

Tritheismus Philoponi. Inde a temporibus S. Basilii M. vox φύσις ad designandam naturam seu essentiam adhibebatur; proindeque φύσις et οὐσία pro synonimis habebantur. Tum S. Cyrillus Alexandrinus ([2]), tum ipse Severus concedebant: in Trinitate unam tantum φύσιν dari; dum tres divinae hypostases numerentur. Propter hanc inconstantiam significationis eiusdem termini φύσις Severiani plurimum vexabantur. Nam φύσις in tractatu de Trinitate non pro synonymo hypostaseos habebatur; cum in Christologia physis et hypostasis omnino identificarentur. Huic incommodo *Ioannes Ascunages* († 560) et *Ioannes Philoponos* († 550) mederi constituerant. Quare terminologiam S. Basilii omnino deseruerunt et in Trinitate non solum tres hypostases sed etiam tres φύσεις tres οὐσίας admittendas esse asseverabant: nam in rerum natura nullam essentiam vel naturam impersonalem et ahypostaticam dari affirmabant. Quoniam vero in Christo nonnisi una hypostasis invenitur, ideo consequenter in Christo nonnisi una est natura Verbi Dei incarnata.

Ex tritheismo Philoponiano novae haereses originem ducunt, scl. sic dicti *Petritae* (discipuli Petri Callinici) *Tetraditae*, (qui *quartam* essentiam divinam, Tribus communem admittebant), *Damianitae* (Damiani alex. sequaces) et *Condobauditae* (monachi Constantinopolitani).

5. Thesis nostra *definita est*. In enuntiatione eius duo membra distinguuntur: *a*) *factum* (scl. humanitas et divinitas non uniuntur in ratione naturae); *b*) *ratio logica facti* (nam utraque natura in sua perfecta, integra, immutata proprietate perseverat). Existentiam naturae e proprietatibus et operationibus co-

---

([1]) Cfr. R. Draguet, *Julien d'Halicarnasse et sa controverse avec Sévère d'Antioche sur l'incorruptibilité du corps du Christ*, Louvain 1924; M. Jugie, *Controverse Gaianite*, DTC. 6, 1002-1022.

([2]) Cfr. E. Weigl, *Christologie vom Tode des Athanasius*, Op. Cit., p. 141 seq.

gnoscimus: proprietates vero in natura veluti in radice fundantur et ex illa pullulant. Utrumque membrum per modum unius probatur.

Probatur thesis.

Arg. 1. (E Definitionibus).

Ep. Dogm. S. Leonis M.: Salva igitur proprietate *utriusque naturae et substantiae* et in unam coëunte personam, suscepta est a maiestate humilitas, a virtute infirmitas, ab aeternitate mortalitas. In integra ergo veri hominis perfectaque natura verus natus est Deus, totus in suis, totus in nostris. *DB.* 143.

Conc. Chalcedon.: Unum eundemque Christum Filium Dominum unigenitum, in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, *nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem* magisque salva proprietate utriusque naturae et in unam personam atque subsistentiam concurrente..., ipse nos Iesus Christus erudivit et Patrum nobis symbolum tradidit. *DB.* 148.

S. Gelasius I († 496), *De duabus naturis*, 4: Quamvis enim unus atque idem sit Dominus Iesus Christus et totus Deus homo et totus homo Deus et quidquid est humanitatis, Deus homo suum faciat et quidquid est Dei, homo Deus habeat: tamen ut hoc permaneat sacramentum, nec possit ex aliqua parte dissolvi; sic totus homo permanet esse, quod Deus est. (ut) totus Deus permaneat esse, quidquid homo est. *DB.* 168.

Conc. Constantinop. II. Can. 8: Si quis *ex duabus naturis* deitatis et humanitatis *confitens unitatem factam esse*, vel unam naturam Dei Verbi incarnatam dicens, non sic ea excipit, sicut Patres docuerunt; quod ex divina natura et humana, unitione secundum subsistentiam facta, unus Christus effectus est. sed ex talibus vocibus unam naturam sive substantiam deitatis et carnis Christi introducere conatur, talis A. S. *DB.* 220.

Conc. Romanum (680): Unum eundemque Dominum nostrum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, ex duabus et in duabus substantiis inconfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter subsistere cognoscimus, nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, sed potius salva proprietate utriusque naturae et in unam personam unamque subsistentiam concurrente, non in dualitatem personarum dispertitum vel diversum, neque in unam compositam naturam confusum: sed unum eundemque Filium unigenitum, Deum Verbum... *in duabus naturis*, i. e. in deitate et humanitate et *post subsistentialem adunationem* cognoscimus. *DB*. 288.

Arg. 2. (E S. Scripturis). Divinitas et humanitas Servatoris nostri in communi natura non uniuntur, si, testantibus Scripturis, in Christo Iesu a primo instanti vitae terrestris integra perfectaque tum humanitas tum divinitas existit. *Atqui*, testantibus S. Scripturis, a primo instanti vitae terrestris in Christo Iesu integra perfectaque tum humanitas, tum divinitas existit. *Ergo* divinitas et humanitas Servatoris nostri in communi aliqua natura non uniuntur.

Ad Mai. Ex unione in *natura* ens compositum essentialiter et substantialiter novas proprietates, perfectiones operationesque acquirit; quas principia componentia, non unita, seorsim existentia non habent.

Ad Min. Existentiam in Christo Iesu perfectae atque integrae tum divinitatis tum humanitatis ex S. Scripturis abunde probatam habes in thesi 1ª (p. 18-28) et thesi 3ª (p. 56-64).

Arg. 3. (E doctrina Patrum). Duarum integrarum ac perfectarum naturarum in Iesu Christo Patres existentiam *et* thetice credendam proponunt *et* unionem humanitatis cum divinitate in ratione communis naturae ut impossibilem absurdamque reiiciunt.

S. Melito Sard., *Fragm.* 7: Cum idem *Deus* simul et *homo perfectus* esset, duas naturas suas nobis patefecit: divinitatem qui-

dem per miracula triennio isto post baptismum patrata, humanitatem vero suam triginta illis annis baptismum antegressis, quibus carnis vilitas tegebat et abscondebat divinitatis signa, tametsi Deus verus esset et sempiternus. *RJ.* 189.

Tertullianus, *Adv. Prax.* 27: Quaerendum, quomodo Sermo caro sit factus; utrumne quasi transfiguratus in carnem, an indutus carnem? Immo indutus. Ceterum Deum immutabilem et informabilem credi necesse est, ut aeternum. *Transfiguratio* autem *interemptio* est pristini. Omne enim, quodcumque transfiguratur in aliud, desinit esse quod fuerat et incipit esse, quod non erat. Deus autem neque desinit esse, neque aliud esse potest. Sermo autem Deus et sermo Domini manet in aevum, perseverando scl. in sua forma. Quem si non capit transfigurari, consequens est, ut sic caro factus intellegatur, dum fit in carne et manifestatur et videtur et contrectatur per carnem. Si enim Sermo ex transfiguratione et demutatione substantiae caro factus est, una iam erit substantia Iesu ex duabus, ex carne et spiritu, mixtura quaedam, ut electrum ex auro et argento... Videmus duplicem statum, non confusum, sed coniunctum in una persona, Deum et hominem Iesum et adeo salva est utriusque proprietas substantiae... *Quodsi tertium quid esset, ex utroque confusum*, ut electrum, non tam distincta documenta parerent utriusque substantiae, sed et spiritus carnalia et caro spiritualia egisse ex translatione, aut neque carnalia neque spiritualia, sed tertiae alicuius formae ex confusione. Immo *aut Sermo mortuus esset aut caro non mortua esset,* si Sermo conversus esset in carnem; aut caro enim immortalis fuisset aut Sermo mortalis. *RJ.* 379.

Origenes, *De Princip.*, 1, 2, 1: Primo illud nos scire oportet, quod alia est in Christo deitatis eius natura, quod est unigenitus Filius Patris et alia humana natura, quam in novissimis temporibus pro dispensatione suscepit. *RJ.* 453.

Ps-Athanasius, *C. Apollin.* 1, 16: Sicque dicendus fuerit Christus, *perfectus Deus et perfectus homo;* non quod divina perfectio in humanam perfectionem mutata sit, quod impium est dicere; nec etiam, quod duae perfectiones a se invicem divisae dicantur, quod a pietate alienum est; neque per incrementum virtutis et accessione iustitiae, absit! sed ratione existentiae indeficientis. *MG.* 26, 1122 D., 1123 A.

S. Epiphanius, *Ancorat.*, 75: *Verbum ipsum caro factum est,* non mutatus, ut caro esset, non divinitatem convertens in humanitatem, sed « esse homo » adiungens propriae et subsistenti hypostasi Verbi Dei. Hominem dico perfectum, hoc est, *quaecumque insunt in homine et qualis est homo et quidquid est. RJ.* 1086.

S. Ambrosius, *De Fide*, 2, 9, 77: Servemus distinctionem divinitatis et carnis. Unus in utraque loquitur Dei Filius, quia *in eodem utraque natura est. ML.* 16, 576. B.

S. Augustinus, *De Trinit.* 1, 7: Quomodo non etiam seipso minor factus est, qui *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens? Neque enim sic accepit formam servi, ut amitteret formam Dei*, in qua erat aequalis Patri... Ergo quia Forma Dei accepit formam servi, utrumque Deus et utrumque homo; sed utrumque Deus propter accipientem Deum, utrumque autem homo propter acceptum hominem. Neque enim illa susceptione alterum eorum in alterum conversum atque mutatum est: nec divinitas quippe in creaturam mutata est; ut desisteret esse divinitas: nec creatura in divinitatem, ut desisteret esse creatura. *ML.* 42, 828, 829.

S. Cyril. Alex., *Ep.* 46, 2: Etiamsi unus est Filius, qui secundum assumptionem carnis prodiit homo ex muliere, non ideo in duas personas, et filios dividetur, sed permansit unus; non quidem sine carne neque extra corpus, sed proprium habens secundum unitatem. Qui autem hoc dicit, nullo prorsus modo permixtionem neque confusionem neque eiusmodi quid significat; neque id tamquam ex necessaria ratione ullo modo consequitur. Nam, *etiamsi unus* dicatur a nobis unigenitus Filius Dei incarnatus et homo factus, non propterea permixtus est, ut illi putant, neque in carnis naturam, φύσιν, transiit Verbi natura, neque natura carnis in Verbi naturam; sed, *cum utrumque in sua naturali proprietate permaneat* et intelligatur; unam nobis Filii naturam, φύσιν, ostendit sed, ut dixi, incarnatam. *RJ.* 2061.

Arg. 3. (E ratione theologica) *a*) Unio humanitatis et divinitatis Christi non est facta in natura, si humanitas et divinitas in communem aliquam essentiam convenire non possunt. *Atqui* divinitas et humanitas in aliquam communem essentiam convenire non possunt. *Ergo* unio humanitatis et divinitatis Christi non est facta in natura.

Prob. min. Unio substantialis in communi essentia et natura sine potentialitate conprincipiorum substantialium eorumque mutatione intrinseca fieri nequit. *Atqui* divinitas nullomodo est in potentia; humanitas vero in divinitatem mutari non potest: nequit enim ens per participationem ens per essentiam fieri. *Ergo* humanitas et divinitas in aliquam communem essentiam convenire non possunt.

b) S. Thomas, q. 2, a. 1, argumentatur ita: Impossibile

est, unionem Verbi incarnati esse factam in natura; tripliciter enim aliquid unum ex duobus vel pluribus constituitur. *Uno modo* ex duobus integris perfectis remanentibus: quod quidem fieri non potest, nisi ex iis, quorum forma est compositio vel ordo vel figura: sicut ex multis lapidibus absque aliquo ordine adunatis, per solam compositionem fit acervus: ex lapidibus autem et lignis secundum aliquem ordinem dispositis et etiam ad aliquam figuram redactis fit domus... *Sed hoc non potest esse*: 1° quidem, quia compositio vel ordo vel figura non est forma substantialis, sed accidentalis; et sic sequeretur, quod unio incarnationis *non esset per se*, sed per accidens: 2°, quia ex huiusmodi non fit unum simpliciter, sed secundum quid: remanent enim plura actu: 3°, quia forma talium *non est natura*, sed magis ars, sicut forma domus; et sic non constitueretur una natura in Christo, ut ipsi volunt.

Alio modo fit aliquid unum ex perfectis, sed transmutatis; sicut ex elementis fit mixtum; et sic aliqui dixerunt unionem incarnationis esse factam per modum commixtionis; *sed hoc non potest esse*: 1° quidem, quia natura divina est omnino immutabilis, unde nec ipsa potest converti in aliud, cum sit incorruptibilis; nec aliud in ipsam, cum ipsa sit ingenerabilis: 2°, quia id, quod est commixtum, nulli miscibilium est idem specie, differt enim caro a qualibet elementorum specie; et sic Christus non esset eiusdem naturae cum patre et matre: 3°, quia ex his, quae plurimum distant, non potest fieri commixtio: solvitur enim species unius eorum: puta, si quis guttam aquae amphorae vini apponat; et secundum hoc, cum natura divina in infinitum excedat humanam naturam, non potest esse mixtio; sed remanebit sola natura divina.

Tertio modo fit aliquid ex aliquibus non permixtis, vel permutatis, sed imperfectis: sicut ex anima et corpore fit homo: et similiter ex diversis membris unum corpus constituitur: sed *hoc dici non potest* de incarnationis mysterio: 1° quidem, quia utraque natura est secundum rationem suam perfec-

ta, divina scl. et humana: 2°, quia natura divina et humana *non possunt* constituere aliquid *per modum partium quantitativarum*, sicut membra constituunt corpus; quia natura divina est incorporea: neque per modum formae et materiae: quia natura divina non potest esse forma alicuius, praesertim corporei... 3°, quia *Christus non esset humanae naturae, neque divinae naturae*; differentia enim addita variat speciem, sicut unitas numerum.

Schol. 1. Utrum persona Christi simplex an composita sit?

Simplex id dicitur, quod partibus non constat. *Compositum* autem duplex esse potest: stricte vel late dictum. Si duo extrema, realiter distincta in aliquo substantiali vere communicant et conveniunt, *compositum late dictum* habetur. Si partes substantiales aliquod tertium ens substantialiter unum efformant, compositio *stricte dicta* habetur. Late dicta compositio entia in suo genere perfecta supponit, quae tamen in aliquo substantiali conveniunt atque communicant. Compositio talis speciale nomen compositionis «*cum his*» nacta est. Stricte dicta compositio, «*ex his*», appellatur et veras partes substantiales veraque principia substantialia supponit; adeoque in conceptu suo imperfectionem involvit.

Quibus praemissis, dicimus: 1° Hypostasis Verbi, prout a natura assumpta abstrahit, simplicissima est. 2° Christus, qui et quatenus homo, aliquod totum compositum est. Nam Christus sine humanitate esse nequit. Porro humanitas eius ad simplicia entia non pertinet. Ergo Christus est aliquod totum compositum.

3° *Hypostasis Christi* est-ne simplex an composita? Ad quaestionem positam respondemus, distinguendo. *a*) Praecisione facta ab humanitate, hypostasis Christi, quae ab hypostasi Verbi non differt, omnino simplex est. Persona Christi, quatenus in humanitate subsistit et hanc sua personalitate divina terminat, est-ne simplex an composita? Iterum distinguimus. *b*) *Humana natura* per personam Christi subsistens, *pars* stricte dicta hypostasis Christi *vocari non potest*. Quicumque ergo cum S. *Bonaventura*

(*III Dist.*, 6, a. 1, q. 2) et cum *Cl. Tiphano* (*De Hypostasi*, Op. cit., cap. 63-65) veram compositionem *tantum e veris partibus* dari posse arbitratur; consequenter hypostasim Christi non-compositam, prorsus simplicem affirmabit. Igitur persona Christi, quatenus et quia ex veris partibus non constat, stricto sensu *composita dici nequit*. Si quis personam Christi ut aliquod compositum *ex persona* divina et *ex persona* humana (« prosopon coniunctionis »), cum Nestorio fingeret, cum Nestorio damnaretur.

4° Licet ergo persona Christi ut persona Verbi simplicissima sit, licet e duabus naturis sicut ex veris partibus, atque e duabus personis (humana et divina) non componatur, nihilominus aliquo sensu vero, quamvis late, composita dici potest. Nam id vere compositum est, quod pluribus distinctis et substantialiter unitis constat. *Atqui* hypostasis Christi, duas naturas distinctas: humanitatem et divinitatem comprehendit atque unit. Ergo hypostasis Christi vere composita dici potest. *Compositio enim vera* (quamvis non ex partibus) *ibi datur, ubi vera distinctorum substantialis unio reperitur*: sed haec in hypostasi Christi evidenter obtinet. Ergo hypostasis Christi composita vere (quamvis non stricte) affirmari poterit.

Hoc sensu, procul dubio, conc. Constapt. II. (*DB*. 216, 219) personam Christi compositam esse docet. In traditione catholica quamquam « simplicitas » personae Christi contra Nestorianos urgetur; simul etiam « compositio » personae eiusdem contra Monophysitas defenditur. Ad hanc apparentem anti-logiam explicandam praemissae distinctiones plurimum iuvant. Breviter illas ad duas reducit *S. Thomas*, 3 P., q. 2, a. 4: Dicendum, quod persona sive hypostasis Christi *dupliciter* potest considerari: *uno modo* secundum illud, quod est in se; et *sic est omnino simplex*, sicut et natura Verbi: *alio modo* secundum rationem personae vel hypostasis, ad quam pertinet subsistere in aliqua natura; et secundum hoc persona Christi subsistit in duabus naturis: unde, licet sit ibi unum subsistens, est tamen *ibi alia et alia ratio subsistendi* et sic dicitur persona *composita*, in quantum unum duobus subsistit.

Schol. 2. Utrum unio hypostatica aliquid substantiale an aliquid accidentale sit?

Licet secundum dogma fidei divinitas et humanitas in unam naturam seu essentiam non coniungantur, unio tamen hypostatica accidens non est. Conc. *Later.* I (*DB.* 259) declarat: unionem naturarum Christi substantialem esse. Tum S. Litterae tum traditio catholica eidem subiecto divina et humana constanter tribuunt; quod illegitime fieret, si humanitas et divinitas in Christo *dumtaxat accidentaliter* unirentur. Homo enim veste coopertus, zona praecinctus, vestis aut zona dici nequit; tela et arcus in manu venatoris, manus venatoris non sunt. Iam vero *Verbum caro factum* esse affirmatur. *Ergo* hypostatice-substantialiter divinitas et humanitas invicem uniuntur; quarum proinde unio accidentalis non est. In unione hypostatica termini seu extrema, *quae* uniuntur, duae substantiae sunt. Ratio *in qua* et *sub qua* duae naturae conveniunt, substantialis est, hypostasis nempe Verbi. Terminus *qui* unionis pariter ens simpliciter et substantialiter unum est. Undequaque ergo unio hypostatica nomen unionis substantialis meretur. Ad rem S. *Thomas* 3 *P.*, q. 2, a. 6 ad 3: Substantia *dupliciter* dicitur: *uno modo* pro essentia sive natura: *alio modo* pro supposito sive hypostasi; unde sufficit ad hoc, quod non sit unio accidentalis, quod sit facta unio secundum hypostasim, licet non sit facta unio secundum naturam.

Schol. 3. In quo unio hypostatica cum unione naturali animae et corporis convenit atque differt?

Symbolum « *Quicumque* » (*DB.* 40) et plures Patres affirmant: humanitatem et divinitatem ita convenire in unum, sicut anima et corpus uniuntur. Si duae naturae Christi omnino eodem modo, *univoce* coniungerentur sicut anima et corpus, tunc consequenter humanitas et divinitas unam quoque *naturam* efformare deberent; quia anima et corpus in unam essentiam coëunt. At fides certiores nos reddit: utramque naturam in Christo, integre,

inconfuse immutatam permanere. Ergo unio utriusque naturae Christi tantum *analogice* cum unione animae et corporis congruit.

1° Utraque unio in eo concordat: quod anima et corpus ad *unam personam* terminatur, quod anima et corpus *immediate, per se, physice* copulantur *unumque ens* per se simpliciter constituunt. Sicut anima rationalis corpori suam existentiam substantialem communicat et corpus extra causas ponit; simili quodam modo humanitas per esse personale Verbi existit.

2° Differt tamen unio hypostatica a naturali unione inter animam et corpus. Anima et corpus *per prius* in uno esse *naturae* conveniunt et consequenter persona ex unione essentiali *resultat*. Anima in corpore, quod per se et immediate informat, sicut in potentia subiectiva *recipitur*, ab illo coarctatur et limitatur. Persona autem Verbi per unionem humanitatis et divinitatis *non efficitur*, sed unioni praeexistit. Hypostasis divina in humanitate *non recipitur*, sed modo eminenti vices creatae subsistentiae supplet.

Schol. 4. Utrum unio hypostatica aliquid creatum sit nec ne?

Unio, ut iam monuimus, tripliciter sumi potest: pro ipsa *actione unitiva* (seu pro *unitione*), pro *ratione formali* convenientiae duarum naturarum in Christo (seu pro *unitate*) et pro *relatione*, quae per actionem unitivam causatur.

1° Unio active seu efficienter aliquid *increatum* est; nam unitio divinitatis et humanitatis in persona Verbi ab increata actione Trinitatis, per quam humanitas Christi e nihilo producitur et ad personale esse Verbi assumitur, nihilo differt.

2° Si per unionem ratio formalis, in qua humanitas et divinitas conveniunt, intelligitur; unio pariter *increata est*; quia ratio formalis convenientiae duarum naturarum Christi non alia est, quam increatum, personale esse Verbi. Ergo unio, si cum ratione formali convenientiae duarum naturarum in hypostasi Verbi identificatur, increata dici debet.

3° Unio ut relatio considerata *creatis entibus annumerari potest*. Quod enim in tempore esse acquirit, creatum est. *Atqui* habitudo realis hypostatica humanitatis Christi ad Verbum tempore esse incoepit. Ergo unio, qua habitudo seu hypostatica relatio, creata dici potest et debet. Nam unio, ait S. *Thomas*, q. 2, a. 7; de qua loquimur, est *relatio* quaedam, quae consideratur inter divinam naturam et humanam, secundum quod conveniunt in una persona Filii Dei: sicut autem in I. P. dictum est (q. 13, a. 7); omnis relatio, quae consideratur inter Deum et creaturam, realiter quidem est in creatura, per cuius mutationem talis relatio innascitur; non autem est realiter in Deo, sed secundum rationem tantum; quia non innascitur secundum mutationem Dei; sic ergo dicendum est, quod haec *unio*, de qua loquimur, non est in Deo realiter, sed secundum rationem tantum; *in humana autem natura, quae creatura quaedam est, realiter est*; et ideo oportet dicere, quod sit quiddam creatum.

Solvuntur Difficultates.

1° Qui factus est caro, in sua natura non mansit. *Atqui* Verbum factum est caro. *Ergo* Verbum in sua natura non mansit.

Resp.: *Dist. mai.* Qui factus est caro per mutationem substantialem vel conversionem, in sua natura non mansit, *C. mai.* Qui factus est caro per unionem hypostaticam, *N. mai. Ctrd. min. Explico.* Fieri non semper et unice mutationem substantialem vel accidentalem significat. Unum potest fieri aliud etiam per hypostaticam unionem, salva utriusque naturae immutata proprietate.

2° Suppositum, quod substantialiter unum est, nonnisi unam naturam habet. *Atqui* Christus substantialiter unum suppositum est. *Ergo* Christus nonnisi unam naturam habet.

Resp.: *Dist. mai.* Suppositum finitum, *C. mai.* Hypostasis infinita, *subd. mai.* praecisione facta ab assumptione alterius naturae, *C. mai.* In suppositione assumptionis, *N. mai. C. min. Dist. Conseq.* Hypostasis Verbi, praecisione facta ab assumptione humanitatis, nonnisi unam naturam habet, *C. Conseq.* In suppositione et a momento incarnationis, *N. conseq.* Explicationem eandem dat S. *Thomas*, q. 3, a. 1 ad 2: Non est contra rationem personae sic communicari, ut subsistat in pluribus naturis; quia etiam in personam *creatam* possunt plures naturae concurrere *accidentaliter*; sicut in persona unius hominis invenitur quantitas et qualitas: hoc autem est

proprium divinae personae propter eius infinitatem, *ut fiat in ea concursus naturarum*, non quidem accidentaliter, sed *secundum subsistentiam.*

3° Si in Christo duae naturae permanerent, Christus esset duo. *Atqui* Christus est ens numero unum. *Ergo* in Christo non remanent duae naturae.

Resp.: *Dist. mai.* Si in Christo et duae naturae et duo connaturales actus existentiae remanerent, Christus esset duo, *C. mai.* Si in Christo adsunt dumtaxat duae naturae per unum esse personale Verbi existentes, *N. mai. C. min. Dist. Conseq.* Non adsunt in Christo duae naturae, quarum utraque suam existentiam haberet, *C. Conseq.* Non adsunt duae naturae sub uno personali esse Verbi, *N. Conseq.*

4° Ubi est aliud et aliud, ibi est duplex suppositum. *Atqui* si in Christo duae adessent naturae, in Christo esset aliud et aliud. *Ergo* in Christo, in quo una est hypostasis Verbi, una quoque est natura.

Resp.: *Dist. mai.* Ubi est aliud et aliud tum naturae tum subsistentiae, ibi est duplex suppositum, *C. mai. Ubi* dumtaxat aliud et aliud naturae invenitur, *N. mai. Dist. min.* Christus esset aliud et aliud essentialiter (quoad essentiam), *C. min.* Etiam aliud et aliud suppositaliter, *N. min.*

Thes. 8 — Duae sunt in Christo operationes secundum totidem operatrices naturas et duae pariter voluntates.

S. Th., q. 18, a. 1-3; q. 19, a. 1-2; Suarez, Disp. 37, Sect. 1; Franzelin, th. 40; Pesch, th. 12; Janssens, q. 18, a. 1, pag. 643 seq.; q. 19, a. 1, pag. 677 seq.; Muncunill, Disp. 10, n. 58, pag. 304 seq.; Billot, th. 28; Otten, th. 15; Hugon, q. 11, a. 2 et 4, pg. 604 seq.

Status Quaestionis.

1. Cum duplex integra perfectaque *natura*, non obstante unione hypostatica, in Christo permaneat; *duplici* quoque *principio operandi* et *duplici voluntate* pollet Servator Noster. Natura enim integra et perfecta remotum principium (*quo*) operandi non potest non esse. Quoniam vero natura rationalis connaturaliter bonum appetit et prosequitur; hinc in Christo, qui in divina et humana natura subsistit, duplex quoque voluntas necessario reperitur. Haec conclusio e dualitate naturarum, in concilio Chalcedonensi definita, sponte fluebat. Ideoque Catholici («dyo-physitae») secundum duplex remotum principium operativum etiam sic dic-

tum « dy-ergetismum » atque secundum duplicem voluntatem sic dictum « dyo-thelismum » profitebantur.

Si duplex radicale, physicum et *remotum* principium operationis attenditur et premitur; duplex operatio, « *secundum totidem operatrices naturas* », praedicatur. Sin autem ipsae *operationes* earumque qualitas consideratur, *tres species* operationum in Christo distinguuntur: operationes divinae, ad quarum productionem natura humana nullomodo concurrit: ut puta, creare, conservare, spirare Spiritum Sanctum; operationes humanae, quarum principium elicitivum, physicum divinitas non est neque esse potest, v. g. manducare, bibere, esurire, fatigari, dormire, pati, mori et similia; operationes mixtae seu *theandricae* (« dei-viriles »); ad quarum productionem divinitas humanitate ut instrumento utebatur; scl. in sanationibus miraculosis. Si humanarum operationum proxima, *elicitiva* principia spectantur, plures operationes humanae in Christo discernuntur, nempe: *vegetativa*, *sensitiva*, *intellectiva*, *volitiva*. Omnes operationes Christi, (sive divinae, sive humanae, sive theandricae) unius sunt suppositi, ab una persona directive, ἡγεμονικῶς, moraliter procedunt, uni supposito denominative tribuuntur, a divina hypostasi valorem moralem, meritorium atque dignitatem totam quantam hauriunt.

2. Monergismus et monothelismus. Monergismi et monothelismi nomine haec doctrina haeretica venit, quae in Christo *dumtaxat unum physicum*, *elicitivum principium operationis unamque tantum voluntatem* agnoscit. Radices atque fundamenta monergismi et monothelismi in monophysismo tum reali tum verbali iacent. Iam Severus Antiochenus unicitatem principii operantis, frequentius quam par est, urgendo; monergismum praeformavit. Si enim unitas *principii directivi*, *denominativi*, *moralis*, a principio proxime elicitivo, physico non distinguitur; facile, immo necessario ad negationem multiplicis operationis in Christo devenitur. In quo imprimis Monergetae et Monothelitae vel errabant, vel captiose cavillabantur.

Saec. VII monergismum Cyrus (patr. alex.) docuit. In 7 enim anathematismo inquit: (Si quis non confitetur) « unum

eundemque Christum et Filium, operantem Deo decibilia (τὰ θεῳ πρεπῆ) et *humana una dei-virili operatione*, secundum S. Dionysium », A. S. (1). Sergius (patr. Constantp.), cum nonnisi unam energiam operatricem et unam dumtaxat voluntatem Iesu Christi admitteret, approbationem et confirmationem sui erroris ab Honorio R. P. obtinere satagebat. Adeoque Romanum Pontificem deprecabatur, ut sua auctoritate quamvis disputationem de duplici vel una tam activitate quam voluntate interdiceret; cum in S. Scripturis et traditione de duplici activitate et voluntate N. Servatoris sermo non fiat umquam (2). Honorius concessit: de duplici activitate Christi Scripturas explicite non loqui, investigationemque de gemina vel unica eius voluntate « grammaticis » relinquendam esse. Quo posito, Romanus Pontifex fuse probat: *non geminam esse humanam* Christi voluntatem; alteram scl. Deo et rationi obsecundantem, alteram huic rebellem. (*DB.* 251). Responsum Honorii ex praeconcepta sua opinione interpretando et in suas partes argute trahendo, Sergius Heraclium induxit, ut novam fidei formulam promulgaret, in qua Oriens Christianus, per Persas et Arabes infestatus, pacifice convenire posset. Anno 638 sic dicta « Ectesis » in vulgus prodiit, in qua imperator quamvis mentionem de gemina vel una Christi operatione vetat *unamque voluntatem* credendam commendat (3).

(1) Mansi, *Op. Cit.*, 11, 566 D.

(2) Cfr. Mansi, *Op. Cit.*, 11, 530 seq.

(3) Nullo modo concedentes alicui ex omnibus *unam vel duas* dicere sive docere *operationes* in divina Domini incarnatione, sed magis, sicut sanctae et universales tradiderunt Synodi, unum eundemque Filium unigenitum Dominum nostrum Iesum Christum, verum Deum, confiteri operari divina et humana et omnem Deo et homini congruam operationem ex uno eodemque incarnato Deo Verbo indivise et inconfuse procedere et in unum eundemque referri. Eo quod *unius* quidem operationis vox, licet ab aliquibus Patribus dicta sit, tamen obstupefacit et turbat quorundam aures, arbitrantium in interitum eandem prolatam esse duarum naturarum, quae substantialiter unitae sunt in Christo. Similiter autem et *duarum* operationonum vocem multos scandalizare, utpote a nemine dictam Sanctorum et praecipuorum Ecclesiae Patrum; sed et sequi ex eo, ut duas confiteamur

Ectesim plures episcopi Orientis admiserunt scl. Pyrrhus (Sergii in cathedra successor), Cyrus (patr. Alex.), Paulus (Constpl.) et Theodorus (Constpl.). Non ab omnibus quidem Monergetis et Monothelitis actiones vere humanae a natura humana elicitae, vel actiones vere divinae a divina natura provenientes, inficiebantur; non omnes pariter voluntatem humanam, ut veram potentiam, a divina voluntate Christi distinctam negabant; sed omnes duas energias (« dyergetismum ») et duas voluntates (dyo-thelismum) admittere refragabantur. Sicut ergo Monophysitas tum reales tum verbales distinximus, pariter Monergetas et Monothelitas tam reales quam verbales dstinguere oportet ([1]).

3. Thesis duas partes habet. In *1ª Parte* affirmamus: Christum duas specifice diversas operationes habere, nempe operationes vere humanas, *quae a natura humana* Christi proveniunt et per facultates distinctas *physice eliciuntur*; et praeter has, divinas quoque operationes, quae a divinitate procedunt. In *2ª Parte* asserimus: Servatorem Nostrum duas voluntates, divinam scl. et humanam habere. Utraque pars est *definita*

PROBATUR THESIS.

Pars I. — In Christo sunt operationes specifice humanae et vere divinae.

ARG. 1. (E DEFINITIONIBUS). S. *Leo M., Ep. Dogm.*; Agit utraque forma cum alterius communione, quod proprium

---

voluntates, contrarie ad invicem venientes... Unde, sanctos Patres in omnibus et in hoc sequentes, unam voluntatem Domini nostri Iesu Christi veri Dei confitemur, quia nullo umquam tempore animatum intellectualiter eius corpus separatim et ex proprio impetu contrarie ad nutum Dei Verbi ei personaliter uniti suum naturalem motum fecit, sed quando et qualem et quantum ipse Deus Verbum volebat ». Cfr. KIRCH, *Enchiridion Fontium Hist. Eccl. Antiq.*, Frib. 1923, n. 1070-1073.

([1]) Cfr. GRUMEL, *Recherches sur l'histoire du monothelisme*, « Echos d'Orient » 1928, t. 27, p. 6-16; 257-277; t. 28, p. 19-34; 159-166; 272-282; JUGIE, *Monothelisme*, DTC. 10, 2307-2323.

est; *Verbo* scl. *operante*, quod Verbi est et *carne exequente*, quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit iniuriis. *DB*. 144.

Conc. Later. Can. 11. Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem duas unius eiusdemque Christi Dei nostri operationes cohaerenter unitas, *divinam et humanam*, ab eo quod per utramque eius naturam operator naturaliter idem existit nostrae salutis, condemnatus sit. *DB*. 264. Cfr. *DB*. 265, 266.

S. *Agatho.*, *Ep. Dogm.*; Sicut duas naturas sive substantias, i. e. deitatem et humanitatem, inconfuse, indivise, incommunitabiliter eum habere veraciter confitemur; ita quoque et duas naturales voluntates et duas naturales operationes habere, utpote perfectum Deum et perfectum hominem, unum eundemque ipsum Dominum Iesum Christum *pietatis nos regula instruit*, quia hoc nos apostolica et evangelica traditio, sanctorumque Patrum magisterium, quos sancta, apostolica atque catholica Ecclesia et venerabiles Synodi suscipiunt, instituisse monstratur. *DB*. 288.

Conc. Constantp. III (680-681). Duas vero naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inconfuse, inseparabiliter in eodem Domino nostro Iesu Christo vero Deo nostro glorificamus, hoc est, *divinam et humanam operationem*. *DB*. 292.

Arc. 2. (E S. Scripturis). *a*) Christus operationem *specifice humanam* habuit, si plurimae operationes N. Servatoris physice neque remote neque proxime a divinitate procedere poterant. *Atqui* plurimae operationes N. Servatoris physice neque remote neque proxime a divinitate procedere poterant. *Ergo* Christus habuit operationem specifice humanam.

Prob. Min. Actiones, ut sunt: manducare, bibere, ieiunare, esurire, fatigari, dormire, flere, orare, tristari, oboedire, mereri, mori, certo certius neque remote neque proxime Christus per divinitatem elicere potuit. Harum ergo operationum principium physicum, elicitivum natura humana fuit.

b) Scripturae Sacrae Christo Domino simul *pure divinas* operationes tribuunt, quarum humanitas nullo modo principium elicitivum esse potuit. *Mt.* 11, 27: *Nemo novit Filium nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, Ioan.* 5, 17. 19; *Pater meus usque modo operatur et ego operor; quaecumque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit.* Filius Dei creat et conservat; *Ioan.* 1, 3; *Colos.* 1, 16. 17; *Hebr.* 1, 2.

Arg. 3. (E. Patribus).

Tertullianus, *Apologet.* 21. Caro spiritu structa nutritur, adolescit, affatur, docet, operatur et Christus est. *RJ.* 277.

S. Athanasius, *De Sent. Dion.* 9. Cum eum lacrimantem dicit, probe novit Dominum hominem factum *quoad humanitatem lacrimas profundere*, ut Deum vero Lazarum a mortuis *suscitare*; novit quoque illum *esurire corporaliter*, ac divinitus ex quinque panibus quinque milia satiare; corpus itidem humanum in sepulcro iacere novit, nec ignorat illud ipsum a Verbo, ut Dei corpus, suscitari. *RJ.* 759. *Adv. Ar.* 3, 31. Etsi Verbum caro factum est, *propriae* nihilominus *sunt carnis affectiones*, τὰ πάθη; et vicissim quamvis caro in Verbo divine gestatur, gratia tamen et virtus Verbi est. Itaque *Patris opera* per carnem efficiebat, sed nihilominus *carnis affectiones* in illo exhibebantur. *RJ.* 773. Cfr. 794.

S. Cyril. Hieros., *Catech.*, 4, 9. Duplex erat Christus; homo quidem quantum ad id, quod videbatur, Deus vero quantum ad illud, quod latebat; ut homo manducans vere sicut et nos, (*similes enim nobis corporis affectiones habebat*), sed ut Deus hominum quinque milia ex quinque panibus nutriens. *RJ.* 817.

S. Ambrosius, *De fide*, 2, 7, 56. Ut homo ergo dubitat (Christus), ut homo *turbatur*. Non turbatur eius virtus, non turbatur eius divinitas, sed *turbatur anima*; turbatur secundum humanae fragilitatis assumptionem. Et ideo quia suscepit animam, s u s c e p i t e t a n i m a e p a s s i o n e s; non enim Deus, eo quod Deus erat, aut turbari aut mori potuisset. *RJ.* 1267.

S. Cyril. Alex., *Thesaur.* 24. Ubi audieris eum flevisse et moerore ac metu affectum fuisse, adverte eum, praeter hoc quod Deus est, esse etiam hominem et *tribue humanitati, quae illi debentur.* MG. 75, 396. C; *In Luc Com.* 22, 42. H u m a n a e quidem n a t u r a e fuerit p e r t u r b a t i o n i s c o m m o t i o, divinae autem in omnibus constantia. Mortis quidem praesens imago Iesum turbat, sed *deitatis virtus commotam* illico *sedat passionem* et ad confidentiam transfert. *RJ.* 2103. *Adv. Nest.* 4. 2. Christus baptizabatur quidem ut homo, baptizabat vero ut Deus, θεικῶς MG. 76, 177 B; *In Ioan.*, I, XI, c. 10. Suum ipsius Spiritum accipit et *accipit* quidem, quatenus homo erat, sibi autem eum *dat* qua Deus. MG. 74, 548. B.

S. Sophronius, *Ep. Synod. ad Serg.*, Omnem vocem et *operationem*. sive *divina* quaedam sit et caelestis, sive *humana* et terrena, ex uno eodem que Christo et Filio procedere edocemus, et ex una composita et singulari subsistentia, quod incarnatum Dei Verbum exstabat, quod utramque inseparabiliter et inconfuse operationem secundum naturas suas a seipso naturaliter proferebat. *RJ*. 2289.

Arg. 4. (E ratione theologica). *a*) Natura perfecta est principium operationis. *Atqui* Christus duplicem habet naturam perfectam. *Ergo* in Christo duplex est principium operationis. *b*) Christus est Deus et homo perfectus. *Atqui* de ratione Dei et hominis perfecti est, ut operationem tum divinam tum humanam habeat. *Ergo* in Christo duplex est operatio.

Pars II. — Duplex in Christo est voluntas divina et humana.

Arg. 1. (E definitionibus). *Conc. Later. can.* 10. Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem duas unius eiusdemque Christi Dei nostri voluntates cohaerenter unitas, divinam et humanam..., condemnatus sit. *Can.* 14. Si quis secundum scelerosos haereticos cum *una* voluntate et *una* operatione, quae ab haereticis impie confitetur et duas voluntates pariterque et operationes, hoc est, divinam et humanam, quae in ipso Christo Deo in unitate salvantur et a sanctis Patribus orthodoxe praedicantur, denegat et respuit, condemnatus sit. *DB*. 267, Cfr. 265, 266, 288.

Conc. Constantp. III. Praedicamus duas naturales voluntates, non contrarias, absit, iuxta quod impii asseruerunt haeretici; sed sequentem eius humanam voluntatem et non resistentem vel reluctantem sed potius et *subiectam divinae* eius atque omnipotenti *voluntati*. Oportebat enim carnis voluntatem moveri, subici vero voluntati divinae. *DB*. 291. Cfr. *DB*. 344, 710, 1465.

Arg. 2. (E. S. Scripturis). *a*) Divina voluntas Christi eadem numero est atque voluntas Dei Patris. *Atqui* Iesus Christus aperte significavit se *aliam* voluntatem habere, *distinctam* a voluntate Patris. *Ergo* Iesus Christus aperte significavit; se habere duas voluntates, divinam et humanam.

Prob. Min. Mt. 26, 39. 42; *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Lc.* 22, 42; *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Ioan.* 5, 30; *Non quaero voluntantem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Cfr. *Ioan.* 6, 38.

b) Christus Patri suo oboediens erat, eum adoravit, reverentiam ei exhibuit, frequenter ad Patrem preces fudit. *Atqui* hos actus nonnisi per voluntatem humanam elicere potuit. *Ergo* Christus praeter voluntatem divinam etiam et humanam habuit.

Prob. Mai. Phil. 2, 8; *Humiliavit semetipsum factus oboediens usque ad mortem. Ioan.* 8, 49; *Honorifico Patrem meum et vos inhorastis me. Ioan.* 17, 4; *Ego te clarificavi super terram. Mt.* 26, 39; *Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans.* Cfr. *Ioan.* 17, 1. 11; *Hebr.* 5, 7; *Qui in diebus carnis suae preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.*

Arg. 3. (E doctrina Patrum).

S. Athanasius, *De Incarn.* 21. Cum (Christus) ait: «*Pater, si possibile est*» etc. duas voluntates ibi ostendit: alteram humanam, quae est carnis, alteram divinam, quae Dei est. Siquidem *humana* ob infirmitatem carnis deprecatur. παραιτεῖται, passionem; *divina* autem eius voluntas prompta est. *RJ.* 790.

S. Ioan. Chrys., *De Consubstantiali c. Anom.*, 7, 6. Neque enim agoniam solum haec verba significant, sed etiam duas voluntates, unam Filii et alteram Patris, inter se oppositas, ἐναντία ἀλλήλοις; quod enim dixit: *Non sicut ego volo, sed sicut tu*, hoc indicantis est. Si enim in divinitate hoc dictum est, exoritur quaedam contradictio et multa absurda inde nascuntur; sin autem in carne, rationi consentanea sunt, neque reprehendi quidquam poterit. *RJ.* 1133.

S. Ambrosius. *Expos. Ev. Sec. Luc.* 10, 60. Quod autem ait: *Non mea voluntas, sed tua fiat,* (*Lc.* 22, 42), suam ad hominem rettulit, Patris ad divinitatem; *voluntas enim hominis temporalis,* voluntas divinitatis aeterna. Non alia voluntas Patris, alia Filii; una enim voluntas, ubi una divinitas. *RJ.* 1309.

S. Cyril. Alex., *Thesaur.* 24. Ipse quidem, *qua Verbum* est ac Deus, non timebat mortem; hoc enim erat volitum Patris. Sed *habet etiam voluntatem* non moriendi, quia caro vult connaturaliter vitare mortem. Docens itaque humanitatem iam non, quae sibi sunt insita, cogitare, sed Dei voluntatem quaerere, dicit *ut homo. Non sicut ego volo, sed sicut tu. MG.* 75, 397. A.

S. Ioan. Damasc., *De Fide Orth.*, 3, 13. Eundem Iesum Christum praedicantes perfectum Deum et perfectum hominem, dicimus eum habere, uti duabus naturis consentaneum est, duplices naturarum duarum naturales proprietates; hoc est, duas naturales voluntates, divinam et humanam; duas naturales arbitrii libertates divinam et humanam ac denique sapientiam et scientiam divinam et humanam. *RJ.* 2365. Cfr. 2366, 2383.

Arg. 4. (E ratione theologica). Christus assumpsit naturam divinam et humanam perfectam. *Atqui* voluntas pertinet ad perfectionem naturae. *Ergo* Christus assumpsit divinam et humanam voluntatem. Argumentum est S. *Thomae*, q. 18, a. 1; Ad perfectionem humanae naturae pertinet voluntas, quae est naturalis eius potentia, sicut et intellectus. Unde necesse est dicere, quod Filius Dei humanam voluntatem assumpserit cum humana natura. Per assumptionem autem humanae naturae *nullam diminutionem passus est Filius Dei in his, quae pertinent ad divinam naturam,* cui competit voluntatem habere, ut in I P., q. 19, a. 1 habitum est. Unde necesse est dicere, quod in Christo sint duae voluntates, una scl. divina et alia humana.

Schol. 1. De operatione theandrica.

1° Saeculo VII de operatione « theandrica » (deivirili), multum acriterque disputatum est. Tam Catholici quam Monergetae et Monothelitae ad auctoritatem Ps-Dionysii Areopagitae provocabant; qui in *Ep.* 4 *ad Caium* ait: « Christus *divina* non qua Deus patrabat, neque *humana* quatenus homo gerebat, sed quatenus erat Deus et homo, novam quandam, nobiscum conversando, deivirilem operationem exhibebat ». MG. 3. 1074. *Cyrus et Sergius* illorumque sequaces in eo vehementer errabant, quod dumtaxat et unice theandricam operationem in Christo agnoscebant; nam pure divinam et stricte humanam operationem inficiati sunt. Proindeque theandricam operationem neque a divina neque ab humana natura, sed immediate ab ipso supposito deivirili procedere arbitrabantur. Dionysius Areopagita affirmat: hanc operationem « novam », aliam, i. e. a divina et humana *distinctam* esse; Monergetae et Monothelitae nonnisi, unice, exclusive theandricam operationem admittebant (1).

2° Quare iure meritoque Conc. Later. *can.* 15 anathematizat eos, qui contenderint: *unam dumtaxat* theandricam operationem a Christo exerceri: « Si quis secundum scelerosos haereticos deivirilem operationem, quod Graeci θεαν-

(1) « Nam beato Dionysio asserente, sicut audistis (inquit *S. Martinus in conc. Later.*), dilectissimi fratres, novam quandam deivirilem operationem inter nos conversatum, uterque eorum apertissime contra patrem mentitus est. Et Cyrus quidem in suo septimo capitulo *novam* immutando et unam pro *nova* asserendo, deivirilem operationem quasi dixisse doctorem perhibens. Sergius autem in epistula de huiusmodi quaestione ad Cyrum scripta, tam in immutatione novae cum illo confirmans, et non solum hoc, sed et doctoris deivirilem amputans penitus vocem et unam absolute in Christo Deo dogmatizans operationem. Cyrus et Sergius in dogmatibus et sicut ab eo isti edocti, *novam* immutando, *unam* nisi (i. e. conati) sunt appellare, licet vehementiores illo in abnegatione veritatis effecti sunt, qui ipsam deivirilem doctoris vocem interimere penitus praesumpserunt et *unam absolute* tradere operationem Dei, moliti sunt ». Mansi, *Op. Cit.* 10, 979 AB, 982 D.

δρικήν, unam operationem insipienter suscipit, non autem duplicem esse confitetur secundum sanctos Patres, hoc est, *divinam et humanam*, aut ipsam deivirilis, quae posita est, novam vocabuli unius esse designativam, sed non utriusque mirificae et gloriosae unitionis demonstrativam, condemnatus sit ». *DB* 268 (1).

3° Quod igitur rectam atque exactam theandricae operationis intelligentiam attinet, tene, quae sequuntur:

a) Quia in Christo duplex est principium (*quo*) operátivum, scl., natura divina et humana, unus autem denominative et directive operans, Deus-homo, operatio deivirilis seu theandrica *sensu stricto* vocatur illa *actio, ad quam utraque natura suo modo vere et physice concurrit.* Igitur deivirilis operatio neque pure divina, neque mere humana est; quia in operatione theandrica divinitas utitur humanitate ut instrumento rationali.

b) Omnes operationes Christi etiam humanae, i. e. a natura humana elicitae, *vocari possunt* deivirilcs seu theandricae. Omnes enim ab hypostasi divina dirigebantur, dignificabantur; omnes supposito divino ut principio *quod* tribui et imputari debent. Adeoque *ratione dignitatis et perfectionis moralis*, theandricae sunt; infinitum valorem moralem satisfactorium et meritorium habent.

c) Stricto tamen sensu operationes *mixtae*, ut puta, patratio miraculorum, institutio ecclesiae et sacramentorum, aliae-

---

(1) Naturam theandricae operationis ipse S. *Martinus* sufficienter explicavit. « Nec enim, inquit, nuda deitate divina, neque pura humanitate humana, sed per carnem quidem intellectualiter animatam atque unitam eidem substantialiter, operabatur sublimiter miracula. Operatur enim, *utraque forma* cum alterius communione, quod proprium est. Non enim dixit (S. Leo M.), quoniam minuit, aut immutavit, aut confudit, vel abnegat hoc, quod proprium est, utraque natura de his, quae in uno eodemque Christo substantialiter unita sunt: sed *operatur quidem, cum alterius autem communione*, ut et differentiam ostendat per hoc, quod operatur, quod proprium est: et unionem significet per hoc, quod dicit, cum alterius communione. Hoc est enim novae *deivirilis operationis proprium*, id est, *divinae et humanae*, secundum unitionem cohaerenter indivisam in eodem ipso cognitam ». Mansi, *Op. Cit.*, 10, 986 D.

que operatio theandrica vocantur. Ad producenda opera miraculosa utraque natura (divina et humana) cooperabatur; natura divina *ut causa principali*, natura autem humana *ut causa instrumentali* concurrente. In causalitate instrumentali duplex actio distinguatur, oportet: « *una* quidem, quam habet (instrumentum) secundum propriam formam: *alia*, quam habet, secundum quod movetur ab alio, sicut securis operatio secundum propriam formam est *incisio*; secundum autem quod movetur ab artifice, operatio eius est: *facere scamnum*: *operatio* igitur, quae est alicuius rei secundum suam formam, est propria eius; nec pertinet ad moventem, nisi secundum quod utitur huiusmodi re ad suam operationem: sicut calefacere est propria operatio ignis, non autem fabri, nisi quatenus utitur igne ad calefaciendum ferrum: sed *illa operatio*, quae est rei solum *secundum quod movetur ab alio, non est alia* praeter operationem moventis ipsam: sicut facere scamnum, non est seorsum operatio securis ab operatione artificis, sed securis participat instrumentaliter operationem artificis; et ideo ubicumque movens et motum habent diversas formas, seu virtutes operativas, ibi oportet, quod sit alia operatio moventis et alia operatio moti: licet motum participet operationem moventis et movens utatur operatione moti et sic *utrumque agat cum communione alterius*: sic igitur in Christo humana natura habet propriam formam et virtutem, per quam operatur: et similiter divina; unde humana natura habet propriam operationem distinctam ab operatione divina et e converso; et tamen divina natura utitur operatione naturae humanae, sicut operatione instrumenti; et similiter humana natura participat operationem divinae naturae, sicut instrumentum participat operationem principalis agentis.

Actio instrumenti, *in quantum est instrumentum*, non est alia ab actione principalis agentis; potest tamen habere aliam operationem, *prout est res quaedam*: sic igitur operatio, quae est humanae naturae in Christo, in quantum est instrumentum divinitatis, non est alia ab operatione divinitatis, non enim est alia salvatio, qua salvat humanitas Christi et divinitas eius: habet ta-

men humana natura in Christo, in quantum est natura quaedam, quandam propriam operationem praeter divinam ». (S. *Thom.*, q. 19, a. 1 c. et ad 2).

SCHOL. 2. DE CONFORMITATE VOLUNTATIS HUMANAE CUM VOLUNTATE DIVINA.

Conc. *Constantp.* III definivit: voluntatem humanam Christi divinae neque contrariam, neque resistentem fuisse. « Duas naturales voluntates non contrarias, absit, iuxta quod impii asseruerunt haeretici, sed sequentem eius humanam voluntatem et non resistentem vel reluctantem, sed potius et *subiectam* divinae eius atque omnipotenti voluntati ». *DB*. 291. Quibus tamen pavor, timor, taedium, quae animam Christi in horto Getsemani oppleverant, contradicere videntur. Qui ergo *agonia* Christi cum perfecta *concordia* morali divinae et humanae voluntatis conciliantur? Mirabiliter; modo varia in humana voluntate distinguantur. nempe: appetitus sensitivus ab appetitu rationali; insuper, voluntas ut natura et voluntas ut ratio.

1° Appetitus sensitivus est inclinatio naturae in bonum sensibile, sensibus apprehensum. Christus hoc appetitu non caruit, quippe qui ad perfectionem et integritatem naturae humanae pertinet (1). Voluntas ut natura, θέλησις, est appetitus sequens cognitionem intellectivam, per quam bonum conveniens homini, in quantum est homo, proponitur. Hic motus voluntatis oritur ex consideratione obiecti, prout hoc absolute et secundum se convenit naturae vel eam affligit. Voluntas ut ratio, βούλησις, est appetitus rationalis boni, prout hoc bonum est ad finem. Hic motus considerationem omnium circumstantiarum et habitudinis obiecti ad finem consequitur.

Quibus praestitutis, dicimus *appetitum sensitivum* a passione et morte naturaliter abhorruisse. Nec minus futura tormenta praecognita *voluntatem, ut est natura,* affligebant et angebant. Voluntas *ut ratio* perfecte sese voluntati divinae conformabat. In

(1) Cfr. S. THOMAE, 3 P., q. 18, a. 2.

illa verba: « *transeat a me calix iste* », appetitus sensitivus et voluntas ut natura prorumpebant; haec vero; « tua voluntas fiat », voluntas ut ratio proferebat. Quoniam Christo placuit, ut voluntas humana, *ut natura*, connaturali bono moveretur, malum vero naturaliter fugeret, quin tamen exinde voluntas, ut ratio, ullomodo impediretur vel retardaretur in prosecutione finis; Christus ex praevisione futurae passionis non affligi non potuit. Fuit ergo voluntas naturalis conformis voluntati divinae, cui placuit integram, sensibilem et passibilem naturam assumere.

Explicationem S. Thomae debemus. qui q. 18, a. 5 ait: « In Christo secundum humanam naturam ponitur *duplex* voluntas *sensualitatis*, quae participative voluntas dicitur; et voluntas *rationalis*, s i v e consideretur per modum naturae, s i v e per modum rationis. Dictum est autem supra (q. 14, a. 1, ad 2), quod ex quadam dispensatione Filius Dei ante suam passionem *permittebat carni agere et pati*, quae sunt ei propria; et similiter permittebat etiam omnibus viribus *animae agere et pati propria;* manifestum est autem, quod voluntas sensualitatis refugit naturaliter dolores sensibiles et corporis laesionem; similiter etiam voluntas, ut natura, repudiat ea, quae sunt naturae contraria et quae sunt secundum se mala, puta mortem et alia huiusmodi: sed haec tamen voluntas, quando per modum rationis eligere potest ex ordine ad finem; sicut etiam in aliquo puro homine sensualitas eius et etiam voluntas absolute considerata refugit ustionem, quam tamen voluntas secundum rationem eligit propter finem sanitatis; voluntas autem Dei erat. ut Christus dolores et passiones et mortem pateretur; non quod ista essent a Deo volita secundum se, sed ex ordine ad finem humanae salutis; unde patet, quod Christus *secundum voluntatem sensualitatis et secundum voluntatem rationis*, quae consideratur per modum naturae, a l i u d p o t e r a t v e l l e q u a m D e u s: sed secundum voluntatem, quae est per modum rationis, semper idem volebat, quod Deus, quod patet ex hoc ipso, quod dicit: « *Non sicut ego volo, sed sicut tu* »; volebat enim secundum rationem, voluntatem divinam impleri, quamvis aliud dicat se velle secundum quandam aliam voluntatem ».

2° Aliud quidem volebat voluntas ut natura, aliud voluntas ut ratio. Quo non obstante, inter voluntatem *divinam* et *humanam* Christi (si voluntas *ut natura* consideratur), n u l l a aderat c o n t r a r i e t a s. Nam vera contrarietas tunc adest, cum diversitas voluntatum est *circa idem* obiectum. Iam vero voluntas Christi *ut natura* passionem nolebat prout passio, *secundum se et ab-*

solute considerata, est aliquod malum naturae humanae Christi; voluntas vero divina passionem volebat. prout passio est bonum humanitatis universae. prout perpessio tormentorum et mortis condicio erat atque medium tum salutis tum meriti. Proinde etiam inter voluntatem divinam et voluntatem humanam Christi non aderat vera contrarietas. Plura vide apud S. Thomam, q. 18, a. 6.

Solvuntur Difficultates.

1. Actiones sunt suppositorum. *Atqui* in Christo Iesu suppositum dumtaxat est unum, divinum. *Ergo* in Christo dumtaxat una est divina actio.

Reps. Dist. mai. Actiones sunt suppositorum denominative, directive, *C. mai.* Etiam immediate elicitive, *N. mai. C. min. N. Conseq.* «Operari, explicat S. *Thomas*, q. 19, a. 1 ad 3, est hypostasis subsistentis, sed secundum formam et naturam, a qua operatio speciem recipit et ideo a diversitate formarum seu naturarum est *diversa species operationum*: sed ab unitate hypostasis est unitas secundum numerum, quantum ad operationem specici: sicut ignis habet duas operationes specie differentes, scl. illuminare et calefacere secundum differentiam lucis et caloris et tamen est una numero illuminatio ignis simul illuminantis: et similiter in Christo oportet, quod sint *duae operationes specie differentes* secundum eius duas naturas, quaelibet tamen operationum est una numero in Christo simul facta; sicut una ambulatio et una sanatio».

2. Actiones Christi omnes omnino valorem infinitum habent. *Atqui* hoc valore non gauderent, nisi a supposito divino elicerentur. *Ergo* omnes actiones Christi a supposito divino eliciuntur.

Resp. Dist. mai. Actiones humanae Christi infinitum valorem physicum habent. *N. mai.* Valorem moralem infinitum, *C. mai. Dist. min.* Infinito physico valore non pollerent, nisi a divino supposito elicerentur, *Transeat min.* Valore morali infinito non gauderent, nisi immediate ab hypostasi divina elicerentur, *N. min.* Actiones humanae Christi ab humana natura per facultates elicitae valore infinito morali gaudent, quia actiones physice finitae divini suppositi sunt moraliter et directive

3. Ubi est unum esse hypostaticum, ibi unum tantum est operari. *Atqui* in Christo Iesu unum tantum est esse hypostaticum. *Ergo* in Christo unum pariter est operari.

Resp. Dist. mai. Ibi est unum operari denominative, directive, immo quandoque etiam terminative, *C. mai.* Est unum operari physice, elicitive et principiative, *N. mai. C. min.* Similiter distinguo consequens ac distinxi maiorem. Explicationem dat

S. Thomas, q. 19, a. 1 ad 4. « Esse et operari est personae a natura, aliter tamen et aliter; nam esse pertinet ad ipsam constitutionem personae et sic quantum ad hoc se habet in ratione termini et ideo unitas personae requirit unitatem ipsius esse completi et personalis: sed operatio est quidam effectus *personae secundum aliquam formam vel naturam*; unde pluralitas operationum non praeiudicat unitati personali ».

4. Agentis principalis et instrumenti nonnisi una est operatio. *Atqui* humanitas Christi est instrumentum, divinitas autem est agens principale. *Ergo* humanitatis e divinitatis Christi nonnisi una est operatio.

Resp. Dist. mai. Una est operatio instrumentalis, qua instrumentalis, *C. mai.* Instrumentum et agens principale non operantur in activitate instrumentali *secundum suam formam* et naturam, adeoque absolute una est operatio, *N. mai. Dist. min.* Utraque natura agit in activitate instrumentali secundum suam formam, *C. min.* Secus, *N. min.* Ad explicationem, Cfr. *S. Thomae*, q. 19, a. 1 ad 2.

5. Ubi est unum operatum, ibi quoque una est operatio. *Atqui* in Christo Iesu unum est operatum divinitatis et humanitatis. *Ergo* in Christo una est operatio divinitatis et humanitatis.

Resp. Dist. mai. Ubi est unum dumtaxat operatum instrumentale, ibi quoque una est operatio instrumentalis qua talis, *C. mai.* Ubi praeter operatum instrumentale invenitur aliquod operatum non instrumentale, ibi una est operatio absolute, *N. mai. Dist. min.* In Christo est unum dumtaxat operatum instrumentale, *N. min.* Adest quoque operatum proprium utriusque naturae, *C. min.* *Explico* verbis Doctoris Angelici, q. 19, a. 1 ad 5: « Aliud est operatum operationis divinae et operationis humanae in Christo; sicut operatum *proprium* divinae operationis est *sanatio* leprosi; operatum *proprium* humanae naturae est eius *contactus*; concurrunt autem ambae operationes ad unum operatum, secundum quod una natura agit cum communione alterius ».

6. Christus est unus movens et operans. *Atqui* unius moventis et operantis non est nisi una voluntas. *Ergo* in Christo non est nisi una voluntas.

Resp. Dist. mai. Operans, qui in duabus naturis subsistit, *C. mai.* Qui in una tantum natura subsistit, *N. mai. Ctrd min.* Ad rem *S. Thomas*, q. 18, a. 1 ad 1. « Quidquid fuit in humana natura Christi, movebatur nutu voluntatis divinae: non tamen sequitur, quod in Christo non fuerit motus voluntatis *proprius* naturae humanae, quia etiam aliorum Sanctorum piae voluntates moventur secundum voluntatem Dei, qui *operatur in eis velle et perficere* ».

7. Instrumentum non movetur propria voluntate. *Atqui* sicut tota humanitas, ita in specie voluntas humana Christi fuit instrumentum divinitatis. *Ergo* humana voluntas Christi non habuit proprium, naturalem motum.

Resp. Dist. mai. Instrumentum inanimatum et necessario ex natura agens, *C. mai.* Instrumentum animatum, libere agens, *N. mai. Ctrd. min.* Differentiam inter instrumenta indicat *S. Thomas*, q. 18, a. 1

ad 2. « Proprium est instrumenti, quod moveatur a principali agente: *diversimode tamen* secundum proprietatem naturae ipsius: nam instrumentum *inanimatum* (sicut securis aut serra) movetur ab artifice per solum motum corporalem: instrumentum vero *animatum* anima sensibili movetur per appetitum sensitivum; sicut equus a sessore; instrumentum vero *animatum anima rationali* movetur per voluntatem eius; sicut per imperium domini movetur servus ad aliquid agendum, qui quidem servus est sicut instrumentum animatum: sic ergo humana natura in Christo fuit instrumentum divinitatis, ut moveretur per propriam voluntatem ».

Thes. 9. — Verbo secundum hypostasim non solum corpus animatum verum etiam partes integrantes naturae humanae, immo et sanguis inseparabiliter unita sunt.

S. Th., q. 6, a. 1, 3, 4; q. 33, a. 1-3: q. 50, a. 2, 3; Suarez. Disp. 15. sect. 4-8; Disp. 16, sect. 1-3; Janssens, Op. Cit., pag. 294 seq.; pag. 312 seq.; Pesch, th. 10 et 13; Billot, th. 15; Muncunill, Disp. 5, a. 4, pag. 183 seq.; Otten, th. 13 et 16; Galtier, th. 13; Hugon, q. 4, a. 2, pag. 408; q. 4, a. 3, pag. 415 seq.

Status Quaestionis.

Duas affines quaestiones in thesi tractabimus, quae ad profundiorem cognitionem unionis hypostaticae iuvant, scl. de extensione et de duratione unionis hypostaticae. De illa in *Parte 1ª*, de hac in *Parte 2ª* sermo erit.

Explicatur et probatur pars 1ª thesis.

Et quidem *extensionem* unionis quod attinet, nota: 1. E thesi 3ª iam constat: naturam humanam perfectam, integram a Verbo assumptam esse. Porro e thesi 7ª patet: hanc naturam humanam post unionem integram et perfectam perseverare. *Quaeritur*: quomodo singulae partes humanitatis a Verbo Dei assumantur eique uniantur? Dupliciter aliquid a persona divina assumi eique uniri potest: *immediate vel mediate. Immediate* aliquid a Verbo assumitur eique *secundum hypostasim* unitur, si directe per hypostasim Verbi terminatur. *Mediate* assumitur et *in hypostasi* unitur, si rei, quae directe per personam

Verbi terminatur, inexistit. Aliis verbis; immediate assumptum est id, quod ipsum per se, directe ab hypostasi Verbi sustentatur; mediate assumitur, quod solummodo rei, per se et directe assumptae coniungitur.

2. Ad quaesitum ergo breviter respondemus: *immediate assumptae* et secundum hypostasim divinam unitae sunt omnes partes essentiales et integrales humanitatis Christi. Partes autem *essentiales* humanitatis sunt illae, sine quibus natura humana nec esse neque concipi potest, (concrete: anima et corpus). Partes *integrantes* sunt illae, sine quibus integra humana natura nec esse, neque vivere, nec evolvi potest, (ut puta: manus, pedes, oculi, aures, lingua etc.). Nomine partium « *superfluarum* » veniunt: sudor, lacrimae aliaque expellenda excrementa. Haec in organismo sunt; sed pars organismi humani non dicuntur. *Communiter* tenent Theologi: partes *essentiales* (corpus anima vivificatum) et *integrantes* a Verbo immediate assumptas atque secundum hypostasim Verbo unitas esse; dum iuxta communem inter Theologos sententiam partes « *superfluae* » non nisi mediate assumuntur. Communem Theologorum opinionem defendendo, minutatim ad particularia non descendimus; quidnam in specie in organismo humano nomen partis integrantis mereatur, (utrum vg. dentes, ungues, capilli et consimilia pars integrans sint nec ne). Nomine partis integrantis secundum sensum communem et obvium intelligimus omne id, quod in homine evoluto, integro, non mutilato, non deformato invenitur, quodque ad vitam et evolutionem eiusmodi hominis requiritur. Ab accuratiori anatomica determinatione partis integrantis consulto abstinemus.

3. Vehemens olim Theologos Scholasticos dividebat disputatio: utrum sanguis humanus pars integrans, animata sit, nec ne; et utrum consequenter sanguis Christi immediate a Verbo assumatur, nec ne. Durandus (IV. Dist., 10, a. 1, n. 19) et non pauci cum illo (1) docuerunt: sanguinem non vivificari, neque

(1) Quos videsis, apud Suarez, Disp. 15, sect. 6; vel Janssens, Op. Cit. pag. 295.

partem integrantem humani organismi esse; proindeque in Christo immediate ad unitatem hypostasis divinae non trahi. Cum Barcinone (a. 1351) Franciscus Bajuli O. M. aliique Fratres Ordinis Minorum opinionem Durandi pro concione ad populum publice defenderent, *Clemens VI* per inquisitorem (Nicolaum Rosselli) de re certior factus, Fratres Minores ad publicam huius doctrinae retractationem adegit. Discussio ad tempus sopita est, sed post 113 annos per Iacobum a Marchia resuscitata, vehementior exarsit. *Dominicani* affirmabant sanguinem Christi in passione effusum cum hypostasi Verbi unitum mansisse et a Christo redivivo reasumptum fuisse; *Franciscani* autem hoc negabant. Romae per tres dies coram *Pio II* disputatio locum habuit. Rationibus in utramque partem exceptis, Summus Pontifex auctoritate apostolica interdixit utrique parti disputationem: « quod videlicet haereticum vel peccatum sit, tenere vel credere sanguinem ipsum sacratissimum triduo passionis eiusdem Domini nostri Iesu Christi ab ipsa divinitate quomodolibet fuisse vel non fuisse divisum vel separatum, donec super dubietatis huiusmodi decisione, quid tenendum sit, fuerit per nos et sedem Apostolicam definitum ». *DB.* 718. Subsequentibus saeculis communis inter Theologos invaluit sententia: sanguinem, etiam in passione effusum, cum hypostasi Verbi unitum esse (1).

Thomistae antiquiores (2): ut Cajetanus (3 P., q. 54, a. 3 Com.) Gonetus (Disp. 9, a. 7, § 1) Billuart (Diss., 7, a. 2) duplicem sanguinem distinguunt: nutrimentalem et naturalem. Sanguis *nutrimentalis* est humor quidam colore sanguini similis, ex chylo proxime generatus, nondum sufficienter decoctus et depuratus, qui ideo sanguinis naturam nondum attingit. Sanguis *naturalis* est proprie et essentialiter sanguis, fit ex priori per maiorem decoctionem et elaborationem virtutis efformativae sanguinis. Dicitur naturalis, non quod ad nutritionem

---

(1) Cfr. Frassen, *Scotus Academicus*, Disp. 2, a. 1, sect. 2, q. 1.

(2) S. Thomas, *Quodl.*, 5, a. 5 similiter duplicis sanguinis mentionem facit.

animalis non deserviat aliquo modo, sed quia ultra hoc munus pertinet insuper ad integritatem naturae animalis. Sanguis *naturalis immediate* assumptus est, non autem sanguis nutrimentalis. Ita quaestio resolvebatur a Thomistis O. P.

4. Non innitendo in distinctione inter sanguinem nutrimentalem et naturalem, *simpliciter affirmamus*: sanguinem a Verbo immediate assumptum esse. In probatione partis I^ae nostrae theseos tria asserta distinguimus: *a*) *Corpus* animatum immediate a Verbo assumptum est seu partes essentiales humanitatis secundum hypostasim Verbo uniuntur. *b*) Pariter immediate assumptae sunt a Verbo *partes integrantes* naturae humanae Christi. *c*) Etiam *sanguis* directe hypostasi divinae unitus est.

Probatur pars I^a thesis.

Assertum 1: Corpus animatum a Verbo immediate assumptum est.

Arg. 1. (E Prologo S. Ioan.). S. Ioanne teste, *Verbum caro factum est. Atqui* Verbum non esset caro factum, nisi corpus animatum (seu caro) immediate ab hypostasi Verbi esset terminatum. *Ergo* corpus animatum immediate est a Verbo assumptum.

Prob. Min. Si Verbum, exempli gratia, non corpori sed animae tantum immediate uniretur; Verbum *caro factum* dici non posset. Verbum *caro factum* unice in suppositione immediatae assumptionis carnis ad hypostasim Verbi affirmari potest. Ergo caro ita est assumpta ab hypostasi Verbi.

Arg. 2. (E Symbolis Fidei). Secundum symbola fidei *Filius Dei, Deus sepultus est. Atqui* Filius Dei, Deus nullomodo sepultus dici posset, nisi corpus Christi immediate ab hypostasi Filii Dei assumptum et secundum hypostasim Verbo unitum esset. *Ergo* corpus Christi ita est a Verbo Dei assumptum.

Prob. Min. Post mortem Christi in cruce anima humana a corpore Iesu separata erat, ad inferos descendit; nisi ergo cor-

pus Christi per se et directe ab hypostasi Verbi assumptum fuisset, corpus exanime in sepulchro conditum, Filius Dei, Deus sepultus dici numquam posset.

Arg. 3. (E ratione theologica). Secundum constantem traditionis catholicae doctrinam Verbum non analogice sed *univoce*, ut alii homines, *est homo*. *Atqui* Verbum homo univoce non esset, nisi per ipsam hypostasim Verbi corpus humanum terminatum, et ad ipsam personam divinam directe assumptum fuisset. *Ergo* corpus humanum ita a Verbo assumptum est.

Prob. Min. Homo enim *per corpus animatum* anima rationali specifice in ratione hominis constituitur. Ad rem S. *Thomas*, q. 2, a. 5; Christus dicitur homo univoce cum aliis hominibus, utpote eiusdem speciei existens, secundum illud Apostoli: *In similitudinem hominum factus*: pertinet autem ad rationem speciei humanae, quod anima corpori uniatur; non enim forma constituit speciem, nisi per hoc quod sit actus materiae et hoc est, ad quod generatio terminatur, per quam natura speciem intendit.

Assertum 2: Verbum secundum hypostasim univit sibi partes integrantes naturae humanae.

Arg. (E Definitionibus). Verbo Dei secundum hypostasim unita est integra et perfecta humanitas. *Atqui* integra perfectaque humanitas Verbo secundum hypostasim uniri nequit, quin et partes integrantes directe per hypostasim Verbi sustententur et terminentur. *Ergo* et partes integrantes humanae naturae secundum hypostasim unitae sunt Verbo Dei.

Ad Mai. Integram perfectamque humanam naturam in Christo Iesu esse, e definitionibus pag. 61 allatis liquet. Pluries definitum est *naturam* humanam Verbo secundum hypostasim unitam esse. *DB*. 114, 216. Cfr. pg. 87, 88. *Ergo* integra et perfecta natura humana secundum hypostasim Verbi divinitati iuncta est.

Ad Min. Humanitas integra et perfecta sine partibus inte-

grantibus neque esse neque concipi potest. *Ergo* si integra perfectaque humanitas immediate divinae hypostasi unita est, ita pariter unitae sunt omnes partes integrantes et perfectivae naturae humanae.

Assertum 3; Sanguis quoque ab hypostasi Verbi immediate assumptus est.

Arg. 1. (E S. Scripturis). In Libris sacris sanguis Christi dicitur esse sanguis Filii Dei; huic sanguini pretium infiniti valoris, remissio peccatorum, nostra redemptio et virtus supernaturaliter vivificandi tribuitur. *Atqui* si sanguis Christi per se immediate ab ipsa hypostasi divina assumptus non esset; Filii Dei sanguis appellari; eique infinitus valor, nostra redemptio, remissio peccatorum, vis supernaturaliter vivificandi tribui non posset. *Ergo* sanguis Christi per se immediate cum hypostasi Verbi unitus est.

Prob. mai. I Ioan. 1, 7; *Sanguis Iesu Christi, Filii eius, emundat nos ab omni peccato. I. Petr.* 1, 19; *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis: sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi. Hebr.* 9, 12-14; *Christus neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulae aspersus iniquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi? Ephes.* 1, 7; *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum. Rom.* 5, 9; *Multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Ioan.* 6, 53, 54; *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam.*

Ad Min. Sicut corpus Christi vocatur corpus Dei, corpus Filii Dei propter immediatam unionem cum hypostasi Verbi; ita pariter propter talem unionem, sanguis Christi, sanguis Filii Dei

appellatur. *Clemens* VI infinitum valorem sanguini tribuit propter unionem ad Verbum. « Unigenitus, inquit, pretioso sanguine nos redemit, quem in ara crucis immolatus, non guttam modicam, quae tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione generis humani suffecisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse » *DB*. 550.

Arg. 2. (E ratione theologica). Quidquid ad integritatem humani corporis pertinet, immediate a Verbo assumptum est. *Atqui* sanguis ad integritatem corporis humani pertinet. *Ergo* sanguis immediate a persona Verbi assumptus est.

Prob. min. a) Si Verbum sua divina hypostasi non terminasset sanguinem Iesu Christi. Verbum *per concomitantiam non esset sub speciebus eucharisticis vini. Atqui* Verbum per concomitantiam est sub speciebus eucharisticis vini. *Ergo* Verbum immediate ad suam divinam hypostasim assumpsit sanguinem.

Ad Mai. Id per concomitantiam est sub speciebus eucharisticis, quod realiter et substantialiter unitur cum termino primario consecrationis. *Atqui* si Verbum non assumpsisset immediate ad suam hypostasim etiam sanguinem, non uniretur substantialiter cum sanguine, qui est terminus primarius consecrationis calicis. *Ergo* Verbum non esset per concomitantiam sub speciebus vini.

Ad Min. Trid. ses. 13, c. 3. Semper haec fides in ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus verumque eius sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere: sed *corpus* quidem sub specie panis et *sanguinem* sub specie vini ex vi verborum, ipsum autem corpus sub specie vini et sanguinem sub specie panis animamque sub utraque vi naturalis illius connexionis et concomitantiae, qua *partes* Christi Domini inter se copulantur, *divinitatem* porro propter admirabilem illam eius cum corpore et anima hypostaticam unionem. *DB*. 876.

Prob. min. b) Sanguinem ad integritatem corporis humani pertinere, experientia quotidiana invicte probat; nam corpus exsangue cadaver est, sine sanguine corpus humanum evolvi non potest. *Ergo* sanguis sine dubio est pars integrans corporis humani.

Explicatur et probatur pars IIª thesis.

Durationem unionis hypostaticae quod attinet, *tria asserimus*: *a*) Unionem hypostaticam cum momento virginalis conceptionis coincidere. *b*) Unionem hypostaticam ininterruptam etiam ipso triduo mortis fuisse. *c*) Unionem humanitatis cum Verbo indissolubilem atque aeternam esse.

Primo asserimus: humanam naturam Christi Verbo Dei in conceptione virginali unitam fuisse. Verbum ergo non coniunxit se alicui animae praeexistenti; nec accessit ad carnem humanam formatam et animatam intellectualiter; sed foetus humanus Christi anima rationali *simul* animatus et *simul* hypostasi Verbi unitus est; seu Verbum simultanee quoad tempus assumpsit animam et corpus.

Huic asserto contradicebant: Origenes et Origenistae (1), qui Verbum divinum animam praeexistentem assumpsisse et cum corpore pariter praeexistente unionem hypostaticam obtinuisse, fabulabantur. Diodorus Tarsensis et Theodorus Mopsuestenus unionis hypostaticae momentum usque ad baptismum Iesu in Iordane flumine relegarunt (2).

Secundo affirmamus: unionem hypostaticam ininterruptam fuisse; Verbum scl. assumptam humanitatem, ne quidem in triduo suae mortis, dereliquit. Nonnulli Patres, ut puta: *Athanasius* (*De Incarn.*, 22, MG. 25, 136), *Epiphanius* (*Haer.*, 20, 2. MG. 41, 276; *Haer.* 69, 62, MG. 42, 305, 308), *Hilarius* (*In Mth.*, 33, 6, ML. 9, 1074, 1075), *Ambrosius* (*In Lc.*, 10, 127, ML. 15, 1835, 1836) asserunt: divinitatem in passione separatam fuisse a Christo. At haec « *separatio* » prout contextus indicat, de *subtractione* specialis assistentiae atque protectionis, specialisque sensus complacentiae et amicitiae divinae intelligi potest. Non ergo hi S. Patres aliquam interruptionem in ipsa unione hypostatica ad-

---

(1) Cfr. Origenes, *Periarchon*, I, 7, 4. 5; II, 6; D'Alès, *Origénisme*. DAFC. 3, 1241 seq.

(2) Cfr. *DB*. 224; *RJ*. 1113.

mittunt; docent enim indubie: totum valorem passionis Christi in unione hypostatica humanitatis cum Verbo inniti (1).

Tertio affirmanus: (contra *Marcellum Ancyranum* et *Photinum Sirmiensem*) unionem hypostaticam aeternam atque perpetuam fore. Adversarios huius asserti S. Ioannes Damascenus « *Christolytas* » appellavit, « qui Dominum nostrum Iesum Christum aiunt, posteaquam surrexit a mortuis, relicto in terra animato corpore, nuda solaque deitate ad caelos ascendisse » (2).

PROBATUR PARS II^a THESIS.

Assertum 1: Verbum assumpsit humanam naturam a momento virginalis conceptionis.

ARG. 1. (E DEFINITIONIBUS ET SYMBOLIS). *Can. adversus Originem, Can.* 2 et 3. Si quis dicit aut sentit, Domini animam prius extitisse atque unitam fuisse Deo Verbo ante incarnationem et generationem ex Virgine, A. S. Si quis dicit aut sentit, primum formatum esse corpus Domini nostri Iesu Christi in utero beatae Virginis ac postea unitum ei esse Deum Verbum et animam, utpote quae ante fuisset, A. S. *DB* 204. 205 (3).

Ep. Synodica S. Sophronii recepta a Conc. Conspt. III. Incarnatur igitur Verbum et Deus, nostram naturam accipiens, non ita, ut se coniungeret cum carne prius facta, vel cum prius formata et secundum se subsistente se uniret, vel cum anima praeexistente coniungeretur; sed ita, ut haec tum ad existentiam veniret, cum Verbum et Deus cum iis coniungeretur, et *sic unio simultanea* esset cum existentia et *non ante* verissimam cum Verbo *unionem* per seipsa umquam extiterint vel

---

(1) Cfr. LEBON, *Une ancienne opinion sur la condicion du Christ dans la mort.* « Rev. d'hist. éccl. » 1927, pag. 5-42; 209-242.

(2) Cfr. S. IOAN. DAMASC., *De Haeres Liber*, 93, MG. 94, 758 C.

(3) Hos canones, quos « *Synodus Endemusa* » sub Menna (a. 543) edidit, Summus Pontifex *Vigilius* († 555) confirmasse videtur. Cfr. CASSIODORUS, *De Inst. Div.*, 2. MG. 70, 1111.

cuiusquam ex nobis hominis alterius propria omnino fuerint; sed simul cum physica unione cum Verbo haberent existentiam, neque hanc ictu oculi prius haberent quam illam. Simul enim caro, simul Dei Verbi caro; simul caro animata rationalis, simul Dei Verbi caro animata rationalis, quia in ipso et non secundum se habebat existentiam. Nam simul cum conceptu Verbi haec producta sunt cum eo secundum subsistentiam statim, cum producta sunt ad coëxistentiam, quae est vera et inseparabilis, neque admittit divisionem, neque mutabilitatem, neque confusionem. Ab ipso producta sunt et in ipso subsistunt et cum ipso coniuncta sunt, neque ullo tempore totalitatem propriae consistentiae, τὸ σύνολον τῆς οἰκείας συστάσεως, habuerunt ante illam cum ipso coniunctionem inconfusam et inseparabilem ([1]).

Conc Tolet. XI. In quo mirabili conceptu, aedificante sibi Sapientia domum; *Verbum caro factum est et habitavit in nobis,* (*Ioan.* 1, 14). *DB.* 283.

Secundum *Symbola fidei* Filius Dei conceptus est a Maria Virgine. *DB.* 6, 19. *Atqui* Filius Dei non esset conceptus a Maria Virgine, sed homo Iesus, si in ipso conceptionis momento Verbum foetui humano non uniretur. *Ergo* in ipso momento conceptionis virginalis Verbum unitum est cum animato humano foetu.

Arg. 2. (E doctrina S. Pauli). Docente Paulo Filius Dei factus est « *ex semine David secundum carnem* » (*Rom.* 1, 3). *Atqui* Filius Dei ex semine David, (proprie loquendo), factus non esset, nisi in ipso conceptionis momento Verbum carnem assumpsisset. Nam, secus, non Filius Dei, sed homo-Iesus ex semine David factus esset. *Ergo* Verbum Dei in ipso conceptionis momento carnem humanam assumpsit.

Arg. 3. (E Patribus).

Ps-Athanasius, *C. Apollin.* 1, 4. Carnis cum Verbi divinitate coniunctio *ex utero* facta est, inde enim ipsi Verbum, cum a caelo advenisset, ori-

---

([1]) Cfr. Mansi. Op. Cit., 11, 461. Versio latina est P. Pesch, Op. Cit., pg. 103, n. 153.

ginem dedit, quippe quae non erat antequam Verbum adveniret aut ante deiparam Mariam. *RJ.* 796.

S. Greg. Naz., *Ep. 101, ad Cledon.* Si quis formatum hominem fuisse. Deumque *postea subintrasse* dicat, damnabilis est; hoc enim non Dei generatio est, sed generationis fuga. *RJ.* 1017.

S. Cyril. Alex., *Adv. nolentes confiteri Deigenitr.* 4. Non enim simplex homo aliquando fuit Iesus ante Dei cum ipso communionem et adunationem; sed idem Verbum, in ipsam beatam Virginem veniens, proprium sibi templum ex Virginis substantia sumpsit, prodiitque ex ea homo. *RJ.* 2133. *Ep. 4 ad Nestor.* Non primo vulgaris quispiam homo ex Virgine ortus est, in quem Dei Verbum deinde sese demiserit, sed *in ipso utero* carni unitum, ἀλλ' ἐξ αὐτῆς μήτρας ἑνωθείς. MG. 77, 46 D.

S. Vincentius Lirin, *Commonit.*, 15. Haec in Christo personae unitas nequaquam post Virginis partum, sed *in ipso utero* compacta atque perfecta est. (Maria Deigenitrix) ideo potius, quoniam, ut supra dictum est, *iam in eius sacrato utero* sacrosanctum illud mysterium perpetratum est, quod propter singularem quandam atque unicam personae unitatem, sicut Verbum in carne caro, ita homo in Deo Deus est. *RJ.* 2171.

S. Leo M., *Ep.* 35, 3 *ad Iulian.* Arbitror talia loquentem hoc habere persuasum, quod *anima*, quam Salvator assumpsit, *prius in caelis sit commorata*, quam de Maria Virgine nasceretur, eamque sibi Verbum in utero copularet. Sed hoc catholicae mentes auresque non tolerant: quia nihil secum Dominus de caelo veniens nostrae condicionis exhibuit; *nec animam* enim, quae anterior extitisset, *nec carnem*, quae non materni corporis esset, accepit. Natura quippe nostra non sic assumpta est, ut prius creata, post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur. ML. 54, 807 C.

S. Fulgentius, *Ad Trasimund.*, 3, 16. Ab ipso conceptionis virginalis exordio sic in Christo personalis unitas mansit et utriusque naturae inconfusa veritas perduravit, ut *nec* Deus *a suscepto posset homine separari*, nec tamen Deus hominem consumeret, nec homo Deum in aliquo permutaret; et licet in Christi morte carnem morientem fuisset anima desertura, *divinitas* tamen Christi *nec ab anima nec a carne posset separari* suscepta. *RJ.* 2248.

S. Gregorius M., *Ep. ad ep. Hiber.* Non prius in utero Virginis caro concepta est et postmodum divinitas venit in carnem; sed mox, *ut Verbum venit in uterum*, mox Verbum, servata propriae virtute naturae, *factum est caro.* Nec ante conceptus et postmodum unctus est; sed hoc ipsum de Spiritu Sancto ex carne Virginis concipi a Sancto Spiritu ungi fuit. *DB.* 250.

Arg. 4. (E ratione theologica). *a*) Si *non simultanee* anima et corpus Verbo coniungerentur; et anima et corpus unioni hy-

postaticae praeexisterent; proindeque anima et corpus ante unionem personalitate propria gauderent. Haec vero humana personalitas vel *destrui deberet,* quod absonum est; vel unio hypostatica *ad hominem* praeexistentem fieret, quod Nestorianum est.

b) Animae singulae humanae creantur, dum corporibus infunduntur. (*DB*. 738). Si ergo anima Christi prius crearetur, quam corpori infunderetur, eadem *specifice*, quam aliae animae humanae, dici non posset. *Atqui* consequens absurdum. *Ergo* et antecedens. Natura humana ab anima speciem sumit. Porro specifice differunt formae, quarum una corpus informat, dum alia subsistit, *non informando* corpus. Si igitur anima Christi prius iam existeret, quam corpori infunderetur, eiusdem speciei, quam aliae animae humanae, dici non posset.

Nota: Accurate quaedam distinguere oportet, ut recte hoc 1um assertum 2ae partis intellegatur.

1° Eodem instanti temporis, una eademque actione, (ex parte Dei, *active* spectata), creatur anima Christi et unio hypostatica seu unitio divinitatis cum humanitate in persona Verbi perficitur. Actio haec toti SS. Trinitati communis est. Haec una eademque actio incarnativa, si *passive* et *terminative* consideratur; triplex evadit. Per *creationem* anima Christi e nihilo producitur; per *conceptionem* virginalem anima cum corpore in utero Virginis coniungitur. Per *assumptionem* (seu unitionem) corpus anima vivificatum ad hypostasim divinam Verbi trahitur eique hypostatice unitur ([1]).

2° Quoad momentum conceptionis et infusionis animae rationalis alia fuit opinio Veterum Scholasticorum alia vero est sententia Neo-Scholasticorum. Veteres putabant: *conceptionem* foetus tempore *praecedere*, infusionem vero animae rationalis multo posteriorem esse. Aetate enim S. Thomae praevalebat opinio; animam non infundi, nisi quando foetus iam sat evolutus, figuram organicam humanam acquisivit;

([1]) Plura si vis, Cfr. apud Gonet, *Clypeus*, Disp. 6, a. 4; Billuart, Op. Cit., Dis. 4, a. 3; Hugon, q. 2, a. 3, pag. 360.

ante hoc tempus succedebant sibi principia vitae vegetativae et sensitivae, quorum singula, accedente principio superiore, expellebantur. In evolutione foetus humani Christi successio formarum locum non habuit propter duas rationes: « *primo* quidem inquit S. *Thomas*, q. 33, a. 1, *propter virtutem agentis infinitam*, scl. Spiritus Sancti, per quem corpus Christi est formatum; tanto enim aliquod agens citius potest materiam disponere, quanto maioris virtutis est: unde agens infinitae virtutis potest in instanti materiam disponere ad debitam formam; *secundo* ex parte personae Filii, cuius corpus formabatur; *non* enim *erat congruum, ut corpus humanum assumeret, nisi formatum*; si autem ante formationem perfectam aliquod tempus conceptionis praecessisset, non posset tota conceptio attribui Filio Dei, quae non attribuitur ei nisi ratione assumptionis; et ideo *in primo instanti*, quo materia adunata pervenit ad locum generationis, fuit perfecte formatum corpus Christi et assumptum ».

Neo-Scholastici censent: foetum humanum ab initio conceptionis anima rationali informari et animari. Miraculum conceptionis virginalis Christi in eo consistit, quod ovulum maternum ex seipso evolutionis incapax, per omnipotentiam Dei foecundatum ac evolutionis naturalis capax redditum est. Cum foetus animabatur per animam e nihilo productam, Verbum simul sese eidem hypostatice coniunxit. Foetus animatus in ipso instanti conceptionis Verbo unitus naturaliter in purissimis visceribus Virginis Matris per novem menses evolvebatur; novemque decursis mensibus, Christus virginaliter natus est ([1]).

Assertum 2: Humanam naturam Verbum numquam dimisit, ne quidem in triduo mortis.

Arg. 1. (E concilis et symbolis). *a*) Secundum doctrinam conciliorum Filius Dei subsistit in duabus naturis indivise, ἀδιαιρέτως, et inseparabiliter, ἀχωρίστως. *DB*. 283, 288. 290. Si igitur naturae in Christo indivisibiliter et insepara-

([1]) Cfr. Breitung, *De conceptione Christi Domini inquisitio physiologico-theologica*, « Gregorianum » 1924, pg. 391-424; 531-569.

biliter uniuntur, a fortiori Verbum numquam sese ab humanitate separavit.

b) Ne quidem in triduo mortis separata est humanitas a Verbo. In symbolis fidei profitemur: Filium Dei sepultum fuisse, animamque eius ad inferos descendisse. *DB.* 6, 20, 40. *Atqui* Filius Dei non fuisset sepultus, ad inferos non descendisset, si in hoc triduo hypostasis Verbi vel ab anima vel ab emortuo corpore se separasset. *Ergo* ne tunc quidem separatum erat Verbum ab humana natura Christi.

Arg. 2. (E doctrina Patrum).

Ps. Athanasius, *C. Apollin.*, 2, 16. Si Verbum excessit a corpore atque ita mors obvenit, adversus Deum Iudaei invaluerunt, cum indissolubilem commixtionem solverint. *RJ.* 800.

S. Greg. Nys., *Or. de res. Christi 1.* Deus, qui totum hominem per suam cum illo coniunctionem in naturam divinam mutaverat, mortis tempore *a neutra* illius, quem semel assumpserat, *recessit* parte. Numquam enim illum suorum munerum poenitet. *Divinitas* ergo voluntate quidem animam a corpore disiunxit, sed *utroque* se manere demonstravit. MG. 46, 618.

S. Augustinus, Ep. 187, 3, 7. Homo Christus illo die secundum carnem in sepulchro, secundum animam in inferno futurus erat: *Deus* vero idem ipse *Christus* ubique semper est. ML. 33, 834.

S. Leo *M.*, *Sermo* 68, 1. In tantam unitatem Dei et hominis natura convenit, ut nec supplicio mortis potuerit, *nec morte seiungi.* ML. 54, 373; *Sermo,* 71, 2. Resurrectio Salvatoris nec animam in inferno nec carnem diu morata est in sepulchro; et tam velox incorruptae carnis vivificatio fuit, ut maior ibi esset soporis similitudo quam mortis; *quoniam deitas, quae ab utraque suscepti hominis substantia non recessit,* quod potestate divisit, potestate coniunxit. *RJ.* 2210.

S. Ioan. Damasc., *De Fide Orth.*, 3, 27. Quamvis igitur Christus mortem ut homo obierit, sanctaque ipsius anima ab immaculato corpore distracta sit, *divinitas* tamen *a neutro,* hoc est, nec ab anima, nec a corpore, quoquomodo *seiuncta* est. MG. 94, 1098.

Arg. 3. (E ratione convenientiae). Indicat eam *S. Thomas*, q. 50, a. 2. *Sine poenitentia sunt dona Dei.* Multo autem maior est gratia unionis, per quam divinitas unita est carni Christi in persona, quam gratia adoptionis, per quam alii sanctificantur; et etiam magis permanens ex sui ratione; quia haec

gratia ordinatur ad unionem personalem, gratia autem adoptionis ad quandam unionem affectualem: et tamen videmus, quod *gratia adoptionis numquam perditur sine culpa*: cum igitur in Christo nullum fuerit peccatum, impossibile fuit, quod solveretur unio divinitatis a carne ipsius: et ideo, sicut ante mortem caro Christi unita fuit secundum personam et hypostasim Verbo Dei, ita et remansit unita post mortem, ut scl. non esset alia hypostasis Verbi Dei et carnis post mortem.

Assertum 3: Unio hypostatica est perpetua.

Arg. 1. (E definitionibus). *a*) *Canon. adv. Origenem, Can.* 10. Si quis dixerit, Domini corpus post resurrectionem fuisse aethereum et figura sphaerica: et quod, ipso Domino primum deponente proprium suum corpus, et omnibus similiter, adibit in nihilum natura corporum, A. S. *Denzinger*, 196 (ed. vetus).

b) Secundum concilia: *Chalcedonense, Toletanum XI, Romanum* (sub Agathone), *Constantinopolitanum III* (Cfr. *DB.* 148, 283, 288, 290) est inseparabilis et indivisibilis unio humanitatis et divinitatis in persona Verbi: ergo est perpetua.

Arg. 2. (E S. Scripturis). S. Litterae testantur Christum in aeternum permansurum esse. *Atqui* sine unione hypostatica perpetua *Christus* in aeternum non permaneret. *Ergo* ipsa unio hypostatica est perpetua.

Prob. Mai. Lc. 1, 33. 34; *Et regnabit in domo Iacob in aeternum et regni eius non erit finis. Hebr.* 7, 24; (Iesus Christus) *eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium. Hebr.* 13, 8. *Iesus Christus heri, et hodie: ipse et in saecula.*

Arg. 3. (E doctrina Patrum).

S. Irenaeus, *Adv. Haer.*, 3, 16, 9. Si alter quidem passus est, alter autem impassibilis mansit; et alter quidem natus est, alter vero in eum,

qui natus est. descendit et *rursus reliquit eum*; non unus, sed duo monstrantur. Nolite errare; unus et idem est Christus Iesus, Filius Dei, qui est in dextra Patris et perfectus in omnibus. *RJ.* 218.

Ps. Athanasius, *C. Apollin.*, 1, 12. Caro... propria illi secundum naturam, κατὰ φύσιν facta et indivisibilis propter unionem, ex semine David. *RJ.* 797, Cfr. 799.

Leporius, *Lib. emendat.*, 3 et 6. Confitentes utramque substantiam Deum atque hominem inseparabilem pia fidei credulitate suscipimus... Credamus unicum Filium Dei non temporarium sed aeternum, pro nobis omnia secundum carnem fuisse perpessum. *RJ.* 2048, 2049.

S. Cyril. Alex., *Quod unus sit Christus.* At quomodo ex duobus, divinitate nimirum et humanitate, unus censeatur Christus? Non alio modo censuerim, quam quo duae res inter se coëunt unione inseparabili atque intellectum superante ut dixi. *RJ.* 2134.

S. Leo *M.*, Sermo 30, 6. In nullo dividentes visibilem ab invisibili, corporeum ab incorporeo, passibilem ab impassibili, palpabilem ab impalpabili, formam servi a forma Dei; quia, etsi unum maneat ab aeternitate, aliud coepit a tempore; quae tamen in unitatem convenerunt, nec separationem possunt habere nec finem. *RJ.* 2199.

Schol. 1. Utrum secundum aliquem ordinem natura humana assumpta sit.

Varius ordo distinguitur: temporis et naturae, dignitatis et efficientiae, intentionis et executionis. Hos varios ordines transcurrendo, quaeremus. quomodo natura humana eiusque partes assumptae sint?

1° Ordinem temporis, si spectamus, eodem momento seu *simultanee* tota natura humana eiusque partes: anima et corpus assumpta sunt: non prius caro Christi ad Verbum tracta. quam animae unita fuit; neque prius anima Verbo unita, quam corpori coniuncta fuit. (Cfr. S. *Th.*, 3 P., q. 6. a. 3 et 4).

2° Ordinem naturae si consideras; Verbum assumpsit carnem *mediante* anima seu ratione animae, quatenus corpus per animam informatur et vivificatur et humana caro fit. Caro enim humana nonnisi per animam qua formam in specie carnis humanae constituitur. Assertum: « *Verbum assumpsit naturam humanam* mediante anima », dupliciter intelligi potest.

Illa nimirum « *mediatio* » vel in ordine dignitatis vel causalitatis attenditur.

3° In ordine dignitatis minus perfectum mediante perfectiori assumitur. Quia vero anima procul dubio corpore perfectior est, ideo *mediante anima* i. e. anima quasi media, inter Verbum et corpus intercedente, humanitas ad Verbum tracta, a Verbo assumpta fuit.

4° In ordine causalitatis, ut innui, corpus mediante anima a Verbo assumitur. Maxime enim assumptibile est corpus humanum. Porro corpus *humanum* est per animam rationalem. Ergo in ordine causalitatis corpus mediante anima assumitur. Verum equidem Deus *efficienter* immediate per se res creat et conservat, sed in ordine reditus creaturarum ad Deum, *finaliter*, inferiores creaturae reducuntur ad Deum per superiores. (Cfr. S. *Th.*, q. 6, a. 1).

Sicut carnem mediante anima ita « animam » seu potentias inferiores Filius Dei assumpsit mediante intellectu. Nam in ordine dignitatis intellectus excedit potentias inferiores. In ordine causalitatis potentiae inferiores ad vitam vegetativam et sensitivam exercendam ab anima intellectiva ordinantur et huius vitae exercendae capaces redduntur. (Cfr. S. *Th.*, q. 6, a. 2).

5° In ordine intentionis simpliciter *prius* assumptum fuit *totum* quam partes; nam omne agens intellectuale prius intendit totum quam partes. Quare in ordine intentionis tota humanitas prius Verbo uniri intelligitur et mediante humanitate in hoc ordine intentionis partes assumuntur. In ordine executionis priores sunt partes quam totum. Partes humanitatis revera pedetentim generantur et evolvuntur; adeoque mediantibus partibus totum assumitur. (Cfr. S. *Th.*, q. 6, a. 5).

Schol. 2. De natura assumptibili.

Assumptibile dicitur id, quod *aptum* est, ut ad unionem hypostaticam trahatur; ad unionem dico *hypostaticam* i. e. talem, per quam et assumens et assumptum aliquod unum per se substantiale fierent. Aptum vero potest esse aliquid vel absolu-

te vel relative. *Absoluta* assumptibilitas secundum solam potentiam activam agentis et potentiam passivam assumptibilis consideratur. *Relativa* assumptibilitas ex fine (concrete, ex fine nostrae redemptionis) et ex congruentia atque aptitudine naturae ad hunc finem assumendae derivatur. De assumptibilitate sermonem facturi, varias entis categorias percurremus, investigando; quaenam entia ad *hypostaticam* unitatem, ad unitatem per se substantialem trahi queant seu quid *ita* assumptibile sit; quid vero ad *talem* unionem venire non possit.

A.) Quid non possit hypostatice assumi? 1. Accidens immediate ad subsistentiam divinam assumi nequit. Nam id immediate hypostatice assumptibile est, quod *per se existere et subsistere valet. Atqui* accidens per se existere et subsistere numquam poterit; nam subsistere et accidens esse e regione opponuntur, si igitur accidens ad unionem hypostaticam assumeretur e ratione accidentis excidere et in substantiam transmutari deberet. Accidens ergo immediate assumptibile non est ad unitatem hypostaticam. Alvarez (*De Incarnatione*, q. 4, a. 1, disp. 22), Gonet (*Clypeus*, Disp. 9, a. 3), Ioannes a S. Thoma, (q. 6, a. 3, Disp. 7) putant etiam accidens ad hypostaticam unionem assumi posse. Nam, cum accidens propriam existentiam ab existentia substantiae distinctam habeat, Verbum autem omnem existentiam eminenter supplere possit, non repugnat, ut etiam accidens aliquod immediate ad unitatem cum hypostasi divina trahatur. At in hac argumentatione non satis distinguuntur duo apprime diversa: nempe, absoluta possibilitas supplendi existentiam, ab eminenti suppletione actus accidentalis, qui *accidentalis remanendo* simul *subsistere* et per se existere deberet; quod, ni fallimur, evidentem contradictionem involvit. « Non repugnat quidem, inquit recte *P. Hugon* accidens terminari actu divino, licet repugnet *accidens* fieri *subsistens* » (1).

2. Materia prima inassumptibilis est. Omne enim ad hypostaticam unionem assumptum existentiam substantialem accipit. Existentia autem est ultimus actus. Iamvero ma-

---

(1) Cfr. Hugon, Op. Cit., pg. 395.

teria prima qua pura potentia subiectiva nullum actum nullamque formam in se habet, ideoque *ultimi* actus recipiendi incapax est, cum primo careat. Prius ergo aliqua forma substantiali actuari deberet, ut ad unitatem hypostaticam assumi posset.

3. Natura abstracta, universalis pariter inassumptibilis est. Etenim natura stricte universalis, nonnisi fundamentaliter realis est; formaliter dumtaxat in intellectu sive divino sive humano seu logice tantum existit. Proinde assumptio naturae stricte universalis et consequenter unio cum illa *mere logica* esset. Insuper individuatio essentialiter in rationem formalem constitutivam personae intrat. Natura vero abstracta nullomodo individua est. Ergo natura universalis, abstracta nullomodo ad hypostaticam unionem assumi potest. (Cfr. S. *Th.*, q. 4, a. 4).

4. Personam iam existentem ad unitatem hypostaticam Filius Dei assumere non potuit. Si persona assumeretur, aut personalitas praeexistens destrueretur, aut non destrueretur. Primum non convenit et irrationabile videtur. Secundum impossibile apparet; cum duae personae in unum physice et substantialiter convenire non possint. Natura assumpta cum hypostasi assumente unum per se ens actu constituunt. *Atqui* duae personae, quantumvis unitae, *unum per se ens actu non constituent. Ergo* persona assumptibilis non est ad unionem hypostaticam. (Cfr. S. *Th.*, q. 4, a. 2 et 3).

B.) Assumptibilis est e contra omnis *substantia* creata, *etiam incompleta*, aliquomodo individua, si saltem divinitus, per se (non in alio) existere potest. Quare anima rationalis ad unitatem hypostaticam assumi posset, quia substantia rationalis, absolute loquendo, per se existere, immo et subsistere valet.

Congruenter ad finem incarnationis (qui redemptio hominum est), sola natura, intellectu et voluntate praedita; ad unitatem hypostaticam assumi potuit. Nam satisfacere et mereri dumtaxat natura rationalis, libera valet. (Cfr. S. *Th.*, q. 4, a. 1).

Schol. 3. De persona assumente.

Assumptio duo secum importat: *actionem* unitivam et *terminum* unionis. Assumens est ille, a quo unio aliquomodo efficienter procedit et ad quem natura assumpta trahitur. Assumere proprie *convenit personae*, quia persona significatur ut agens et operans seu subiectum attributionum. *Quaerimus*, quis ad suam hypostasim aliam naturam assumere possit?

1. De fide catholica est: a solo Filio Dei humanitatem hypostatice assumptam esse: solum Verbum, non Patrem, non Spiritum Sanctum carnem humanam hypostatice sibi univisse. Id explicite docent concilia: *Toletanum* VI. (a. 638). Ex his tribus divinitatis personis solum Filium fatemur ad redemptionem humani generis a secreto Patris arcanoque prodiisse. *Toletanum XI*, (a. 675). De his tribus personis solam Filii personam pro liberatione humani generis hominem verum sine peccato, de sancta et immaculata Maria Virgine, credimus assumpsisse. Incarnationem huius Filii Dei tota Trinitas operasse credenda est, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis. Solus tamen Filius *formam servi accepit* (*Phil.* 2, 7) *in singularitate personae*, non in unitate divinae naturae, in id, quod est *proprium* Filii, *non* quod *commune* Trinitati [1].

Hanc veritatem in S. Scripturis revelatam reperimus. In missione incarnativa Filii, de qua S. Scripturae explicite loquuntur, *Pater* exhibetur ut talis, qui *carnem humanam* hypostatice *sibi non univit*, quippe qui gloriam suam non dereliquerit: e contra Filium suum in mundum miserit. Hic vero carnem assumens voluntati Patris obsecundat, Patri satisfacit, iram Patris placat, ad Patris gloriam redit. Quibus implicite dicitur: Patrem hypostatice in mundum non venisse. Unus alterve textus ex multis sufficiat. *Ioan.* 5, 36-38: *Opera, quae dedit mihi Pater, ut perficiam ea: ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me: et qui misit me Pater, ipse testimo-*

---

[1] Cfr. F. Cavallera, *Thesaurus doctrinae catholicae*, Parisiis 1920, n. 724, 731, 732.

nium perhibuit de me, neque vocem eius umquam audistis, neque speciem eius vidistis. Ioan. 7, 28. 29; *Clamabat ergo Iesus in templo docens et dicens: Et me scitis et unde sim scitis et a me ipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis. Ego scio eum, quia ab ipso sum et ipse me misit.* Cfr. *Ioan.* 4, 34; 5, 30; 6, 38; 7, 33; 8, 29; 12, 48; 17, 3; I. *Ioan.* 4, 14; *Galat.* 4, 4. Insuper, incarnatio describitur ut *vera missio* personae Filii in mundum. De ratione autem missionis ad extra est processio ad intra: mitti potest, qui procedit. *Atqui* Pater non procedit ad intra. *Ergo* Pater simul cum Filio non univit sibi hypostatice carnem a Filio assumptam.

Spiritus Sanctus non assumpsit simul cum Filio ad suam hypostasim humanam naturam. Etenim Iesus Christus suam missionem, qua ut homo ad extra fungebatur, opponit futurae, visibili missioni Spiritus Sancti, quae tempore posterior erit, in qua Spiritus Sanctus opus Christi perficiet et Christo testimonium reddet. *Ioan.* 14, 16. 26; 15, 26; 16, 7. *Ergo* Spiritus Sanctus simul cum Filio hypostatice eandem humanitatem non assumpsit.

2. Quo posito, *quaeritur;* quomodo solus Filius incarnatus dicatur, cum Filius, qua verus Deus *in ratione divinitatis* realiter cum Patre et Spiritu Sancto identificetur? Quomodo ergo *solus* Filius incarnatus dici potest, quamvis sub ratione eiusdem numero divinitatis simul cum Patre et Spiritu Sancto re conveniat? Respondemus: mysterium est, sed nulla evidens contradictio.

Nam quamquam divinitas realiter idem est, quod omnes tres personae simul et quaelibet earundem (*Later.* IV. DB. 428), tamen divinitas a relationibus virtualiter differt, personae divinae relationibus constituuntur et relationibus originis mutuo, invicem realiter distinguuntur. Quae cum ita sint, licet *positive* explicare non valeamus; quomodo una *tantum* persona divina humanitatem ad suam hypostasim assumat, quin aliae divinae personae cum eadem humanitate hypostatice uniantur, etsi hae hypostases cum persona assumente in deitate re identificentur; nihilominus *negative* ostendimus: contradictionem nullam hic adesse. Affirmatur unice solum Filium carnem sibi hypostaticé co-

pulasse. Negatur Patrem et Spiritum Sanctum *hypostatice* cum eadem carne uniri. Affirmatur et creditur realis identitas trium personarum in eadem numero *divinitate;* distinctio vero realis earundem secundum *relationes* originis propugnatur. Iam vero Filius Dei non secundum divinitatem, *non in ratione divinitatis*, sed secundum hypostasim carnem humanam sibi univit. Porro secundum hypostasim a Patre et Spiritu Sancto Filius realiter distinguitur. *Ergo*, quamvis cum Patre et Spiritu Sancto *in deitate* re conveniat, tamen non in deitate et non secundum divinitatem Filius cum humanitate hypostatice unitur, verum in eo, in quo a Patre et Spiritu Sancto realiter distinguitur. Non in eodem igitur cum humanitate Filius hypostatice coniungitur, in quo cum Patre et Spiritu Sancto realiter identificatur. Secundum eam enim rationem humanitatem assumpsit, secundum quam a Patre et Spiritu Sancto distinctus est.

Praeterea, incarnatio (unitio, assumptio) active spectata *Filio exclusive* convenit. Nunc autem, subsumimus cum *P. Billot*, nihil impedit, quominus una persona sine alia *terminet* unionem, quia terminatio non dicit causalitatem efficientem, sed reducitur ad causam formalem, quae sola communicatione sui praestat, quod praestare debet. « Hinc, quidquid actionis importatur in verbo *assumere*, totum necesse est attribuere tribus. Sed *terminus* unionis non est nisi persona Filii, eo quod per operationem divinam communicatur humanitas uni tantum e tribus, qui in natura divina distincte subsistunt. Cum igitur assumptio non solam importet uniendi actionem, sed indivisim consignificet terminum, ad quem unio fit; hinc est quod solus Filius dicendus est humanam naturam assumpsisse, non autem Pater, nec Spiritus Sanctus » (1).

Dices: Si assumptio terminatur ad unam dumtaxat personam divinam Filii, humanitas non potest Verbo Dei uniri in illo, quod tribus personis divinis commune est. *Atqui* humanitas secundum explicationem a nobis propositam unitur Verbo Dei secundum esse, quod Trinitati commune est. *Ergo* secundum

(1) Cfr. Billot, Op. Cit., pg. 178, 179 et S. Thomae, q. 3, a. 4.

explicationem a nobis propositam vel tota Trinitas incarnata est, vel humanitas non est unita Verbo Dei secundum esse.

Resp. C. mai. Dist. min. Humanitas unitur Verbo Dei in esse divino absolute spectato, *N. min.* In esse divino relative habito a Filio Dei, *C. min.* Similiter distinguo consequens. Esse divinum *qua absolutum* est commune Trinitati: esse vero *prout relative habetur* ab aliqua persona, *formaliter*, ut relative habitum, non est commune toti Trinitati.

Instabis: Existentia in divinis non minus communis est quam natura divina. *Atqui* cum divinitate, etiam incommunicabili modo habita, humanitas substantialiter uniri non posset. *Ergo* pariter cum existentia modo relativo et incommunicabili habita, humanitas substantialiter uniri non potest.

Resp. C. mai. Dist. min. Et ratio possibilitatis vel impossibilitatis adunandi in communi natura humanam naturam cum natura divina est praecise *incommunicabilis modus habendi* hanc naturam divinam, *N. min.* Ratio impossibilitatis unionis substantialis divinae naturae cum humana est impossibilitas ut e divinitate et humanitate efformetur aliqua nova natura; vel impossibilitas conversionis humanitatis in divinitatem, sive divinitas absolute consideratur sive incommunicabili modo habetur, *C. min.* Adeoque *consequens negatur propter disparitatem.* Unio divinitatis et humanitatis *in natura* impossibilis est ideo. quod unio in natura mutationem terminorum unionis praerequirit et absolute importat. *Atqui* divinitas nulli prorsus mutationi intrinsecae obnoxia est. Proinde divinitas, etiam incommunicabili modo habita, qua natura divina et sub ratione naturae in unum substantiale cum humanitate uniri non posset. Unio vero humanitatis cum divinitate *secundum personale esse* Verbi hanc absurdam mutationem non importat, quia esse existentiae, qua tale, dat rei consistentiam extra causas et utramque naturam in linea substantiae et naturae immutatam supponit et relinquit. Cum vero esse divinum proprio et incommunicabili modo sit in quavis trium personarum, nulla evidens apparet repugnantia, ut humanitas per personale esse Verbi existat et non existat hypostatice per esse personale Patris vel Spi-

ritus Sancti. Certe relatio personalis non efficit hoc, ut esse vel natura Filii *realiter* non sit natura vel esse tum Patris tum Spiritus Sancti; sed tamen *relatio originis efficit hoc*, ut hoc ipsum (realiter) esse et haec ipsa (realiter) natura eo incommunicabili modo habeatur a Filio, *quo non habetur a Patre*. Et consequenter efficit et hoc, ut humanitas unita Filio secundum personale esse Filii non sit hypostatice unita Patri secundum personale esse Patris.

Sane vero in quacumque explicatione catholica, ut rectissime animadvertit *Billot*, eadem est difficultas quoad incarnationem unius personae prae alia et quisquis putat: specialem ex hoc capite inveniri arduitatem in doctrina S. Thomae, iste conditionem divinorum non satis assequitur. Quid enim, quaeso, dicere iuvat unionem incarnationis terminari ad relationem personalem Filii, in quantum est relatio? An forte asseres cum Porretanis, relationes esse assistentes et distingui realiter ab essentia? Profecto oportet ponere secundum fidem, ipsas esse realiter idem cum esse sive substantia absoluta; quin immo, relationes *qua reales*, formalissime includunt hanc identitatem. Quare, vel incarnatio est fictitia, vel fatearis necesse est unionem realiter terminari ad ipsum esse divinum. Nunc autem; qui fieri possit, ut natura humana realiter unita esse divino, non eo ipso uniatur tribus personis, quarum est unum esse; eodem semper respondendum est, nec alia est responsio excogitabilis praeter eam, quae fuit assignata. Quippe inter nos et adversarios catholicos controversia non est circa id, cum quo, unitur humanitas, sed magis circa id, secundum quod personalis unio perfici dicenda est. Cum autem inquiritur de incarnatione unius personae sine alia, nihil refert haec consideratio, sed solum illa prior, in qua nulla est vel esse potest (inter catholicos) differentia [1].

3. Persona creata non potest ad suam personalitatem trahere aliam naturam. Omnis enim personalitas creata vel creabilis finita est. Sed personalitas finita non potest sua personali-

---

[1] Cfr. Billot, *Op. Cit.*, p. 183.

tate aliam naturam terminare. Nulla enim creatura potestatem habet supra ipsum esse. Insuper subsistentia creata commensuratur naturae, a natura speciem induit. Quia vero omnis natura creata vel creabilis finita est: similiter omnis subsistentia creata finita erit. E contrario: subsistentia divina, quae nullo genere et nulla specie clauditur, omnem naturam finitam sustentare valet; adeoque per nullam naturam creatam infinita virtus subsistentiae divinae exhaurietur.

4. *Praecisione facta a personis divinis,* Deus verus (qui est trinus in personis) naturam humanam hypostatice sibi unire potest. Nam praecisione facta a personis divinis, Deus verus semper ut *aliquid subsistens* in natura divina considerabitur. Porro Deus, qua aliquid subsistens in natura divina, humanitatem ad se trahere valet. « Quia in divinis, inquit Doctor Angelicus, idem est quo est et quod est; *quidquid* eorum, quae attribuuntur Deo in abstracto, *secundum se consideratur,* aliis circumscriptis, erit aliquid subsistens et per consequens persona, cum sit in natura intellectuali; sicut igitur nunc, positis proprietatibus personalibus, in Deo dicimus tres personas: ita, exclusis per intellectum proprietatibus personalibus, remanebit in consideratione nostra *natura divina ut subsistens* et ut persona: et per hunc modum potest intelligi, quod assumat naturam humanam ratione suae subsistentiae vel personalitatis... Dicendum, quod etiam circumscriptis per intellectum personalitatibus trium personarum, *remanebit in intellectu una personalitas Dei, ut Iudaei intelligunt;* ad quam poterit terminari assumptio, sicut nunc dicimus eam terminari ad personam Verbi ». (*S. Th.*, q. 3, a. 3 ad 1 et 2).

5. Quaelibet persona divina potest assumere et hypostatice cum natura humana uniri. Personae divinae etenim in infinita potentia coaequales sunt. Quidquid igitur valet Filius, potest quoque Pater. Sed Filius incarnari potuit, quia revera carnem assumpsit. Ergo pariter et Pater. In argumentatione prorsus *abstrahimus* a facto, quod Filius Dei non solum incarnatus, verum etiam ad extra in carne humana missus a

Patre fuerat. Si ergo incarnatio, non ut missio ad extra, sed universim ut tractio ad se alienae naturae consideratur, tunc et Pater incarnari potest. Nam ita spectata assumptio dumtaxat potentiam assumentis et terminum assumptionis importat. Iam vero omnes personae in potentia assumptiva sunt aequales; terminative vero personalitas uniuscuiusque hypostasis divinae infinita est. *Ergo* assumptio indifferenter ad quamlibet personam divinam terminari potest. (Cfr. S. *Th.*, q. 3, a. 5).

6. Plures personae possunt eandem simul naturam humanam terminare eique hypostatice uniri. Huic asserto contradicunt *Scotistae*; sed simul S. Thomae, cuius mens indubie ex articulo 6, q. 3. apparet. « Sicut ex unione animae, et corporis in Christo, arguit Angelicus, non fit neque nova persona neque nova hypostasis; sed fit una natura assumpta in personam vel hypostasim divinam; quod quidem non fit per potentiam naturae humanae, sed per potentiam personae divinae: est autem *talis divinarum personarum conditio*, quod una earum non excludit aliam a communione eiusdem naturae, sed solum e communione eiusdem personae; quia igitur « in mysterio incarnationis tota ratio facti est potentia facientis », (ut Augustinus dicit in ep. ad Volusianum), *magis circa hoc est iudicandum secundum conditionem divinae personae assumentis*, quam secundum conditionem naturae humanae assumptae; sic ergo non est impossibile divinis personis, ut duae vel tres assumant unam naturam humanam ».

SECTIO 3ª

DE CONSECTARIIS UNIONIS

Tam facto quam modo unionis hypostaticae duarum naturarum in Christo aliquatenus explicato, in consectaria, quae ex hac unione in suppositum theandricum redundant, aciem mentis nostrae figamus. « Deinde, inquit S. *Thomas*, considerandum est de his, quae consequuntur unionem et primo, quantum ad ea, *quae conveniunt Christo secundum se* » (3 P., q. 16). Tria imprimis considerabimus, nimirum: 1° idiomatum communicationem; 2° unicam filiationem; 3° humanitatis adorabilitatem.

Cap. 1. — De Communicatione idiomatum.

Thes. 10. — Unionem hypostaticam duarum naturarum in Christo consequitur vera et propria idiomatum communicatio.

S. Th., q. 16, a. 1-12; Suarez, Disp. 35, sect. 1-4; Pesch, th. 14; Janssens, Op. Cit. pg. 579-598; Muncunill, Disp. 9, a. 1 et 2; Billot, th. 25 et 26; Galtier th. 17; Hugon, q. 10, a. 1 et 2.

Status Quaestionis.

1. Idioma idem ontologice est atque proprietas, quae alicui naturae convenit. Communicatio idomatum est possessio variarum proprietatum ab uno eodemque supposito, quae ei competunt ob dualitatem vel pluralitatem naturarum, hypostatice unitarum. Communicatio idiomatum, sensu technico, est legitima praedicatio, ἀντίδοσις, proprietatum utriusque naturae de se mutuo vel de supposito. Communicatio ergo idiomatum respicit veritatem aut falsitatem propositionum, quae de Christo formari possunt, attenta unione duarum naturarum secundum hypostasim Verbi. Fundamentum logicae communica-

tionis idiomatum iacet atque reperitur: in ontologica existentia duarum naturarum, cum suis inconfusis et impermixtis proprietatibus, in eadem hypostasi divina.

2. Quaerimus in thesi, utrum et quo sensu communicari seu legitime *praedicari possint* attributa divina et humana de Christo Domino et vicissim mutuo de naturis ipsis. Tria de Christo praedicari possunt: ea, quae Christo conveniunt *ratione divinitatis* (vg. esse aeternum, infinitum, immensum, omnipotentem etc.); quae ipsi competunt *ratione humanitatis* (ut puta: esse mortalem, passibilem, quantum, altum et similia); quae Ei propria sunt *ratione utriusque naturae* (verbi causa: esse sacerdotem, redemptorem, mediatorem). Ipsa praedicatio varia esse potest: tam terminis abstractis quam in concretis (seu in abstracto vel concreto), tam propriis, quam metonymicis et metaphoricis.

Termini *concreti* intelliguntur illa nomina, quae significant naturam aut eius proprietates *ut in supposito* habente eas (vg. Deus, homo, leo, aeternus, mortalis). Termini *abstracti* significant naturam eiusque partes vel proprietates, praescindendo a personalitate (vg. divinitas, humanitas, corpus, anima, substantia, sapientia, iustitia etc.). Praedicatio *in concreto* fit per terminos concretos, qui simul formam et subiectum significant, (homo sapiens, bonus, sanctus). Praedicatio *in abstracto* fit per terminos abstractos, qui formam sine subiecto significant. Praedicatio vera, *propria* intelligitur illa, quae non fit per metaphoram, metonymiam et translationem poëticam.

3. Affirmamus: admittendam esse in Christo veram et propriam idiomatum communicationem *in concreto* i. e. praedicationem proprietatum utriusque naturae de eadem persona; quippe quae una sit in Christo in duabus naturis subsistens. Insuper contendimus: hanc praedicationem *veram et propriam* esse i. e. sine ulla metaphora vel aequivocatione legitime fieri, modo quaedam regulae serventur, de quibus in scholiis sermo erit. Tenemus: (aliis verbis idem exprimendo), attributa *divinae naturae* praedicari posse de Christo homine et vicissim

attributa *humanae naturae* recte praedicari de Verbo Dei, Filio Dei, idque *proprie*, non metaphorice.

4. Vera et propria communicatio idiomatum impossibilis est in suppositione unius naturae; adeoque reiici deberet a Monophysitis Eutychianis, quippe qui arbitrati sint; proprietates unius naturae ontologice confusas esse cum proprietatibus alterius naturae, ex quibus facta est una natura incarnata. Lutherus et Lutherani, ut Brenz et Chemnitz in applicatione communicationis idiomatum per excessum peccantes; Christum *secundum humanitatem* ubique esse contendebant. Lutherus enim eiusque sequaces finxerunt: Christum in Eucharistia substantialiter, sed sine transubstantiatione, cum pane et in pane esse. Ut ratio autem huius praesentiae eucharisticae ubiquismus naturae humanae Christi adferebatur ([1]). Nestoriani, qui duas in Christo personas admiserant, communicationem idiomatum *veram et propriam* non agnoscebant et contendebant, in Scripturis hyperbolice et metaphorice eidem subiecto humanas et divinas proprietates adiudicari.

5. Thesis nostra est *theologice certa*; immo doctrina catholica.

([1]) In *Formula Concordiae* P. I. *De Persona Christi*, VIII, n. 11, legimus: Christus post ascensionem « iam non tantum ut Deus, verum etiam *ut homo* omnia novit, omnia potest, omnibus creaturis praesens est et omnia, quae in caelis, in terris et sub terra sunt, sub pedibus suis et in manu sua habet ». *Formulae Declaratio*, P. II. *De Persona Christi*, VIII: « Credimus superioribus scripturae testimoniis maiestatem hominis Christi declarari, quam Christus *secundum suam humanitatem* ad dexteram maiestatis et virtutis Dei accepit, ut videlicet etiam *secundum illam assumptam naturam et cum ea*, praesens esse possit et quidem praesens sit, ubicumque velit ». Cfr. J. T. Muller, D. Th. Kolde, *Die Symbolischen Bücher der evangelischlutherischen Kirche*, Gütersloh. 1912 [11]. pg. 547, 16; 692, 78. In « Formula Concordiae » quamvis confusio monophysistica naturarum anathematizetur, tamen *praeter* factum unionis hypostaticae duarum naturarum, aliqua realis, physica communicatio idiomatum invehitur.

Probatur thesis.

Arg. 1. (E symbolis et conciliis). *a) Symbola fidei* eidem Filio Dei naturali pure humanas proprietates tribuunt. Credimus... Filium Dei, natum ex Patre, natum non factum, consubstantialem Patri... incarnatum ex Maria Virgine et humanatum et crucifixum et sepultum esse. *DB.* 86. *b)* Idem credendum proponunt *Concilia*: *Anath. Cyril. Can.* 6: Si quis dicit, Deum esse vel dominum Christi Dei Patris Verbum et non magis eundem ipsum confitetur Deum simul et hominem, propterea quod «*Verbum caro factum est*», secundum Scripturas. A. S. *DB.* 118. *Constpl. II. Can.* 10: Si quis non confitetur Dominum nostrum Iesum Christum, *qui crucifixus est carne*, Deum esse verum et Dominum gloriae et *unum de Sancta Trinitate*, talis A. S. *DB.* 222. *c)* In *Anthem. Cyril.* 4 explicite declaratur: in S. Litteris *eidem* Verbo Dei humana et divina tribui. «Si quis *personis duabus* vel subsistentiis *eas voces*, quae in Apostolicis scriptis continentur et Evangelicis, *dividit*, vel quae de Christo a sanctis dicuntur, vel ab ipso etiam de seipso et has quidem velut homini, praeter Dei Verbum specialiter intelligatur, aptaverit, illas autem tamquam dignas Deo soli Dei Patris Verbo deputaverit, A. S. *DB.* 116.

Arg. 2. (E S. Scripturis). In S. Scripturis proprietates *pure humanae* Filio Dei; e contra proprietates *stricte divinae* Filio hominis tribuuntur. *Atqui* per hoc ipsum implicite et exercite communicatio vera et propria idiomatum docetur. *Ergo* unionem hypostaticam duarum naturarum communicatio idiomatum consequitur.

Prob. mai. Rom. 1, 3; *De Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem. Gal.* 4, 4; *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Ioan.* 1, 14; *Et Verbum caro factum est et habitavit in nobis. Ioan.* 8, 58; *Antequam Abraham fieret, ego sum. Ioan.* 10. 30. 33; *Ego et Pater unum sumus. De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: et quia tu, homo cum sis, facis teipsum Deum.*

Prob. min. Communicatio idiomatum nihil aliud est, quam legitima praedicatio proprietatum duplicis naturae de eodem supposito. *Atqui* S. Scripturae de eodem supposito divino proprietates duplicis naturae constanter, sensu proprio et obvio praedicant. *Ergo* exercite et implicite legitimitatem communicationis idiomatum docent atque attestantur.

Arg. 3. (E S. Patribus). S. Patres *vel* legitimitatem communicationis idiomatum supponunt, adeoque divina et humana eidem hypostasi divinae tribuunt, *vel* explicite docent, hanc praedicationem propriam et legitimam esse.

Origenes, *Periarch.*, 2, 6, 3. Dei Filius et Dei virtus Christus et Dei sapientia appellatur; et rursum Dei Filius, per quem omnia creata sunt, Iesus Christus et Filius hominis nominatur. Et hac de causa per omnem scripturam tam divina natura humanis vocabulis appellatur, quam *humana natura divinae nuncupationis insignibus* decoratur. *RJ.* 460.

S. Greg. Nys., *C. Eunom.*, 5. Separatim considerari possunt proprietates carnis et divinitatis, si in seipso utrumque spectatur, ut si dicitur: Verbum ante saecula erat, caro autem in extremis temporibus facta est. Quae facies in passione colaphis caeditur et quae ab aeterno glorificatur? Hoc clarum est, etiamsi quis sermone non explicet, quod plagae sunt servi, in quo est dominus, honores autem domini, circa quem est servus: ita ut propter coniunctionem et unionem naturalem *ambo fiant utriusque communia*, domino serviles vibices in se ipsum assumente et servo per domini honorem glorificato. *RJ.* 1044.

S. Augustinus, *C. Serm. Arian.*, 8. Filius Dei dicitur crucifixus et sepultus, quamvis haec non in divinitate ipsa, qua est Unigenitus Patri coaeternus, sed in naturae humanae sit infirmitate perpessus. Hanc unitatem personae Christi Iesu Domini nostri *sic ex utraque natura constantem*, divina scl. atque humana, ut quaelibet earum vocabulum etiam alteri impertiat et divina humanae et humana divinae, beatus ostendit Apostolus. *RJ.* 1859.

S. Cassianus, *De Incarn.*, 5, 7. *Idem*, qui in sequentibus mortuus dicitur, *idem* superius imago Dei invisibilis praedicatur. Quomodo ergo hoc? Scilicet quia id omni modo ab Apostolis cautum est, ne aliqua videretur in Christo esse divisio et unitus in filio hominis Filius Dei inciperet per erraticas interpretationes duas habere personas. *RJ.* 2056.

S. Cyrillus Alex., Ep. 39. Duarum naturarum facta est unio; et propterea unum Christum, unum Filium, unum Dominum confitemur. Evange-

licas autem et apostolicas de Domino voces scimus theologos alias quidem *tamquam ad unam personam pertinentes*, communes facere, alias vero tamquam in duabus naturis divisim usurpare: et *illas* quidem Deo dignas *secundum* Christi *divinitatem, alias* vero humiles *secundum* illius *humanitatem* tradere. *RJ.* 2060. *Explic. XII. Capitum. Anath.* IV., Sunt itaque illius omnia, non solum divina, verum etiam humana. *Omnes* itaque *Evangelii voces*, sive illae humanum quid sonant, sive divinum, *uni personae tribuimus*: nam et Christum Iesum, hoc est inhumanatum et incarnatum Dei Verbum, unum Filium esse credimus. Quare, si quid *humanum* praedicat, hoc ad humanitatis eius conditionem transferemus; si vero loquatur *ut Deus*, uni rursum Christo et Filio assignabimus voces supra naturam hominis, Deum inhumanatum illum esse credentes. MG. 76. 302. CD.

S. Leontius Byzant., *C. Nestor. et Eutych.*, 1. Nos secundum divinas scripturas et speculationes a patribus traditas, saepe totum ex parte et partem nomine totius afficimus, cum Verbum Filium hominis nominamus et Dominum gloriae crucifixum confitemur. Sed non propterea *communicatione idiomatum* tollimus propriam rationem proprietatis alterutrius in eodem. Deinde haec etiam nobis per propria nomina declarantur, cum communicationem quidem idiomatum in una hypostasi contemplamur, proprietatem vero, quae est in communitate, in differentia naturarum agnoscimus. *RJ.* 2287 c.

S. Ioan. Damasc., *De fide orth.*, 3, 3. *Verbum*, quia ipsius sunt, quae sanctae eius carnis sunt, ea, *quae humanitati conveniunt, sibi vindicat* et carnem participem facit eorum, quae propria sua sunt, iuxta modum alternae communicationis, ob mutuam inter se partium commeationem unionemve hypostaticam et *quia unus idemque erat*, qui divina et humana in utraque forma cum alterius communione ageret. *RJ.* 2361.

Arg. 4. (E ratione theologica). Si Christus Iesus una est divina hypostasis in duabus naturis subsistens, vere et proprie tum divina tum humana Filio Dei tribuuntur, seu ex unione hypostatica legitime vera et propria idiomatum communicatio consequitur. *Atqui* Iesus Christus una est divina hypostasis, in duabus naturis subsistens. *Ergo* vere et proprie tum divina tum humana Filio Dei tribuuntur seu ex unione hypostatica legitime vera et propria idiomatum communicatio consequitur.

Prob. mai. Persona enim ultimum censetur attributionis subiectum, cui omnia adscribuntur. Si ergo aliqua persona in duabus inconfusis naturis subsistit, omnes proprietates et operatio-

nes utriusque naturae non possunt huic personae non attribui. Aliis verbis eandem rationem habes apud S. *Thomam*, q. 16, a. 4. Ratio est, quia cum sit *eadem hypostasis utriusque naturae*, eadem hypostasis supponitur nomine utriusque naturae; sive ergo dicatur homo, sive Deus, supponitur hypostasis divinae et humanae naturae; et ideo *de homine* possunt dici ea, quae sunt *divinae naturae*, tamquam de hypostasi divinae naturae: et *de Deo* possunt dici ea, *quae sunt humanae naturae*, tamquam de hypostasi humanae naturae.

Schol. 1. Regulae pro recta communicatione idiomatum.

1. Attributa tam divina quam humana terminis concretis significata praedicari possunt de Christo; aliis verbis, *concreta* substantiva, *concreta* adiectiva, tam humana quam divina; proprietates divinae et humanae *in concreto* de invicem praedicari possunt. Nam nomen *concretum*, aliquod attributum divinum vel humanum significans, logice *supponit pro persona*. Hinc legitime omnino dicitur: Christus est aeternus, immutabilis, omnipotens, infinitus: quia Christus pro divina hypostasi Filii Dei supponit, qui secundum divinitatem est aeternus, immutabilis, omnipotens, infinitus. Pariter omnino recte dicitur: Christus est passibilis, quantus, altus et similia, utique secundum humanam naturam, quae est passibilis etc. Propter eandem rationem omnino proprie (non metaphorice) asseritur: Deus est natus, passus, mortuus et vicissim; hic homo est creator, conservator.

2. Abstracta unius naturae non possunt praedicari de abstractis alterius naturae; *nec possunt praedicari abstracta de concretis, nec concreta de abstractis.* Ratio est, quia nomina *abstracta significant naturam* vel formam, attributum seu proprietatem *solutam ab omni subiecto* seu hypostasi; proindeque *non supponunt pro persona* Christi. Hinc falso diceretur: Humanitas est divinitas: Christus est humanitas; Aeternitas est mortalis.

3. Concreta reduplicativa non possunt mu-

tuo praedicari, quia, quamvis concreta, sed *reduplicative* sumpta, *naturam ut sic* exprimunt. Quare falso praedicatur: Christus, *ut homo*, est immensus, significaretur enim naturam humanam esse immensam. Item falso dicitur: Christus, *ut Deus*, est homo; affirmaretur enim naturam divinam esse hominem. Contra hanc regulam peccant Lutherani « ubiquistae ». Quamquam Verbum est ubique et Verbum est ubique homo; tamen Verbum est ubique, *ut Deus*, et non est ubique, *ut homo*.

4. Partes humanae naturae, quae abstractam significationem habent, i. e. formam sine subiecto significant, non possunt de Deo et Christo praedicari. Falsa igitur est: Christus est corpus; Christus est anima; recte dicitur: Christus habet animam et corpus.

5. Nomina abstracta divina, quae concretis aequivalent atque pro hypostasi divina supponunt; praedicari possunt, sicut nomina concreta. Adeoque vera est haec propositio: « Mors mortua tunc est, quando in ligno mortua *vita* fuit ». Amor sacerdos, amor victima; Ego sum via, veritas et vita.

6. Falsa est propositio, quae non solum secundum formam grammaticam, sed etiam secundum sensum, *negat* in Christo *aliquod attributum*, quod ei secundum alterutram naturam convenit, vg. Christus. (supponendo pro divinitate seu *Deus*), non est genitus, passus. mortuus. Nam propositio negativa simpliciter removet praedicatum a subiecto. Quare in propositionibus negativis potius *termini abstracti* sunt adhibendi, ut naturarum identitas excludatur; non autem adhibendi sunt *termini concreti*, ne removeatur suppositi unitas. Hinc recte dices: deitas non est humanitas; falsum: Deus non est homo; Christus est incorporeus.

7. In usu *adiectivorum*, quae a substantivo « *homo* » (vg. humanus, ανθρωποφόρος, σαρκοφόρος,), vel a substantivo « *Deus* » (vg. divinus, deificatus, dominicus) derivantur, cavendum et attendendum est, ne per eiusmodi adiectiva unitas hypostatica-substantialis quoquomodo labefactari censeatur. Propter eandem ra-

tionem *vitandae* sunt locutiones, quibus insinuaretur: humanitatem Christi ante unionem cum Verbo extitisse: vg., homo factus est Deus, vel hic homo factus est Filius Dei.

SCHOL. 2. EXEMPLA QUAEDAM PRO ILLUSTRANDIS REGULIS.

1° Verissima est haec propositio: Deus est homo. Nomen enim concretum *Deus* supponit pro qualibet persona divina, adeoque etiam pro persona Filii Dei. *Homo* supponit pro quolibet individuo naturae humanae. (Cfr. S. *Th.*, q. 16, a. 1).

2° Recte quoque dicitur: Homo est Deus, quia sensus huius propositionis huc redit: Eadem persona, quae in divina natura subsistit, naturam etiam humanam habet. (q. 16, a. 2).

3° Rectissime affirmatur: Deus est factus homo; prorsus falsa dicitur: Homo factus est Deus. Verum est *primum;* quia idem suppositum, quod ab aeterno divinam naturam terminabat, humanam naturam assumpsit. Unumquodque autem dicitur esse « factum » illud, quod de novo incipit praedicari de ipso. Iam vero de Filio Dei in tempore coepit praedicari ipsius inhumanatio. Ergo Deus homo factus est. (q. 16, a. 6). Falsissimum est *secundum assertum,* in quantum vox « *homo* » supponit pro supposito et persona humana; quia persona humana, (aliquis Iesus) non est unita personae divinae. « Unde non potest dici, quod iste homo incoepit esse Deus, vel quod fiat Deus, aut quod factus sit Deus: si vero esset *alia* persona vel hypostasis Dei et hominis, ita quod esse Deum praedicaretur de homine, et e converso, per quandam coniunctionem suppositorum, vel dignitatis personalis, vel affectionis, vel inhabitationis, ut Nestoriani dixerunt, tunc pari ratione posset dici, quod homo factus est Deus, idest *coniunctus* Deo; sicut et quod Deus factus est homo, idest *coniunctus homini* ». (q. 16, a. 7).

4° Aequivoce, immo falsissime affirmatur: Christus est creatura. Christus enim supponit pro divina hypostasi, quae nullomodo creata dici potest. « Ariani autem haeretici Christum dixerunt esse creaturam et minorem Patre, *non solum ra-*

tione humanae naturae, sed etiam ratione divinae personae et ideo non est *absolute* dicendum, quod Christus sit creatura vel minor Patre, sed *cum determinatione*, scl., secundum humanam naturam ». (q. 16, a. 8). Minus periculum aequivocationis est in illa propositione: Christus, secundum quod homo, est creatura; nam per reduplicationem illam potius *natura* quam *suppositum* humanum effertur. Si illud « *secundum quod homo* » de supposito intellegeretur; « cum suppositum humanae naturae in Christo sit aeternum et increatum, haec erit falsa: *Christus, secundum quod homo, est creatura;* si vero resumatur ratione humanae naturae, sic est vera: quia ratione humanae naturae sive secundum humanam naturam, convenit ei esse creaturam ». (q. 16, a. 10).

5° Demonstrato Christo, aequivoce dicitur: Iste homo incoepit existere. Nam vox *homo*, iam de se concreta et adhuc pronomine demonstrativo determinata, suppositum concretum designat. Iam vero Christus *qua suppositum* divinum ab aeterno extitit. Ergo non coepit existere. « Nec obstat, quod incipere esse, convenit humanae naturae, quae significatur hoc nomine *homo;* quia terminus in subiecto positus non tenetur formaliter pro natura, sed magis materialiter pro supposito. *Secundo*, quia etiamsi esset vera (haec propositio), non tamen ea esset utendum absque determinatione, ad evitandam haeresim Arii: quia sicut personae Filii Dei attribuit, quod esset creatura, et quod esset minor Patre: ita attribuit ei, quod esse incoeperit, dicens, quod erat, quando non erat ». (q. 16, a. 9).

6° Pariter aequivoca, immo potius falsa est propositio: Christus, secundum quod homo, est Deus. Nam terminus *homo* dupliciter accipi potest, vel in significatione naturae humanae vel suppositi humani. Si *homo* supponitur *pro natura humana* « sic verum non est, quod Christus, secundum quod homo, sit Deus: quia humana natura est distincta a divina secundum differentiam naturae ». Si *homo suppositum humanum* designat; « sic, cum suppositum naturae humanae in Christo sit persona Filii Dei, cui per se convenit esse Deum, verum est, quod Christus, secundum quod homo, sit Deus. Quia tamen ter-

minus in reduplicatione positus magis proprie tenetur pro natura, quam pro supposito, ideo *magis negenda* est ista: « *Christus, secundum quod homo, est Deus* ». (q. 16, a. 11). Pariter et ob eandem rationem aequivoca, immo falsa est: *Christus, secundum quod homo, est hypostasis seu persona.* (q. 16, a 12).

Schol. 3. In quantum Christus homo sit servus Dei?

De propositione: Christus homo est servus Dei, multum acriterque olim disputabatur. Lis tamen oportuna conceptuum distinctione sedari potest. Nam Christus homo, *ut suppositum divinum*, nullomodo; e contra, *ut homo* seu secundum naturam humanam, iure merito servus Patris dici debet.

Servitus in genere est status ille, vi cuius creatura rationalis est sub dominio alterius et tenetur illi servire. *Triplex* solet distingui servitus: *Naturalis*, quae convenit omni creaturae rationali respectu Dei, quatenus quaelibet rationalis creatura, ratione suae creationis et conservationis, est sub dominio Dei et omnino dependet ab illo eidemque servire tenetur. *Legalis* servitus est illa, quae per leges introducta est et habetur, cum unus homo est sub dominio alterius et illi servire tenetur. *Moralis* servitus ratione peccati habetur iuxta illa Domini: *Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati. Ioan.*, 8, 34.

Elipandus Toletanus et Felix Urgelitanus, puri Nestorianismi in Hispania restitutores, simpliciter et sine ulla determinatione asserebant: Christum servum esse. Doctrinam eorum damnans, Hadrianus indignabundus ait: « Pudet dicere, servum eum, impii et ingrati tantis beneficiis, liberatorem nostrum non pertimescitis venenosa fauce susurrare!? Cur non veremini, queruli detractores, Deo odibiles, illum *servum* nuncupare, qui vos de servitute diaboli liberavit? ». *DB.* 310. Cfr. *DB.* 313.

Inter omnes Theologos catholicos constat: Christum, *qua personam divinam*, nullomodo servum dici. Certum est etiam Christum *ut hominem* neque esse neque posse esse servum mora-

lem peccati, vel servum legalem. Disputabatur quondam de hoc: utrum Christus *ratione humanitatis* seu *qua homo* vere et proprie sit servus Dei servitute naturali. P. Vasquez, (*De Verbo Incarn.*, Disp. 80, cc. 7-11), De Lugo, (*De Mysterio Incarn.*, Disp. 28, sect. 3-6) contendunt: Christum, etiam *qua hominem*, servum Dei dici non posse; nam humanitas Christi propter unionem hypostaticam ad honores divinos elevata est et ius habet ad bona divina. E contra P. Suarez, (Disp. 44 sect. 1 et 2). Ioannes a S. Thoma (Disp. 19, a. 5), Gonet (Disp. 22, a. 1), Muncunill (Disp. 7, a. 2) affirmant: Christum, qua hominem seu ratione humanae naturae creatae servum Dei naturalem dici debere.

Rectissime quidem; nam iam Prophetae Christum-Messiam servum Dei esse attestantur. *Isai.*, 42, 1; *Ecce servus meus, suscipiam eum. Isai.*, 53, 11; *In scientia sua iustificabit ipse iustus servus meus multos et iniquitates ipse portabit.* Praeterea S. Paulus, *Phil.* 2, 6. 7; *Qui, cum in forma Dei esset,... semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Plura testimonia Patrum videri possunt apud *P. Muncunill* (loco citato). Rationem indicat *S. Thomas*, q. 20, a. 2: « Esse dominum et servum attribuitur personae vel hypostasi *secundum aliquam naturam* ». *Atqui* natura humana Christi, quatenus et quia creata, serva est Dei Patris. *Ergo* Christus, quatenus homo, est servus Dei Patris. Omnis creatura rationalis, qua creatura, subest dominio Dei, a Deo dependet, teneturque illi servire. *Atqui* natura rationalis Christi est creata a Deo in ipsa assumptione ad hypostasim Verbi. *Ergo* Christus secundum humanitatem est servus Dei.

De caetero ipse Lugo fatetur (Disp. 28, sect. 3, n. 16): controversiam inter catholicos potius *de verbo* quam de re fuisse. « Nam *de re* ipsa nec est nec esse potest dissensio inter catholicos, cum omnes fateantur: humanam naturam Christi *dependere* a Deo, ut a primo auctore, non minus quam omnes alias naturas, atque adeo *esse sub plena Dei potestate* et *debere Deo oboedire* ratione huius potestatis et dependentiae. Fatentur etiam ex alia parte: Christum ratione unionis hypostaticae et divinitatis, quam includit, habere aequalitatem cum Patre in sede et

honore, ut decet eum, qui est filius naturalis et Deus homo ». Radix igitur controversiae in eo delitescit, quod Vasquez et Lugo immerito arbitrantur: per professionem condicionis servilis Christi, quatenus est homo, aequalitati iuris et honoris, qui divinae hypostasi Christi debetur, derogari. Servus enim est, secundum creatam naturam; aequalis Patri secundum divinam hypostasim.

Cap. 2. — De unica naturali filiatione divina.

Thes. 11. — Iesus Christus, etiam ut hic homo, est filius Dei naturalis, nulloque modo filius adoptivus dici potest.

S. Th., q. 23, a. 4; q. 32, a. 3; Suarez, Disp. 49, sect. 1-4; Janssens, q. 23, a. 4, pg. 576 seq.; Muncunill, Disp. 7, a. 1, pg. 240 seq.; Pesch, th. 15; Otten, th. 18; Galtier, th. 18; Billot, th. 35; Hugon, q. 12, a. 4, pg. 633 seq.

Status quaestionis.

1. Vi communicationis idiomatum de Verbo incarnato *humana*, de Christo autem homine *divina* praedicari possunt. Porro, cum Verbum, quod a Patre generatur, filius sit Dei naturalis; *quaeritur*: utrum Christus homo *filius Dei naturalis* dici possit ac debeat, nec ne? Christus homo, ut mox videbimus, plenitudine gratiae sanctificantis cumulatur. Quoniam vero homines per gratiam sanctificantem filii Dei adoptivi constituuntur, quaeritur; utrum Christus homo sit filius Dei *adoptivus*, nec ne? Non solum autem de legitimitate praedicationis de Christo homine sive filiationis divinae naturalis sive adoptivae agitur, verum imprimis *ontologicum fundamentum* communicationis horum idiomatum inquiritur; nempe: utrum Christus, *prout hic homo* sit obiective et vere filius Dei naturalis, an talis sit dumtaxat, in quantum in sua divinitate subsistit. Aliis verbis, quaerimus: utrum ratio et titulus « Filii Dei naturalis » competat Christo, *dumtaxat* in quantum in divina natura subsistit,

an etiam idem titulus et dignitas eadem convenit ipsi in quantum *in natura humana* subsistit, seu prout est hic homo.

2. Terminus « ut hic homo » dupliciter sumi potest: specificative et reduplicative. *Specificative* sumptus aequivalet huic propositioni: Christus, qui *est persona in humana natura* subsistens; Christus, qui est homo. *Reduplicative* sumptus haberet sensum: Christus, *qua homo, ratione humanitatis, ob suam humanitatem*, v. g. habet animam et corpus. Si dicitur: Christus *ut homo*, supponitur sensus stricte reduplicativus scl. *qua* homo, sub ratione humanitatis. Si additur pronomen « *hic* », *ut hic homo*; reduplicatio modificatur et quasi aufertur. In thesi sumitur terminus « *ut hic homo* » in sensu specificativo; seu dicimus: Christus, qui in natura humana subsistit, quatenus sua divina personalitate etiam humanam naturam terminat, Christus, *qui homo*, est filius Dei naturalis; et ut hic homo nullomodo filius Dei *adoptivus* appellari potest. *Non tribuimus* huic termino (« ut hic homo ») *sensum reduplicativum*; tunc enim diceretur: Christus ratione suae humanitatis, ob suam naturam humanam (« ut homo », « *qua* homo ») est filius Dei naturalis. Absurditas talis propositionis oppido percellit oculos. Filius naturalis, ut ex terminis liquet, est ille, qui naturam generatione a patre accipit. Filius adoptivus dumtaxat per iuridicam cooptationem ius ad nomen et haereditatem acquirit. *Adoptio definitur*: gratuita et liberalis personae extraneae assumptio ad ius haereditatis.

3. Quibus praestitutis, *sensus nostrae theseos* consideranti patet, videlicet: *sive* Christum, ut suppositum naturae divinae, *sive* eundem in humana natura per Verbum subsistentem consideras; semper Christum filium Dei naturalem appellare debes. Sicut dicis: Verbum Dei Patris est filius Dei naturalis; ita etiam confitere: Christus etiam *ut hic homo*, existens in humana natura, est filius Dei *naturalis, non adoptivus*.

4. Christum hominem, filium Dei naturalem dici non posse, Elipandus Toletanus († 808) et Felix Urgelitanus († 818) asseverabant. Occasionem huic doctrinae sabellianismus *Migetii* praebuit. Migetius triplicem Dei manifestationem fabu-

lose finxit: unam Dei Patris in Davide, alteram Filii in Iesu Christo, tertiam Spiritus Sancti in Paulo. Migetius, qua Sabellianista, dumtaxat tres apparitiones Dei ad extra admisit et secundum extraneas missiones, divinas personas distinxit. Elipandus, dum Migetium redarguit, duas personas in Christo propugnare non veretur; alteram scl. *Filii* Dei *naturalis*, qui a Patre genitus est; alteram *Christi*, qui ex Maria natus, nonnisi filius Dei *adoptivus* est ([1]). Errorem senescentis iam Elipandi iuvenili cum fervore *Felix Urgelitanus* spargebat, illumque *Ascarius* episcopus, *Fidelis* abbas secuti sunt ([2]).

Abaelardus († 1142), quia unitatem hypostaticam, substantialem duarum naturarum in persona Verbi negavit; et Verbum, nonnisi carne Iesu Christi indutum arbitrabatur ([3]), consequenter naturalem filiationem Iesu hominis vehementer inficiatus est et Christum dumtaxat filium Dei adoptivum esse affirmabat. Purum adoptianismum Iesu saec. XII *Luitolphus* (in Gallia) *Folmar* et *Petrus Frisigensis* (in Germania) profitebantur ([4]).

Scotus (In III. *Sent.* dist. 10, q. unica; *Rep. Paris.*, III. Dist. 10, q. 1), non negando veram divinam, filiationem naturalem Iesu hominis; ut *probabilem* proponit sententiam illam, quae tenet: Iesum, ut hic homo est, non solum filium Dei naturalem, verum etiam filium Dei adoptivum esse. Quod Scotus ut probabile proposuit, Durandus (In III. Dist. 4), Bassolis (In III. *Sent.*, Dist. 10) aliique Scotistae pro certo habent, et filiationem adoptivam Iesu hominis non in sensu exclusivo, sed cumulativo propugnant ([5]).

([1]) Cfr. Elipandi, *Epist. ad Migetium*, ML. 96, 860-864.

([1]) Cfr. J. Bach, *Die Dogmengeschichte des Mittelalters*, Wien 1873. I. pg. 103 seq.; H. Quilliet, *Adoptianisme au VIIIe siècle*, DTC. 1, 403-413.

([3]) Cfr. Abaelardi, Prop. 5: Quod nec Deus et homo, neque haec persona, quae Christus est, sit tertia persona in Trinitate. *DB*. 372.

([4]) Cfr. Bach, Op. Cit., t. II. pg. 58 seq.; 423 seq.; 473 seq.; E. Portalié, *Adoptianisme au XIIe siècle*, DTC. 1, 413-418.

([5]) Cfr. Portalié, *Adoptianisme, Nouvelles controverses depuis le XIVe siècle*. DTC. 1, 418 seq.

5. *Duo affirmamus*: *a*) Christum *hominem* vere et proprie filium Dei naturalem esse (*Pars* I^{a}); *b*) Christum, *ut* est *hic homo*, nullomodo filium Dei adoptivum esse (*Pars* II^{a}). Pars I^{a} est de *fide*. Quoad censuram partis II^{ae} distinctione opus est: *Symbola fidei* et Patres *simpliciter* affirmant: Christum hominem *non esse filium Dei adoptivum*. Christum autem *nullomodo* (etiam cumulative) esse filium Dei adoptivum; sententia est *communis inter Theologos*.

PROBATUR THESIS.

Pars I. — Iesus homo est filius Dei naturalis.

ARG. 1. (E S. SCRIPTURA). S. Scripturae Iesum Christum hominem docent: filium Dei *proprium*, *unigenitum* esse. *Atqui* filius Dei proprius et unigenitus profecto est filius Dei naturalis. *Ergo* Iesus Christus, ut hic homo, est filius Dei naturalis.

Prob. mai. Rom. 8, 32; *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Ioan.* 1, 14; *Et Verbum caro factum est et habitavit in nobis*: *et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre* Cfr. I. *Ioan.* 1, 1-4; 1, 7. Ad Iesum *hominem*, quia per eum, «*novissime diebus istis locutus est nobis* (Deus) *in Filio*» (*Hebr.* 1, 1.); ad filium, qui «*differentius prae angelis nomen* (filii) *hereditavit*», (v. 4): loquitur Deus Pater: *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Ego ero illi in Patrem et ipse erit mihi in Filium* (*Hebr.* 1, 5).

ARG. 2. (E DOCTRINA PATRUM).

S. ATHANASIUS, *De Incarn. Dei Verbi*, 8. Idcirco Filius Dei filius hominis factus est, ut filii hominis, hoc est Adae, filii Dei efficiantur. Quod enim desuper ex Patre *Verbum* modo ineffabili... aeterne genitum est, ipsum *in tempore* inferius *generatur ex Virgine deipara Maria*... Unde mortem gustat Filus Dei, propter carnalem patrem suum, ut filii hominis vitae Dei participes efficerentur. Ipse igitur secundum naturam Filius est Dei, nos autem per gratiam. *RJ.* 788.

S. HILARIUS, *De Trinitate*, 3, 11. Multi *nos* filii Dei, sed *non talis* hic Filius; hic enim et verus et proprius est Filius, origine

non adoptione, veritate non nuncupatione, nativitate non creatione. *RJ.* 863.

S. Eustathius Ep. Antioch., *Homil, in Laz.* (?), 15. Tu es primogenitus et unigenitus et solus cum Sancto Spiritu consubstantialis, aequalis potentiae cum genitore; tu es Christus, non una ex his a te creatis invisibilibus atque administratoriis potentiis, sed natura Filius Dei vivi; quare non sunt angeli Christi; tu es Christus, hoc est, non homo Christus, sed Deus Christus, Deus homo factus... tu es Christus, qui a tota creatione adoraris ut unus Dominus et Deus, ut unus Filius, ut unus Herus cum Patre et Spiritu Sancto. *RJ.* 909.

S. Cyril. Hieros., *Catech.*, 11, 1. et 2. Credimus in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei unigenitum. Filium porro cum audis, *ne adoptivum* existimes, sed naturalem Filium, Filium unigenitum, qui alterum fratrem non habet. MG. 33, 691. B.

S. Ambrosius. *Luc.*, 10, 167. Bene dixit, quia mulieri loquebatur; non enim communis nobis natura cum Christo, nisi conditionis humanae. Illi Pater generatione propria, nobis adoptione voluntaria; illi per naturam, nobis per gratiam. ML. 15, 1845.

S. Augustinus, *De Civit. Dei,* 21, 15. Unicus natura Dei Filius propter nos misericordia factus est hominis filius, ut nos, natura filii hominis, filii Dei per illum gratia fieremus. *RJ.* 1777; *In Ev. Ioan. Tract.*, 82, 4. Numquid et hic, (« *Maneo in eius dilectione* »), gratia intelligenda est, qua Pater diligit Filium, sicut gratia est, qua nos diligit Filius, cum simus nos filii gratia, non natura; Unigenitus autem natura, non gratia? An hoc etiam in ipso Filio *ad hominem* referendum est? *Ita sane! RJ.* 1836.

S. Cyril. Alex., *In Ioan. Comment.*, 1, 9 (1, 12). Igitur ascendimus ad supernaturalem dignitatem per Christum, non autem erimus filii Dei sicut ille, absque discrimine, sed per gratiam, qua illum imitamur: est enim Filius ex Patre genuinus, nos vero adoptivi ex benignitate. Facta est enim et serva creatura vocatur ad supernaturalia solo nutu ac voluntate Patris; Filius vero, Deus et Dominus, *non decreto* Dei et Patris, *nec solum quia voluit, habet unde sit Deus et Filius,* sed ex ipsa substantia Patris effulgens, proprium eius substantiae bonum secundum naturam accipit. *RJ.* 2106.

S. Fulgentius, *Fragm. c. Fabian.*, 32. Quis umquam tantae reperiri posset insaniae, qui auderet Iesum Christum totius Trinitatis filium praedicare? Ecclesia quippe Dei vivi, columna et firmamentum veritatis, unum sciens Patrem unius Filii et unum sciens Spiritum Sanctum Patris et Filii, *numquam potest Iesum Christum filium Trinitatis dicere,* quia neque duos patres neque duos filios neque duos Spiritus Sanctos potest aliquatenus praedicare, Iesus Christus itaque *non solum secundum divinitatem,* (in qua naturaliter aequalis est Patri), sed et secundum animam et carnem, (in qua idem Deus consubstantialis est matri) *non solum Filius Dei*

Patris est, verum etiam unigenitus Filius. Proinde non solum *Iesum Christum filium Trinitatis omnino non dicimus, sed* etiam sic confitemur Iesum Christum *solius Patris Filium*, ut cum nullatenus separemus. Magnae quippe impietatis est, alium putare Christum, alium Iesum Christum, cum unus sit utique Dei et hominis Filius Iesus Christus, Filius scl. solius Patris. non totius utique Trinitatis. ML. 65, 803 D., 804.

Arg. 3. (E ratione theologica) *a*) Christus una est divina persona Filii Dei naturalis, cui convenit naturalis filiatio. *Atqui* Christus, etiam ut hic homo eadem est persona Filii Dei. *Ergo* Christo, etiam ut hic homo est, convenit naturalis filiatio secundae personae.

b) Filiatio est proprietas personae non naturae, (nam persona proprie in aliqua natura generatur). *Atqui* Filius Dei naturalis, inquantum humanitatem assumit eamque sua divina subsistentia sustentat; naturalem filiationem divinam non amittit. *Ergo* Christo. prout etiam in humanitate subsistit, convenit naturalis divina filiatio. Maria non hominem Iesum, sed Dei Filium secundum naturam humanam genuit. Ad rem S. *Thomas*, q. 23, a. 4. « Filiatio proprie convenit hypostasi, vel personae, non autem naturae, unde... filiatio est proprietas personalis; *in Christo* autem *non est alia persona* vel hypostasis, *quam increata, cui convenit esse filium per naturam* ». *Ergo* Christo, ut hic homo est, naturalis filiatio divina convenit.

Pars II. — Christus homo nullomodo est filius Dei adoptivus.

Arg. 1. (E damnatione adoptianistarum). *Hadrianus I.* (Ad Ep. Hisp., a. 875). Porro et de patribus vestris pervenit ad nos lugubre capitulum, quod quidam episcopi ibidem degentes, videlicet *Elipandus* et *Ascarius* cum aliis eorum consentaneis, Filium Dei adoptivum confiteri non erubescunt, quod *nullus quamlibet haeresiarcha talem blasphemiam ausus est oblatrare*, nisi perfidus ille Nestorius, qui purum hominem Dei confessus est Filium. *DB*. 299.

Idem *Hadrianus* (Ad Ep. Galliae, a. 793). Inter cetera reiiciendа (doctrina) de adoptione Iesu Christi Filii Dei secundum carnem falsis argumentationibus digesta, perfidorum verborum ibi stramina incomposito calamo legebantur. *Hoc catholica Ecclesia numquam credidit, numquam docuit,* numquam male credentibus assensum praebuit. *DB.* 309.

Conc. Francofordense (Ep. syn. episp. Galliae, a. 794). In primordio capitulorum exortum est *de impia ac nefanda haeresi Elipandi,* Toletanae sedis episcopi, et *Felicis,* Orgellitanae, eorumque sequacibus, qui male sentientes in Dei Filio asserebant adoptionem: quam omnes, qui supra sanctissimi Patres et respuentes una voce contradixerunt atque hanc haeresim funditus a sancta Ecclesia eradicandam statuerunt. *DB.* 314.

Conc. Foroiuliense (a. 796). Nec obfuit humana et temporalis nativitas divinae illi et intemporali nativitati, sed in una Christi Iesu persona verus Dei verusque hominis Filius. Non alter hominis filius et alter Dei. Non putativus Dei Filius, sed verus; non adoptivus, sed proprius, quia nunquam fuit propter hominem, quem assumpsit, a Patre alienus. Et in utraque natura proprium eum et non adoptivum Dei Filium confitemur, quia inconfusibiliter et inseparabiliter, assumpto homine, unus idemque est Dei et hominis Filius. Naturaliter Patri secundum divinitatem, naturaliter Matri secundum humanitatem, *proprius* tamen *Patri in utroque. DB.* 3007.

In *symbolo fidei* tum Leonis IX, tum conc. Lugdunensis confitemur Filium Dei non adoptivum. *DB.* 344, 462.

Arc. 2. (E ratione theologica) *a*) Christus homo nullomodo est filius Dei adoptivus, si, etiam ut hic homo, omnino adoptari non potest. *Atqui* Christus, etiam ut hic homo, omnino adoptari non potest. *Ergo* Christus homo nullo modo est filius Dei adoptivus.

Prob. min. Nonnisi persona patri extranea, generatione ab eo naturam non acquirens, adoptari potest. *Atqui* persona Christi, etiam ut hic homo est, Patri extranea non est, a Patre naturali

generatione divinitatem accipit. *Ergo* Christus homo nullomodo adoptari potest.

b) Qui aliquam perfectionem per essentiam possidet, illam per participationem habere nequit; tunc enim per essentiam esset ens tale et non esset. *Atqui* Christus per essentiam divinam est filius Dei naturalis. *Ergo* Christus nullomodo potest esse filius Dei adoptivus seu per participationem. «*Filiatio adoptionis*, inquit *S. Thomas* (q. 23, a. 4), est participata similitudo filiationis naturalis; non autem recipitur aliquid participative, quod per se dicitur: et ideo Christus, qui est filius Dei naturalis, nullomodo potest dici filius adoptivus ».

Schol. 1. De fundamento atque ratione filiationis divinae Christi hominis.

Omnes theologi in admittendo facto divinae filiationis Christi hominis unanimiter conveniunt. At in assignanda ratione huius filiationis divinae non sunt concordes. Secundum communiorem sententiam unica ratio divinae filiationis Christi hominis est *aeterna generatio* Verbi, quod humanitatem hypostatice sibi univit. Supposito igitur facto assumptionis naturae humanae a Verbo et supposita unica personalitate Filii Dei naturalis, qui etiam in humana natura subsistit, alia ratio filiationis divinae Christi, ut est hic homo, rationabiliter assignari non potest, *praeter et extra aeternam* hypostasis Verbi *generationem*.

Suarez (Disp. 49, Sect. 1); Vasquez (Disp. 89, c. 14); Platel (*Synopsis Cursus Theologici*, Pars IV, c. 7, § 4, n. 397) putant: aeternam generationem Filii Dei non posse esse fundamentum filiationis divinae Christi, ut est homo. Ex mente eorum *ratio filiationis divinae* Christi hominis *est* unio hypostatica seu *gratia unionis et sanctitatis substantialis*. Quare in Christo ab his theologis duplex filiatio divina naturalis distinguitur: filiatio *naturalis stricte dicta* et altera filiatio divina *analoga*, quae tamen non est filiatio dumtaxat adoptiva. « Si enim, inquit P. *Sua-*

rez, gratia accidentalis homines constituit filios, *cur non magis gratia unionis* constituet Christum ut hominem Dei filium? Per (unionem) hanc effectum est, ut ipsa humanitas vere et proprie sit substantialis natura ipsius filii Dei naturalis, atque adeo ut huic homini debeatur etiam in sua humanitate divina haereditas et beatitudo et consequenter ut etiam, in quantum homo, sit filius et haeres. Proprium igitur fundamentum filiationis divinae, quae convenit Christo ut homini, est ipsa gratia unionis » (1).

Iuxta *P. Vasquez* gratia unionis adeo est ratio atque fundamentum filiationis divinae naturalis, ut si Spiritus Sanctus humanitatem ad suam hypostasim assumeret, filius Dei naturalis vocaretur. « Quod si Pater humanitatem assumeret, non posset dici homo ille, quatenus homo, Pater Verbi aeterni, denominatione derivata ab ipsa paternitate; quare nec Christus dici potest Filius naturalis solius Patris, denominatione accepta ab ipsa filiatione Verbi; nam eodem modo sentiendum est de relatione paternitatis et filiationis, ut utraque aut neutra denominet extrinsece alienam naturam, aut personam secundum illam filium aut patrem... Quare *relatio filiationis naturalis in humanitate distincta est a relatione*, qua refertur persona *ad Patrem* aeternum: et ab ea, qua refertur ad matrem. Est autem nihil aliud, quam unio ipsa substantialis humanitatis cum persona, *ratione cuius deitate ipsa sanctificatur et haeres constituitur*, non solo affectu, sed naturali et vera coniunctione » (2).

Idem breviter recolit *Platel*: « Hinc dantur in Christo tres filiationes naturales; una *ad Patrem tantum*; altera *ad Matrem tantum*; tertia eaque minus propria, *ad Deum ut sic* » (3).

Quae omnia absona sunt et periculosa! 1° Nam inter filiationem divinam stricte *naturalem*, (cuius ratio est generatio aeterna Filii per Patrem); inter filiationem *adoptivam* (cuius ratio

---

(1) Suarez, Disp. 19, sect. 1 passim.

(2) Vasquez, *De Verbo Incarn.*, Disp. 89, c. 14, n. 83, 85.

(3) J. Platel. S. J.. *Synopsis Cursus Theologici*, Pars IV, c. 7, § 4, n. 397.

formalis est gratia sanctificans); aliqua inaudita et traditioni catholicae prorsus ignota, filiatio divina, « naturalis » introducitur, quae *nomen* filiationis divinae « *naturalis* » nullo pacto meretur. Verum equidem est: Christum, ut hic homo est, per unionem hypostaticam substantialiter sanctificari, ius ad haereditatem paternam acquirere; at substantialis *sanctificatio* et *acquisitio iuris* ad gloriam caelestem, cum *filiatione* divina *naturali* minime convertuntur. Filius naturalis a Patre generatione naturam accipit. Iamvero gratia unionis formaliter non est generatio Christi, ut est hic homo; Christus enim, qui in natura humana subsistit, *ab aeterno generatur*, dum unio in tempore obtinuit. Filiatio igitur illa, quae ex gratia unionis pullulat, nonnisi abusive filiatio « naturalis » appellari posset. *Unio hypostatica* divinitatis et humanitatis in persona Verbi cum *generatione* divina Christi non convertitur.

2. Vi illius « naturalis » filiationis Christi hominis, *Christus totius SS. Trinitatis filius appellari deberet;* ergo et filius naturalis sui ipsius! Quod quam sanae rationi adversetur, nemo non videt. « Est enim, inquit *P. Petavius*, inusitatum auribus et insolens, Christum, inquantum hominem, esse naturalem filium Patris, Filii et Spiritus Sancti. Quod magis etiam mihi absonum videtur, quam *adoptivum* illorum esse filium » (1).

3. Si in Christo duae filiationes divinae darentur (stricte et late dicta): tunc etiam Christus duo essent filii; filiatio enim est proprietas filii. « Rursus, subsumit *P. Petavius*, non idem erit Dei et Virginis Filius, neque θεότοκος haec erit, *si, quem peperit, non est Deo genitus,* nec ea ratione naturalis Dei Filius, qua a patre processit, sed alia quadam et aequivoce, improprieque sumpta, hoc est minime naturali » (2).

4. Quare cum communiori Theologorum sententia, putamus; unicam rationem filiationis divinae Christi hominis aeternam Verbi generationem esse, quod ad hypostasim suam divinam, generatam vere et aeternaliter a Patre, assumpsit humanam na-

---

(1) D. Petavius, *De Incarnatione,* 7, 5, 14.
(2) D. Petavius, *loci cit.*, n. 13.

turam. « Nomina enim, inquit S. Thomas, paternitatis et maternitatis et filiationis *generationem* consequuntur... Et siquidem perfecta sit similitudo, erit perfecta filiatio tam in divinis, quam in humanis; si autem similitudo sit imperfecta, erit etiam filiatio imperfecta, sicut in homine est quaedam similitudo Dei imperfecta, et in quantum creatus est ad imaginem Dei, et in quantum recreatus est secundum similitudinem gratiae; et ideo utroque modo potest homo dici filius Dei; et quia scl. est creatus ad imaginem eius; et quia est assimilatus ei per gratiam. Est autem considerandum, quod illud, quod de aliquo dicitur secundum perfectam rationem, non est dicendum de eo secundum rationem imperfectam; sicut quia Socrates dicitur naturaliter homo secundum propriam rationem hominis, numquam dicitur homo secundum illam significationem, qua pictura hominis dicitur homo, licet forte ipse assimiletur alteri homini. Christus autem est filius Dei secundum perfectam rationem filiationis; unde quamvis secundum humanam naturam sit creatus et iustificatus, *non* tamen *debet dici filius Dei neque ratione creationis, neque ratione iustificationis*, sed ratione generationis aeternae, secundum quam est filius Patris solius et *ideo nullomodo debet dici Christus filius Spiritus Sancti, nec etiam totius Trinitatis* » (q. 32, a. 3).

Schol. 2. De praedestinatione Christi.

Conc. Toletanum XI praedestinationem Christi, ut articulum fidei, credendam proponit; « Christus habet in se geminam substantiam divinitatis suae et humanitatis nostrae. Hic tamen per hoc, quod de Deo Patre sine initio prodiit, *natus* tantum, nam *neque factus, neque praedestinatus* accipitur; per hoc tamen, quod e Maria Virgine natus est, et natus et factus et *praedestinatus esse* credendus est ». *DB.* 285.

Cum praedestinatio non aliud sit quam *pars divinae providentiae* in ordine supernaturali; recte concipitur et definitur: aeterna Dei praeordinatio eorum, *quae per divinam gratiam in tempore futura sunt. Atqui* in tempore, per di-

vinam gratiam factum est, ut Verbum humanam naturam cum sua divina hypostasi univisset, ut Deus-Verbum homo Christus esset. *Ergo* Christus recte praedestinatus dici potest. « Relinquitur ergo (ait Angelicus), quod praedestinatio recte attribuatur *personae* Christi, *non* quidem *secundum* se, vel secundum quod subsistit in divina natura, sed *secundum quod subsistit* in humana natura » (q. 24, a. 1).

Subiectum huius praedestinationis est persona Christi, non simpliciter, sed cum addito. *Persona* tamen, non natura humana; quia natura proprie non praedestinatur. « Non enim dicimus naturam alicuius praedestinari, sed ipsum suppositum: quia *praedestinari* est dirigi in salutem; quod quidem est suppositi agentis propter beatitudinis finem » (S. Th., q. 24, a. 1). Hypostasis divina Christi *secundum se spectata*, prout in divina natura subsistit, *non praedestinatur*, neque praedestinari potest; nam ita considerata ab aeterno a Deo Patre generatur. Eadem tamen *persona divina Christi*, quatenus in humana natura subsistit, *praedestinatur*.

Nam secundum naturam humanam Filius Dei in definita plenitudine temporis ex semine David, ex Maria Virgine mirabiliter natus est; quod casu non accidit, sed secundum divinam praeordinationem evenit. *Ergo* Christus homo et unio hypostatica recte praedestinata dici possunt et debent. Licet homines ad beatitudinem aeternam seu ad unionem cum Deo per visionem beatificam obtinendam praedestinentur, Christus proprie ad unionem hypostaticam praedestinatus esse dicitur. Assertum nostrum auctoritate S. Thomae confirmatur: « Praedestinatio attribuitur Christo ratione solius naturae humanae; nam natura humana *non semper fuit* Verbo *unita* et ei etiam *hoc per gratiam est collatum*, ut Filio Dei in persona uniretur: et ideo solum ratione humanae naturae praedestinatio competit Christo. Hoc autem dicimus convenire alicui, secundum quod homo, quod ei convenit ratione naturae humanae: et ideo dicendum est, quod Christus, secundum quod homo, est praedestinatus » (q. 24, a. 2).

Solvuntur difficultates.

1. Qui non est Deus, non est filius Dei naturalis. *Atqui* Christus, ut hic homo, non est Deus. *Ergo* Christus, ut hic homo, non est filius Dei naturalis.

Resp. C. mai. Dist. min. Ut hic homo, sensu reduplicativo i. e. ratione humanae naturae, *qua* homo, non est Deus, *C. min.* In sensu specificativo i. e. *qui* est verus homo, non est verus Deus, *N. min.* Similiter distinguo consequens.

2. Filius Dei naturalis per aeternam generationem a Patre procedit. *Atqui* Christus, ut hic homo, a Patre per aeternam generationem non procedit. *Ergo* Christus, ut hic homo, non est filius Dei naturalis.

Resp. C. mai. Dist. min. Christus qua homo, secundum rationem humanam a Patre per aeternam generationem non procedit, *C. nin.* Qui est homo, a Patre per aeternam generationem non procedit, *N. min.* Pariter distinguo consequens

3. Filius Dei naturalis per aeternam generationem Patri suo est consubstantialis et coaequalis. *Atqui* Christus, ut hic homo, non est Patri suo consubstantialis et coaequalis. *Ergo* Christus, ut hic homo, non est filius Dei naturalis.

Resp. C. mai. Dist. min. Christus qua homo seu ratione humanitatis non est Patri consubstantialis, *C. min.* Qui est homo qui in natura humana subsistit, non est Patri consubstantialis, *N. min.* Similiter distinguo consequens.

4. De ratione Filii Dei naturalis est; ut sit perfecta imago Patris. *Atqui* Christus, ut hic homo, non est perfecta imago Patris. *Ergo* Christus, ut hic homo, non est filius Dei naturalis.

Resp. C. mai. Dist. min. Christus qua homo, per suam humanitatem et ratione humanitatis non est perfecta imago Patris, *C. min* Qui est homo, non est perfecta imago. *N. min.* Eadem ratione distinguo consequens.

5. Persona Deo extranea non est filius Dei naturalis. *Atqui* Christus, ut hic homo, est persona Deo extranea. Nam Verbum ut subsistens in humana natura, vices gerit personae humanae; sed persona humana est Deo extranea. *Ergo* Christus ut subsistens in natura divina non est filius Dei naturalis.

Resp. C. mai. N. min. Ad probationem *distinguo maiorem*: Verbum vices gerit humanae personae ita, ut in Christo sit persona humana praeter unicam divinam, *N. mai.* Vices gerit humanae personae, quin sit persona humana. *C. mai.* Christus enim est persona divina, sustentans naturam humanam, et ratione humanitatis, quae per Verbum subsistit, Deus est homo.

Cap. 3. — De adoratione Christi hominis.

Thes. 12. — Eodem cultu latriae, quo Verbum adoratur, Christus, etiam ut hic homo, adorandus est eiusque Cor sacratissimum speciatim.

S. Th., q. 25, a. 1 et 2; Suarez, Disp. 53, Sect. 1-3; Franzelin, th. 45; Muncunill, Disp. 20, a. 1, 2; Janssens, q. 25, a. 2, pg. 304 seq.; Pesch, th. 16, 17; Billot, th. 37, 38; Otten, th. 19, 20; Galtier, th. 19, 20; Hugon, q. 13, a. 1, 2.

Status Quaestionis.

Cum Christus, etiam ut hic homo, sit filius Dei naturalis; ad id creaturae erga Christum hominem tenentur, quod Filio Dei naturali debent. *Atqui* Verbo Dei, ratione divinitatis et supremi in creaturas dominii, cultus latriae seu adoratio debetur. *Ergo* pariter Iesus homo cultu divino adorandus est. Hoc consectarium, quod ex antecedentibus sponte fluit, enucleatius in duabus partibus huius theseos evolvemus. In I^a *parte* universim de adorabilitate Christi, ut hic homo est, agemus. In II^a *parte* de adorabilitate speciatim SS. Cordis Iesu disseremus.

Explicatur et probatur pars I^a: de adorabilitate Christi, ut hic homo est.

1. Cultus lato sensu est *honor* alteri exhibitus. Honor vero est *reverentia* alicui exhibita propter sui excellentiam. Honor ergo supponit excellentiae agnitionem et importat huius agnitionis aliquam manifestationem. Etiam aequales invicem, mutuo sibi honorem praestare possunt. Cultus nonnisi superiori defertur. Cultus stricto sensu definitur: *honor cum submissione* alicui exhibitus *propter agnitam eius excellentiam*. Secundum triplex genus excellentiae triplex quoque cultus distinguitur. Excellentiae *increatae* cultus latriae seu adoratio proprie dicta debetur . Excellentiae *supernaturali creatae* cultus

duliae tribuitur, vg. Sanctis. Quoniam vero in ordine supernaturali Beatissima Virgo Maria excellentia donorum gratiae et gloriae omnes creaturas superexcedit, Mariam speciali cultu hyper-duliae prosequimur. Excellentiae creatae *naturali* cultus observantiae civilis correspondet; iuxta illa Pauli: *Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.* (*Rom.* 13, 7).

2. Adoratio seu cultus sive latriae sive duliae tria complectitur: *a*) *actum intellectus*, quo excellentia sive creata sive increata agnoscitur; *b*) *iudicium* de honestate vel debito adorationis; *c*) *actum voluntatis* imperantis significationem submissionis. Si eminentia superioris tantum mente agnoscitur, et agnitio excellentiae ad extra non manifestatur; cultus internus habetur. E contra, si haec agnitio signis externis ad extra manifestatur; cultus externus alteri impenditur. Cultus dicitur absolutus, si aliquid adoratur *propter excellentiam propriam.* Cultus relativus, si aliquid adoratur propter excellentiam *non propriam*, sed alterius, quocum res adorata coniungitur. *Propria* excellentia esse potest vel *per identitatem*, quod in solo Deo obtinet; vel per formam *inhaerentem*, quod in sanctis contingit; vel per *unionem substantialem*, qualis habetur inter Verbum et humanitatem. Propter excellentiam *non propriam* venerantur *imagines*, quibus cultus praestatur propter sanctos, quos repraesentant; *vasa sacra* propter id, quod continent, venerantur; *crux* adoratur propter Eum, qui in illa pependit.

3. Motivum formale, seu obiectum formale (*quo*) adorationis est *excellentia*, propter quam alteri cultus praestatur. Obiectum materiale est *res* illa, cui cultus exhibetur, *quae* a nobis adoratur [1]. *Obiectum formale* adorationis Christi

[1] *Absoluta* vel *relativa* adoratio distinguitur praecise secundum habitudinem obiecti formalis ad materiale. Si excellentia atque dignitas *in ipso subiecto* cultus residet, adoratio *absoluta* habetur. *Relativa* adoratio defertur alicui subiecto *non propter suam intrinsecam excellentiam*, sed propter excellentiam alterius, quocum obiectum materiale aliquam connexionem habuit vel habet.

est divina excellentia Verbi. Obiectum *materiale totale* est totus Christus seu compositum theandricum. Obiectum *materiale partiale* est humanitas Verbo unita, vel ipsius humanitatis diversae partes. Cultus, quo humanitatem Christi prosequimur, non modo ad Verbum, verum etiam *immediate* ad humanitatem terminatur. Nam divina excellentia Verbi propria est humanitati per hypostaticam, substantialem unionem. Adoratio igitur humanitatis est *absoluta;* quippe quae adoretur propter excellentiam suppositi *proprii*, suppositi divini, quod in humana natura subsistit. *Partes* humanitatis Christi, essentiales et integrales, omnes et quaelibet earundem, coluntur eodem modo et ex eadem ratione. Immediate quidem et *signate* aliqua pars humanitatis Christi adorari potest, ut puta: facies sacra, manus, pedes, vulnera; quod tamen *exercite* in cultum totius suppositi theandrici non potest non vergere. Persona est, quae colitur.

4. Quibus praestitutis, facilius pars I^a^ thesis eiusque sensus percipietur. Affirmamus igitur: Christum *hominem* cultu latriae absoluto, non relativo adorandum esse; aliis verbis affirmamus: totam humanitatem Christi, cum omnibus et singulis partibus, sive essentialibus, sive integrantibus cultu latriae absoluto adorandam esse: quippe quae tota cum omnibus suis partibus ad hypostaticam unionem assumpta sit. *Motivum formale* cultus humanitatis Christi est excellentia increata Verbi. Obiectum *materiale partiale*, diversum esse potest; vg. sanguis, caput, manus, vulnera. *Terminus* cultus *totalis* semper erit Verbum in carne humana existens.

5. Fundamentum cultus latriae absolutae, qua humanitas Christi adorari posset, subvertitur atque destruitur ab his omnibus, qui veram divinitatem Christi inficiati sunt. Ab *Arianis, Socinianis, Rationalistis* ergo Christus homo nonnisi idololatrice adoraretur. *Nestoriani* pariter *absolutam* adorationem humanitatis Christi impossibilem reddunt; quia secundum Nestorianos Verbum dumtaxat *moraliter* cum humanitate unitur; adeoque humanae naturae Christi nonnisi cultus *relativus* tribui posset. Hinc in

Anathem. Cyril. Can. 8 legimus: Si quis audet dicere assumptum hominem coadorandum Deo Verbo, et conglorificandum et connuncupandum Deum tanquam alterum cum altero. A. S. *DB.* 120. Wicleff et Wicleffitae docebant; humanitati Christi *tantum relativam* adorationem praestari posse. Iansenistae catholicos calumniabantur, quasi christifideles humanitati per se spectatae, cum Verbo hypostatice non unitae, cultum latriae impenderent. (Cfr. *DB.* 1561). *Pars* I^a thesis *definita* est.

PROBATUR THESIS.

Pars I. — Christus, ut hic homo, adorandus est.

ARG. 1. (E DEFINITIONIBUS). *Anath. Cyril., Can.* 8. Si quis non una supplicatione veneratur Emmanuel unamque ei glorificationem dependit, iuxta quod *Verbum caro factum est.* A. S. *DB.* 120.

Tria Capitula, Can. 9. Si quis in duabus naturis adorari dicit Christum, ex quo *duas adorationes* introducunt, *separatim* Deo Verbo et *separatim* homini: vel si quis ad interemptionem carnis vel ad confusionem deitatis et humanitatis, unam naturam sive substantiam eorum, quae convenerunt introducens, sic Christum adorat, sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorat, sicut ab initio ecclesiae traditum est. A. S. *DB.* 221. *Can.* 9. Si quis defendit (Christum) ... *ad similitudinem imperialis imaginis* in persona Dei Verbi adorari. A. S. *DB.* 224.

Pius VI damnavit prop. 61 Pistoriensium. Propositio, quae asserit, *adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam eius partem, fore semper honorem divinum datum creaturae;* quatenus per hoc verbum « *directe* » intendat reprobare adorationis cultum, quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, qua humanitas ipsaque caro vivifica Christi adoratur, non quidem propter se et tamquam nuda caro, sed prout unita divinitati, foret honor divinus

impertitus creaturae et non potius una eademque adoratio, *qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur*; — falsa, captiosa, pio ac debito cultui humanitati Christi a fidelibus praestito ac praestando detrahens et iniuriosa. *DB.* 1561.

Arg. 2. (E S. Scripturis). Humanitati Christi divina adoratio debetur, si secundum S. Scripturas, Christus, ut incarnatus, ut hic homo, adorandus et cultu divino honorandus est. *Atqui* hortantibus S. Scripturis, Christus ut incarnatus, ut hic homo, adorandus et cultu divino honorandus est. *Ergo humanitati* Christi divina adoratio debetur.

Prob. min. In ep. ad *Hebr.* 1, 6 ad adorationem Filii Dei, qui in orbem terrae *in carne* introducitur, per quem novissime Deus est locutus, angeli invitantur. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei.* Procul dubio Deo Patri cultus latriae a nobis debetur. Sed Christo, *ut est hic homo* idem cultus debetur. *Ioan.* 5, 23. 27; *Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem: qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem.* (Pater) *potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est. Phil.* 2, 8-11; Propter oboedientiam usque ad mortem in cruce, *Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infernorum et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.*

Arg. 3. (E doctrina Patrum).

S. Athanasius, *Adv. Ar. Or.*, 1, 42. Quatenus Dei Verbum et in forma Dei erat, semper fuit adoratum; ita idem etiam quatenus homo factus et vocatus Iesus, universas res creatas sub pedibus subiectas habet, omnesque in hoc homine ipsi flectunt genua, confitenturque non ignominiosum eius divinitati, sed gloriosum Deo Patri esse, quod Verbum caro factum sit et mortem carne subierit. Cum enim caeli et potestates, angeli et archangeli, qui Dominum semper adoravere, nunc eum in nomine Iesu adorent, nostra profecto gratia et gloria est, quod

etiam homo factus Dei Filius adoretur. *RJ.* 762. *Ep. ad Adelphium*, 3. Itaque *creatam rem non adoramus*, absit! Sed rerum creatarum Dominum, carnem factum, Dei Verbum adoramus. Etsi enim ipsa caro seorsum spectata pars sit rerum creatarum, attamen *Dei facta est corpus*. Neque vero huiusmodi corpus dividentes adoramus, neque, cum Verbum volumus adorare, ipsum a carne removemus, sed, ut superius diximus, haec: *Verbum caro factum est*, non ignorantes, idem Verbum in carne existens, Deum agnoscimus. Quis ergo adeo demens sit, ut Domino dicat: Recede a corpore, ut te adorem? *RJ.* 795.

S. Cyril. Hieros., *Catech.*, 12, 1. Neque enim licet nudum *hominem adorare*, nec Deum solummodo absque humanitate dicere pium est. Si enim Deus est Christus, uti revera est, humanitatem autem non assumpsit, alieni a salute sumus. *Adoretur igitur ut Deus*, credatur vero, quod humanam quoque naturam induit. *RJ.* 827.

S. Ambrosius, *De Spir. S.*, 3, 11, 79. Per scabellum (*Isai.* 66, 1) terra intelligitur; per terram autem *caro Christi*, quam hodie in mysteriis adoramus et quam Apostoli in Domino Iesu adorarunt; neque enim divisus est Christus sed unus, neque, cum adoratur tamquam Filius Dei, natus ex Virgine denegatur: Ac, ne quis hoc derivet ad Mariam virginem: Maria erat templum Dei, non Deus templi. Et ideo ille solus adorandus est, qui operabatur in templo. *RJ.* 1285.

S. Augustinus, *Enar. in Ps.* 98, n. 9. Et quomodo adorabimus terram, cum dicat aperte Scriptura: Dominum Deum tuum adorabis? Et invenio, quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terra terram; quia caro terra est et de carne Mariae carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; *nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit;* inventum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini et *non solum non peccamus adorando, sed* peccemus non adorando. ML. 37, 1264.

S. Cyril. Alex., *Thesaur.*, 20. Verbum Dei semper est altissimum ut Deus, exaltatur autem ut homo; cumque sit nullius indigus ut Deus, dicitur accipere ut homo; *adorabatur semper ut Deus*, nunc adorationem suscipit ut homo. *RJ.* 2071.

S. Ioan. Damasc., *De Fide orth.*, 3, 8. Quapropter unus est Christus, Deus perfectus et homo perfectus, cui unam eamdemque adorationem cum Patre et Spiritu, non exclusa immaculata eius carne, adhibemus. *Neque enim adorandam esse eius carnem negamus*: quippe quae adoretur in una persona Verbi, quae quidem ipsi persona facta est. Qua in re non creaturae servimus; *non enim illam ceu nudam carnem adoramus*, sed velut divinitati unitam et quia duae ipsius naturae ad unam Dei Verbi personam redu-

cuntur unamque subsistentiam. Carbonem tangere ob ignem cum ligno coniunctum vereor. Ambas Christi naturas ob unitam carni divinitatem adoro. *RJ.* 2363.

Arg. 4. (E ratione theologica). Christus est unum subsistens in duabus naturis. *Atqui* personae divinae, licet in duabus naturis subsistenti, idem cultus divinus debetur. *Ergo* Christo, etiam ut hic homo est, seu in natura humana cultus divinus debetur. *Prob. min.* Quamvis motivum formale divini cultus Christi hominis sit Verbi divinitas; *adoratio tamen toti personae divinae debetur*. Porro haec hypostasis in humanitate subsistit. *Ergo* humanitati quoque Christi divinus cultus debetur. Ad rem *Angelicus*, q. 25, a. 2. Honor adorationis proprie debetur hypostasi subsistenti; tamen ratio honoris potest esse aliquid non subsistens, propter quod honoratur persona, cui illud inest: *adoratio* igitur *humanitatis Christi* potest intelligi..., ut sit eius sicut rei adoratae; et sic adorare carnem Christi, nihil aliud est, quam adorare Verbum Dei incarnatum: sicut adorare vestem regis nihil aliud est, quam adorare regem vestitum; et secundum hoc adoratio humanitatis Christi est adoratio latriae.

Explicatur et probatur pars IIª: de adorabilitate SS. Cordis Iesu.

1. Cum e revelatione et sana ratione constet: divinam personam Christi adorabilem et adorandam esse, constat quoque omnibus partibus humanitatis ad unitatem hypostaticam assumptis cultum latriae deferendum esse. *Signate* quaedam partes humanitatis Christi prae aliis cultu latreutico venerari possunt. Nam communi sensu et pietate christiana duce, certis corporis humani partibus maior prae caeteris honor exhibetur, vg. cordi eximiorum vivorum, stigmatibus sanctorum, brachio S. Francisci Xaverii et similibus. In Christo Iesu pietas catholica varia speciali devotione colit, vg. pretiosissimum sanguinem, caput spinis coronatum, manus pedesque clavis confixos, latus lancea perforatum etc. Ut au-

tem aliqua pars humanitatis Christi specialiter adoretur vel aliquod mysterium vitae Iesu speciali festo colatur, aliquod speciale *motivum* dari debet. In mysteriis, quae liturgia catholica singulis annis recolit *obiectum integrum* est utique Christus ipse; Christus scl. nascens, patiens, resurgens. Obiectum *immediatum* seu *directum* est humanitas, secundum quam operatur Christus in his adiunctis; *motivum speciale est* manifestatio Verbi in certo ac determinato facto, quod nostrae pietati contemplandum proponitur. Porro quam maxime insignis manifestatio Verbi in SS. Corde Iesu habetur. De adorabilitate igitur Cordis Iesu quaedam nunc subnectemus.

2. Triplex est significatio nominis cor. *Physice* nomine cordis intelligitur illud organum corporis humani, quod sanguinem in omnes organismi humani partes diffundit. Cor physicum, quamvis probabilius totius vitae affectivae sedes non sit, tamen cum vita affectiva hominis intime consertum est. *Metaphorice* nomine cordis amor designatur. Hoc sensu metaphorico etiam de corde Dei i. e. de amore divino quandoque sermo fit et haec significatio metaphorica in omnibus linguis sub multiplici forma occurrit. *Symbolice* cor physicum ipsum amorem designat; quia nempe cor carneum ut *signum* vel tessera *amoris* adhibetur. *Ratio* illius symbolicae *significationis* partim conventionalis, partim physiologica est; quia sensus amoris cor carneum quam maxime experitur iisque commovetur.

3. Duo in parte II^a^ praestabimus: *a*) universim demonstrabimus Cor Iesu, (sive cor carneum sive symbolicum nomine cordis intelligatur), *adorabile et adorandum esse. b*) Accuratius determinare conabimur, *quali significatione Cor Iesu in cultu publico et liturgico sumatur*, ex quo obiectum directum et proprium devotionis erga Cor Iesu patebit.

Cor Iesu lancea in cruce perforatum, amore nostri flagrans, ab eximiis viris et sanctis, ut sunt: Augustinus, Anselmus, Bernardus, Franciscus Assisiensis, Bonaventura, B. Suso, Tauler, S. Bernardinus, Petrus Canisius, Bérulle, Saint-Jure, Surin,

S. Ioannes Eudes, Franciscus Salezius, ardenti et speciali cultu venerabatur (1).

Institutioni specialis, publici, liturgici festi SS. Cordis Iesu vigorosaeque evolutioni devotionis erga Cor Sacratissimum occasionem dederunt *revelationes* privatae, in quibus miserentissimus Servator noster S. *Margaritae Mariae Alacoque* († 1690) desideria sua manifestavit. Cultus tamen publicus et liturgicus, quem ecclesia catholica SS. Cordi Iesu hodie impendit, in revelationibus privatis minime innititur. Devotio enim erga Cor Iesu in veritatibus revelatis et inconcussis, theologicis principiis fundatur; quod inter Theologos catholicos sine ulla contestatione admittitur.

4. Theologi Catholici in assignando *proximo et directo obiecto cultus* SS. Cordis non concordant: quidam dumtaxat cor *physicum*, quidam dumtaxat cor *metaphoricum* colendum esse arbitrantur. In documentis ecclesiasticis *utrumque* adorandum proponitur.

P. Perrone S. I. (2) et F. X. Leitner (3) docent: obiectum directum et adaequatum cultus SS. Cordis Iesu ipsius *cor carneum, physicum* esse. *Motivum* huius cultus amorem Iesu esse putant; et amor non proponitur ut obiectum adorationis.

E regione huic opposita est opinio P. I. Jungmann S. I., (4) qui censuit in cultu SS. Cordis Iesu principaliter

---

(1) Plura videsis: K. Richstaetter, S. I., *Die Herz-Jesu Verehrung des deutschen Mittelalters*, Regensburg 1924²; Idem, *Deutsche Herz-Jesu Gebete des 14 und 15 Jahrhunderts*, Regensburg 1921; A. Hamon. S. I., *Histoire de la dévotion au Sacré-Coeur*. II. *L'aube de la dévotion*, Paris 1925; III. *Paray-le-Monial*, Paris 1927; Kanters, *La dévotion au Sacré Coeur de Jésus dans les anciens états de Pays-Bas* (XIIe-XVIIe siècle) Bruxelles 1928.

(2) Cfr. Perrone, *De Incarnatione*, p. 2, c. 4, a. 2, prop. 2.

(3) F. X. Leitner. *Ein Wort über den Gegenstand der Andacht zum hl. Herzen Jesu*, Freiburg 1874, pg. 17 seq.

(4) I. Jungmann S. I., *Fünf Sätze zur wissenschaftlichen Erklärung der Andacht zum göttlichen Herzen Jesu*, Innsbruck 1869; Idem, *Die Andacht zum hl. Herzen Jesu und die Bedenken gegen dieselbe*, Innsbruck 1871 pg. 27 seq., 37 seq.

amorem venerari; cor vero physicum eatenus respici, quatenus, ut symbolum amoris, ad colendum invisibilem amorem iuvat et confert.

P. Th. Lempl (1), P. H. Noldin S. I. (2), Fr. Diekamp (3), L. Lercher S. I. (4), putant: obiectum cultus SS. Cordis non proprie cor physicum, non proprie et directe cor metaphoricum, sed cor *ethicum* esse. Porro cor ethicum, cor sensu amplo, nihil aliud est quam principium et subiectum vitae moralis, interioris (5). « Cor Iesu, quod colimus et adoramus, inquit *Lempl*, complectitur omnes partes interiores organicas et psychicas Domini, quae ad actiones morales utcumque concurrunt, i. e. animam cum suis facultatibus spiritualibus, *intellectum et voluntatem, vim imaginativam et appetitum sensitivum cum organis suis corporeis*, tandem cor corporeum tamquam fundamentum et principium totius conceptus magni et ampliati « cordis », idque ut fontem et sedem interioris vitae Domini » (6).

Longe maior pars Theologorum pro obiecto *proprio et directo cultus* SS. Cordis Iesu ipsius cor physicum et amorem

---

(1) Th. Lempl, *Das Herz Jesu*, Brixen 1909.

(2) H. Noldin, *Die Andacht zum hl. Herzen Jesu*, Innsbruck 1923 [11] pg. 80-160.

(3) Fr. Diekamp, *Katholische Dogmatik*, Münster. 1921 [5] II. pg. 237 seq.

(4) L. Lercher, *Institutiones Dogmaticae*, III. *De Verbo Incarnato*, Innsbruck 1925 pag. 139 seq.

(5) « Quaeritur iam, ait *P. Lercher*, quaenam partes in homine constituant eius *cor ethicum*. *Pars* quaedam et quidem maxime *essentialis*, certe est anima rationalis, intellectu et voluntate, habitibus moralibus acquisitis et infusis praedita. Sed cum actibus moralibus spiritualibus concurrunt, quod notum ex psychologia supponitur, affectiones vel *passiones sensiles*, quae organis corporeis exercentur, ita ut arcta vicissitudo inter actus spirituales et passiones sensiles vigeat. Ratione huius vicissitudinis etiam passiones sensiles de indole morali actuum spiritualium participant. Itaque principium et subiectum vitae moralis interioris praeter animam etiam organa corporea comprehendit. *Quaenam?* Cor ethicum igitur includit ut partem aliquam notabilem cor organicum ». Cfr. *Lercher*. Op. Cit., pg. 145.

(6) Cfr. Lempl, Op. Cit., pg. 222.

(seu cor *physicum* et *metaphoricum*) proponit, ut videre est apud Franzelin, Muncunill, Janssens, Pesch, Billot, Otten, Hugon, Galtier, N. Nilles (1), Le Roy (2), Terrien (3), Nix (4), Bainvel (5), Vermeersch (6). In adaequatum obiectum cultus SS. Cordis Iesu intrat: cor ipsius *carneum*, vivum, animatum, gloriosum, cum Verbo Dei hypostatice unitum. Haec igitur pars integrans organismi vivi D. N. Iesu Christi, quae procul dubio affectibus amoris humani commovebatur est *obiectum cultus partiale*. In cultu S. Cordis pariter *amorem* Christi tam *humanum* quam *divinum* veneramur, cuius cor *carneum signum est atque symbolum*. Neque ergo solum cor carneum, neque solum amorem colimus; sed utrumque simul; videlicet cor physicum amore erga nos flagrans. Colimus igitur *cor* Christi *physicum ut amoris symbolum et ipsum amorem* sub hoc symbolo expressum; immediate quidem *amorem creatum*, humanum; mediate etiam amorem *increatum*, a quo amor creatus promanat. Increatus amor attingitur *exercite*, quia cum persona Verbi re identificatur, et quia amor humanus Iesu personae Verbi tribuitur. *Signate et immediate* colitur amor humanus, siquidem illius amoris cor physicum est symbolum (7).

5. Capitales *adversarii* cultus SS. Cordis Iesu Iansenistae fuerunt. Cultum hunc licitum, immo debitum esse, res est *theo-*

---

(1) N. Nilles. *De Rationibus festorum Sacratissimi Cordis Iesu et Purissimi Cordis Mariae*, Oeniponte 1873 3.

(2) Le Roy. *De SS. Corde Iesu eiusque cultu*. Leodii 1882.

(3) J. Terrien S. I., *La dévotion au Sacré Coeur de Jésus*, Paris 1893 pag. 10 seq.

(4) Nix, *Cultus sanctissimi Cordis Iesu*, Frib. Br. 1905 3 pg. 44 seq.

(5) Bainvel, *La dévotion au Sacré Coeur de Jésus*, Paris 1906.

(6) A. Vermeersch, *Pratique et doctrine de la dévotion au Sacré Coeur*, Tournai 1919 2 II. pg. 15 seq.

(7) Quoad hoc ultimum incisum etiam inter Theologos est dissensus; quidam *tantum* humanum, alii *etiam* divinum amorem Christi venerari intelligunt; qua de re cfr. Galtier, Op. Cit. pg. 250; P. Vermeersch, Op. Cit., c. 1, a. 5 § 2, pag. 36 seq.

logice certa. Obiectum huius cultus *tam* cor carneum *quam* amorem Iesu Christi esse, ex documentis ecclesiasticis *fere certum* apparebit.

PROBATUR PARS IIª.

Assertum 1: Cor Iesu adorandum est.

ARG. 1. (EX ADORABILITATE PARTIUM INTEGRANTIUM).

His partibus humanitatis Christi cultus divinus impendi potest et debet, quibuscum Verbum Dei hypostatice unitur; hae partes enim sunt hypostatice Verbi Dei, ad illud hypostatice pertinent. *Atqui* Cor Iesu cum Verbo Dei hypostatice unitur. *Ergo* Cordi Iesu cultus divinus praestari potest et debet.

Ad mai. Damnata est *prop. 63 Pistoriensium*. Item in eo, quod cultores Cordis Iesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant, sanctissimam *carnem* Christi, aut eius *partem aliquam*, aut etiam humanitatem totam cum separatione aut praecisione *a divinitate adorari* non posse cultu latriae: quasi fideles Cor Iesu *adorarent cum separatione vel praecisione a divinitate*, dum illud adorant, ut est Cor Iesu, cor nempe personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exsangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut praecisione a divinitate adorabile fuit in sepulcro: — captiosa, in fideles Cordis Christi cultores iniuriosa. *DB*. 1563.

ARG. 2. (EX AUCTORITATE ROM. PONTIFICUM). Cordi Iesu cultus latreuticus est praestandus, si Romani Pontifices cultum publicum SS. Cordis Iesu non solum ut licitum permiserunt, sed etiam ut obligatorium commendarunt. *Atqui* utrumque praestitere Romani Pontifices. *Ergo* Cordi Iesu cultus latreuticus est praestandus.

Ad mai. Romani Pontifices in introducendo cultu publico et universali sunt infallibiles; cultus enim intime cum rebus fidei et morum nectitur.

Prob. Min. Clemens XIII anno 1765 celebrationem festi SS. Cordis Iesu in regno Poloniae permisit; officium et missam de SS. Corde approbavit.

Pius VI a. 1794 propos. 62 Pistoriensium *ut falsam* damnavit. « Doctrina, quae devotionem erga sacratissimum Cor Iesu reicit inter devotiones, quas notat velut novas, erroneas aut saltem periculosas; *intellecta de hac devotione, qualis est* ab Apostolica Sede *probata*: — falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, *in Apostolicam Sedem iniuriosa* ». *RJ.* 1562.

Pius IX. a. 1856 festum SS. Cordis ad universam extendit Ecclesiam. « Exinde cultus Sacratissimi Cordis, quasi flumen exundans, prolutis impedimentis omnibus, per totum se orbem effudit » (1).

Leo XIII. a. 1899 consecrationem universi orbis dulcissimo Cordi iniunxit atque devotionem erga illud *ut probatissimam religionis formam commendavit.* « Probatissimam religionis formam, quae in cultu Sacratissimi Cordis versatur, sancte tueri ac maiore in lumine collocare non semel conati sumus, exemplo Decessorum Nostrorum *Innocentii XII, Benedicti XIII, Clementis XIII, Pii VI* eodemque nomine VII ac IX: idque maxime per decretum egimus die 28 Iunii mensis an. 1889 datum, quo scl. festum eo titulo ad ritum primae classis eveximus. Itaque amplissimum *istud maximumque obsequii et pietatis testimonium omnino convenit Christo Iesu,* quia ipse est princeps ac dominus summus » (2).

Pius XI. a. 1928 festum S. Cordis Iesu ad ritum duplicis 1ae classis cum octava evexit et piacularem precationem in omnibus christiani orbis templis quotannis recitandam mandavit. De-

---

(1) Officium novum *Brev. Rom.* Lect. 6.

(2) Cfr. V. Piazzesi, *Acta Sanctae Sedis*, t. 31. Romae 1898-99 pg. 546, 647. « Quae consecratio, in omnibus quidem catholici orbis ecclesiis, solemni ritu peracta, ingens attulit devotionis huius incrementum et ad eam non solum populos, verum etiam singulares familias adduxit, quae divino Cordi innumerabiles se devovent regioque eius imperio subiiciunt ». (*Brev. Rom.* Nov. Offic. Lect. 6).

votionem erga Cor Sanctissimum naufraganti mundo « *arcum apparentem in nubibus* » edicit fore. « Ut quondam humanae genti, e Noëtica arca exeunti, amici foederis signum illucescere Deus voluit, « *arcum apparentem in nubibus* », sic turbulentissimis recentioris aevi temporibus, cum vaferrima omnium serperet haeresis illa ianseniana, amori in Deum pietatique inimica, quae Deum non tam diligendum ut patrem quam extimescendum ut implacabilem iudicem praedicabat; *benignissimus Iesus* Cor suum Sacratissimum, quasi pacis et caritatis vexillum, *elatum gentibus ostendit*, haud dubiam portendens in certamine victoriam. Siquidem apposite f. r. decessor Noster *Leo XIII*, in Litteris Encyclicis « *Annum Sacrum* », tantam cultus Sacratissimi Cordis Iesu opportunitatem admiratus, edicere non dubitavit: « Cum ecclesia per proxima originibus tempora caesareo iugo premeretur, conspecta sublime adolescenti imperatori *crux* amplissimae victoriae, quae mox est consecuta, auspex simul atque effectrix. *En alterum hodie oblatum* oculis auspicatissimum divinissimumque *signum*: videlicet Cor Iesu sacratissimum, superimposita cruce, splendidissimo candore inter flammas elucens. In eo omnes collocandae spes; ex eo hominum petenda atque expectanda salus » (1).

Assertum 2: Obiectum directum et adaequatum cultus SS. Cordis Iesu est tam cor carneum Filii Dei, quam amor. Cor physicum est amoris Iesu symbolum.

Arc. 1. (E documentis Rom. Pontificum).

In « *Memoriali* », quo episcopi Poloniae institutionem festi S. Cordis postulabant, legimus, quae sequuntur: Consilium Iesu fuit, ut « novum quoddam religionis Officium erga Cor suum in Ecclesia institueretur, hoc enim est, quod se vehementer cupere famulae suae (S. Margaritae) affirmavit. Porro *de Corde* non translatitie sumpto, *sed propria ac nativa significatione accepto, videlicet* ut pars est corporis Christi nobilissi-

(1) Acta Ap. Sedis, Romae 1928, t. 20, pg. 166, 167.

ma, eum locutum, evidens ex ipsa actione, qua Cor suum detegens: *vides*, inquit, *Cor meum?* De hoc Corde loquitur, quod detegit et monstrat. En igitur, quae sit res, quam Iesus colendam proponit, nimirum Cor suum sacrosanctum, non tantum ut symbolum omnium interiorum affectuum, *sed ut est in se*. Ratio vera, propter quam Cor illud sanctissimum coli debeat sequentibus verbis exprimitur. « Vides Cor meum, Cor illud » etc. nempe duplicem rationem illud colendi proponit; *amorem* erga nos suum et *afflictionem* propter iniurias illi a nobis illatas praesertim in Sacramento Eucharistiae. Itaque in hoc religionis officio vult Iesus, *Cor suum considerari ut est amore hominum succensum et ab ipsis tamen hominibus impie ingratis crudelissime offensum* eaque potissimum duplici ratione moveri nos ad amantissimum Cor redamandum, iniuriasque, quibus in ipso amoris sui mysterio impetitur, reparandas et compensandas » (1).

Idem « *Mémoriale* » prosequitur n. 33. Ut tamen dubitationibus locus omnis praecludatur, observandum est habendumque prae oculis diligenter, Cor Iesu in hoc pietatis exercitio nequaquam spectandum esse, veluti si res quaepiam esset inanima sensuque vacua, sed vivum, sentiens, quatenus nimirum animae Iesu et personae divinae coniunctum est. Itaque Cor Iesu *non seorsim, non solitarie* sumptum considerandum est, sed quatenus cum anima Iesu eiusdemque divina persona rem unam in ratione obiecti huius cultus constituit » (2).

Postulator causae (*P. J. De Galliffet*), respondendo ad exceptiones *Promotoris* fidei, ait: *Obiectum festi* Cordis Iesu nequaquam consistit in corde solo, nude, solitarie, corporaliter ac materialiter spectato. In quo ergo consistit? In mirabili illa prorsus divina rerum complexione, formata tum ex Corde Iesu corporeo ac vulnerato, tum ex anima sanctissima, qua cor vivit, tum ex persona Verbi divini, cordi hypostatice unita et a qua habet, ut divinum sit, tum ex

---

(1) N. Nilles, *De rationibus festorum*, Op. Cit., I. pg. 93, 94.
(2) Nilles, Op. Cit., pg. 94, 95.

amore immenso, quo Cor ardet; tum ex virtutibus, quorum symbolum vel sedes est. Haec, inquam complexio rerum tam sublimium, tam amabilium, verum, proprium et *adaequatum* obiectum est festi Cordis Iesu (1).

Pius VI in epistola ad *Scipionem de Ricci* (a. 1781) obiectum devotionis erga Cor Iesu ita determinat: Sancta Sedes modum iam turbis et quaestionibus imposuit satisque declaravit, quo substantia illius devotionis ab omni certe superstitiosa materialitate immunis revera spectet; *ut symbolica Cordis imagine* caritatem effusumque amorem divini Redemptoris nostri meditemur atque veneremur (2).

Pius IX vero in *bulla beatificationis S. Margaritae* ait: Ecquis enim tam durus ac ferreus sit, quin moveatur ad redamandum *Cor illud* suavissimum idcirco transfixum ac vulneratum lancea, ut animus ibi noster quoddam quasi latibulum ac perfugium habeat, quo se ab hostium incursione insidiisque recipiat ac tueatur? Ecquis non provocetur ad prosequendum omni observantiae studio *Cor illud* sacratissimum, cuius ex vulnere *aqua et sanguis*, fons scl. nostrae vitae ac salutis *effluxit?* (3).

Leo XIII in Litt. Encycl. ex a. 1899 inquit: Quoniam inest *in Sacro Corde symbolum atque expressa imago* infinitae Iesu Christi caritatis, quae movet ipsa nos ad amandum mutuo, ideo consentaneum est, dicare se Cordi eius augustissimo: quod tamen nihil est aliud, quam dedere atque obligare se Iesu Christo, quia quidquid honoris, obsequii, pietatis divino Cordi tribuitur, vere et proprie Christo tribuitur ipsi (4).

Pius XI in Litt. Encycl., a. 1928 ait: Inter cetera infinitae Redemptoris nostri benignitatis documenta, illud potissimum elucet, quod defervescente christifidelium caritate, ipsa Dei caritas ad honorandum peculiari cultu proposita est eiusque

---

(1) Nilles, Op. Cit., pg. 128.
(2) Nilles, Op. Cit.. pg. 217.
(3) Nilles, Op. Cit., pg. 219.
(4) Acta S. Sedis, t. 31, pg. 649.

bonitatis divitiae late patefactae sunt *per eam religionis formam, qua Sacratissimum Cor Iesu colitur, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi.* (*Colos.* 2, 3) [1].

Arg. 2. (E documentis liturgicis).

In Litaniis de SS. Corde Iesu, (2 April. 1899 approbatis) invocatur Cor Iesu *in sinu Virginis Matris* a Spiritu Sancto formatum; cor lancea perforatum; sed simul Cor fornax ardens caritatis, *bonitate et amore plenum*, iustitiae et *amoris receptaculum.*

In novo officio Breviarii Romani (approbato 29 Ian. 1929) *Hymnus ad Vesperas* contemplandum proponit Cor, in quod « vibrantis hastam militis peccata nostra dirigunt »; cui « ferrum dirae cuspidis mortale crimen acuit ». In « *Invitatorio* » « *Cor Iesu amore nostri vulneratum* » adorare hortamur. Cor, quod (ut in *Hymno ad Matutinum* canitur), « *percussum ad hoc est lancea*, passumque ad hoc est vulnera, ut nos lavaret sordibus, unda fluente et sanguine ». In *Hymno ad Laudes* obiectum cultûs SS. Cordis adaequate circumscribitur, scl. « Te *vulneratum* caritas ictu patenti voluit, *amoris invisibilis* ut veneremur vulnera. Hoc sub amoris symbolo passus cruenta et mystica, utrumque sacrificium Christus sacerdos obtulit ».

Nova missa de SS. Corde Iesu (2 April. 1929 approbata) quaestionem extra sphaeram omnis rationabilis dubii ponit. Cor physicum lancea vulneratum et amor colenda fidelibus proponuntur. In « *Praefatione* » legimus: « Deus, qui Unigenitum tuum in cruce pendentem *lancea militis transfigi* voluisti, ut apertum Cor, divinae largitatis sacrarium, torrentes nobis funderet miserationis et gratiae et quod amore nostri flagrare numquam destitit, piis esset requies et poenitentibus pateret salutis refugium ». In « *Oratione* » nova dicitur: « Deus, qui nobis, in Corde Filii tui, nostris

---

(1) Acta Ap. Sedis, t. 20, pg. 166.

vulnerato peccatis, *infinitos dilectionis thesauros* misericorditer largiri dignaris: concede, quaesumus; ut illi devotum pietatis nostrae praestantes obsequium, dignae quoque satisfactionis exhibeamus officium ». *Secreta*: « Respice quaesumus, Domine, ad ineffabilem Cordis dilecti Filii tui caritatem, ut, quod offerimus, sit tibi munus acceptum et nostrorum expiatio delictorum ».

Conclusio. Consideranti haec liquet: obiectum publici cultus SS. Cordis Iesu, qui ab ecclesia approbatus est, tam cor physicum, quam amorem Iesu erga nos esse. Utrum ex his duobus sit *primarium*, pendet a respectu, sub quo adaequatum obiectum cultus consideratur. Si consideratur dignitas rei, finis et ratio praecipua cultus: *primum locum occupat* caritas; siquidem spirituale praecellit materiali; amore amor accenditur et, ad succendendum hunc amorem erga Iesum, devotio instituta est. Si consideratur id, quod sensus percellit, *prius est* cor physicum. Ideoque omnia authentica documenta ecclesiae de cultu SS. Cordis et non Caritatis Iesu agunt.

Schol. Utrum humanitati Christi cultus duliae praestari possit?

Quoad exactiorem determinationem cultus humanitatis Christi Theologi non plene concordant; multum praesertim disputabatur de duplici cultu humanitatis Christi; utrum nimirum, praeter cultum *latriae*, etiam cultus *duliae* eidem humanitati praestari possit et debeat?

1. Inter omnes quoad quaedam principia regnat perfecta *concordia*. *a*) Cultus et adoratio per se *personae* defertur, ad personam terminatur. Quia igitur adoratio per se est subsistentis, ideo Verbum seorsum adorari potest; non vero humanitas Christi *seorsum a Verbo divisa* adorari posset cultu absolute divino; humanitas enim per se non subsistit. *b*) Licet honor, cultus, adoratio personae tribuatur, tamquam ultimo et totali termino; nihilominus *adoratio absoluta ad omnia extenditur, quae*

cum persona Verbi *substantialiter uniuntur*: ergo ad humanitatem cum omnibus eiusdem partibus integrantibus. *c*) Ex parte *rei adoratae* una est non duplex, absoluta, non relativa adoratio humanitatis Verbi Dei; quia cum humanitas adoratur, tunc per se adoratur persona Verbi Dei secundum aliquam partem humanitatis sibi substantialiter unitae; humanitas (vel ipsius quaecumque pars integrans) Verbi adorata non aliud quid est quam Verbum Dei in carne humana existens. Adoratur quidem humanitas ipsa, sed non propter seipsam. *d*) Quamvis subsistens adoretur, nihilominus *motivum* honoris vel cultus non necessario est aliquid subsistens. Ex hoc principio aliud derivatur, quod Theologos divisos facit: effertur autem ita: tot sunt species cultus, quot excellentiae. Auctores sive cultum duliae humanitatis Christi agnoscentes, sive illum ut inconvenientem respuentes ad auctoritatem S. Thomae, ut assolet, provocant.

Prius ipse Angelicus audiatur: « Causa honoris est id, ex quo ille, qui honoratur, habet aliquam excellentiam: nam honor est reverentia alicui exhibita propter sui excellentiam; et ideo, *si in uno homine sunt plures causae honoris*, puta praelatio, scientia et virtus, *erit* quidem *illius hominis unus honor* ex parte eius, qui honoratur, plures tamen secundum causas honoris, homo est enim, qui honoratur et propter scientiam et propter virtutem: sic ergo, cum *in Christo* sit una tantum persona divinae et humanae naturae et etiam una hypostasis et unum suppositum, est quidem eius una adoratio et unus honor ex parte *eius, qui adoratur*: sed *ex parte causae, qua honoratur*, possunt dici esse plures adorationes; ut scl. alio honore honoretur propter sapientiam increatam et alio propter sapientiam creatam; si autem ponerentur in Christo plures personae seu hypostases, sequeretur, quod simpliciter essent plures adorationes: et hoc est, quod in synodis reprobatur ». (q. 25, a. 1).

2. Quibus positis, plurimi Thomistae O. Pr., Salmanticenses (*Tract.*, 21, Disp. 35, Dub 3), insuper Suarez (Disp. 53, Sect. 2), De Lugo (Disp. 35, Sect. 3), Janssens (q. 35, a. 2), Muncunill (Disp. 20, a. 1 th. 3) affir-

mant: humanitati Christi praeter cultum divinum latriae etiam cultum duliae deferri posse. In favorem opinionis affirmantis adducitur *S. Thomae*, q. 25, a. 2: « Alio modo potest intelligi adoratio humanitatis Christi , quae fit *ratione humanitatis* Christi *perfectae omni munere gratiarum*: et sic adoratio humanitatis Christi non est adoratio latriae, sed adoratio duliae; ita scl. quod una et *eadem persona Christi adoretur* adoratione latriae propter divinitatem suam et adoratione duliae propter perfectionem humanitatis: nec est inconveniens: quia ipsi Deo Patri debetur honor latriae propter deitatem et honor duliae propter dominium, quo gubernat creaturas » (1).

Quae *Cajetanus* commentando, (3 P. q. 25, a. 2) ait: « Una et eadem *persona* adoratur una adoratione, ut ad rem subsistentem relata; duplici vero adoratione, ut *ad rationes* adorandi relata. Adoratur enim adoratione latriae *propter* suam ipsius personae *divinitatem*; adoratione autem duliae *propter perfectionem humanitatis*. Sic, de *unica* adoratione, non duabus, qua Christus in duabus naturis existens, adoratur, intellige ea, quae a Conciliis definita sunt ».

Eundem articulum 2um Summae explicando, inquit *Janssens*: « In genere loquendo, Deo et Christo debetur cultus latriae; Christo, secundum aliqua, hyperdulia debetur. Etenim humanitatem Christi possum considerare *uti subsistentem in Verbo*, vel *uti est in se*, nempe excellentissimis charismatibus ornata. Si *primo modo*, ei simpliciter debetur adoratio latriae, quia unum facit cum persona Verbi: est enim Homo-Deus; si *altero modo*, debetur ei cultus duliae, quin tamen excludatur adoratio, cum non possit nisi per abstractionem haereticam humanitas Christi seiungi a Christi persona; erit proin ei reddenda dulia in summo gradu seu hyperdulia cum adoratione; seu *adoratio hyperduliae* » (2).

Cum sermo fit de cultu duliae humanitati Christi praestando, haec consideratur *in se*, qua excellentissimis charismatibus orna-

(1) Cfr. S. Thom., *Sent.* III Dist. 9, q. 1, a. 2.
(2) Cfr. Janssens, *Christologia*, pg. 805.

ta. Abstrahitur tunc ab illa excellentia, quam habet ex unione hypostatica. « Humanitas ita considerata habet perfectionem sufficientissimam, inquit *P. Muncunill*, ut adoretur hyperdulia; habet enim dona gratiae creata summo gradu: aliunde non ostenditur adesse impedimentum; ut non adoretur ratione illius perfectionis creatae; nam etsi ratione coniunctionis cum divina persona debeatur illi maior adoratio, haec tamen non excludit aliam minorem, sicut si aliquis esset simul rex et dux, possent illi tribui quoque honores ducis, dummodo haec honoratio nullomodo esset negatio alius maioris » (1).

Aliis Theologis hic cultus duliae prorsus displicet; vg. Vasquezio (Disp. 96, c. 4 seq.), Franzelin (th. 45), Pesch (th. 16), Otten (th. 19). *P. Pesch*, vg. sic argumentatur: « *Patres* et *concilia* non noverunt nisi unam adorationem Christi; secundo, quia honorare aliquem secundum inferiorem gradum excellentiae, est *virtualiter negare* superiorem gradum excellentiae. Nam cum honor principaliter deferatur personae, necessario deferendus est cultus, qualem exigit tota dignitas personae. Ita qui vellet regem alloqui et tractare ut liberum baronem, non censeretur honorare regem, sed iniuria afficere » (2).

Videtur potius distinguendum. *Absolute loquendo*, cultus duliae humanitatis Christi possibilis est; sed *practice* de illo potius silendum. Dixi, absolute loquendo, nam de facto non defertur Christo inferior adoratio duliae, ne cultus latriae aliquod detrimentum per hoc patiatur.

---

(1) Cfr. Muncunill, Op. Cit. pg. 601, n. 1206.
(2) Cfr. Pesch, Op. Cit., n. 200, pag. 122.

SECTIO 4ª.

DE PERFECTIONIBUS HUMANITATIS CHRISTI

In sectione 4ª acturi sumus de nonnullis dotibus et perfectionibus humanae naturae Christi, quae eidem vi unionis hypostaticae conveniunt et ex hac unione veluti in humanitatem redundant. Inter perfectiones humanae naturae Christi eminet 1° eius sanctitas; nam humanitas nostri Redemptoris tum *gratia unionis*, tum *gratia habituali* sanctificatur. 2° Multiplex scientia convenit Christo homini. 3° Voluntas eius, licet impeccabilis, perfecta libertate pollet.

Caput 1. — De Gratia Humanitatis Christi.

Thes. 13. — Humanitas Christi tam per gratiam unionis quam per gratiam habitualem sanctificata est.

S. Th., q. 7, a. 1-13; Suarez, Disp. 18, Sect. 1-4; Stentrup, th. 77, 78; Janssens, q. 2, a. 10, pg. 189 seq.; q. 7, a. 1, pg. 335 seq.; Muncunill, Disp. 8, a. 1-5, pg. 261 seq.; Pesch, th. 22, 23; Billot, th. 16-18; Otten, th. 23, 24; Galtier, th. 21, 22; Hugon, q. 5, a. 1-7; Michel, *Jésus-Christ*, DTC. 8, 1274 seq.

Status Quaestionis.

Praeeunte S. Thoma theologi catholici triplex genus gratiae in Christo homine distinguere solent. « Triplex gratia consuevit assignari in Christo. *Primo* quidem gratia unionis, secundum quod natura humana nullis meritis praecedentibus hoc donum accepit, ut uniretur Filio Dei in persona. *Secundo* gratia singularis, qua anima Christi prae ceteris fuit gratia et veritate repleta. *Tertio* gratia capitis, secundum quod ab ipso in alios gratia redundat; quae tria Evangelista (*Ioan.*, cap. 1) congruo ordine prosequitur. Nam quantum ad gratiam

unionis dicit: « *Verbum caro factum est* »; quantum ad gratiam singularem dicit: « *Vidimus eum quasi Unigenitum a Patre, plenum gratiae et veritatis* »: quantum ad gratiam capitis subdit: « *Et de plenitudine eius omnes nos accepimus* ». (*Comp. Theol.*, c. 214). Breviter et concise de hac vasta materia in thesi nostra tractabimus et quidem in *I^a parte* de gratia unionis atque *sanctitate substantiali* humanitatis Christi; in *II^a parte* de gratia habituali eamque consequenti *sanctitate accidentali*. De gratia capitis et quaestionibus connexis in scholiis.

Explicatur pars I^a de gratia unionis atque sanctitate substantiali.

1. Missis aliis divisionibus gratiae, de quibus alibi sermo fit, quasdam distinctiones in memoriam revocamus, quae ad rem nostram intelligendam iuvant. *Nomine gratiae* quandoque ipsa voluntas Dei, dona conferentis intelligitur. Strictius nomine gratiae donum a Deo collatum vocatur. Porro donum Dei vel gratis *datum* vel gratum *faciens* esse potest. Gratiae *gratum facientes* variae distinguuntur, nempe: gratia habitualis, virtutes, dona Spiritus Sancti. Inter gratias *gratis datas* (non necessario gratum facientes), prophetia, donum miraculorum, varia dona scientiae et doctrinae excellunt.

2. *Unio hypostatica naturae humanae cum persona Verbi* est-ne gratia supernaturalis? Respondemus verbis S. Thomae: « si gratia accipiatur ipsa *Dei voluntas* gratis aliquid faciens vel gratum seu acceptum aliquem habens, unio incarnationis facta est per gratiam, sicut et unio sanctorum ad Deum per cognitionem et amorem; si vero *gratia* dicatur ipsum *gratuitum donum*, sic ipsum, quod est humanam naturam esse unitam personae divinae, potest dici quaedam gratia; in quantum nullis praecedentibus meritis hoc factum est; non autem ita, quod sit aliqua gratia habitualis, qua mediante talis unio fiat » (q. 2, a. 10).

Tam unio hypostatica naturae humanae cum Verbo, quatenus illam gratuito tota Trinitas operata est, quam esse di-

vinum increatum, quod humanitati in persona Verbi gratis datum est, gratia unionis a theologis appellatur. S. Bonaventura (III. Dist. 2, a. 3, q. 2 ad 6), S. Thomas (q. 2, a. 10; q. 2, a. 12 ad 3; q. 7, a. 13), Cajetanus (III. P. q. 2, a. 10 in notis marginalibus et commentario art. 10), Medina (III. P. q. 2, a. 10), Billuart (Diss. 4, a. 5, q. 4), asserunt: ipsam *unionem* humanitatis cum Verbo iure merito gratiam unionis vocari [1]. Strictius tamen nomine gratiae unionis *ipsum esse divinum*, quod in persona Verbi humanitati est collatum, designatur. « Gratia enim unionis est ipsum esse personale, quod gratis divinitus datur humanae naturae in persona Verbi, quod quidem est terminus assumptionis » (3 P. q. 6, a. 6). Eadem definitio in Q. 29 *De Verit.*, a. 2 repetitur: « Magis secundum intentionem Sanctorum, *gratia unionis* intelligitur: ipsum *esse in persona Verbi*, quod humanae naturae absque meritis praecedentibus collatum est ».

3. Sive per gratiam unionis ipsa unio hypostatica, sive esse divinum intelligitur, gratia unionis est prorsus gratuita. Etenim Filius Dei pura misericordia et infinita bonitate motus, carnem humanam hypostatice sibi adsciscere dignatus est. Ut testem traditionis sufficit S. Augustinum invocasse. *De Correp. et gratia*, 30, inquit: « Deus ergo naturam nostram, id est animam rationalem carnemque hominis Christi suscepit, susceptione singulariter mirabili et mirabiliter singulari, ut *nullis iustitiae suae praecedentibus meritis Filius Dei sic esset ab initio*, quo esse homo coepisset, ut ipse et Verbum, quod sine initio est, una persona esset. Neque enim quisquam tanta rei huius et fidei coecus est ignorantia, ut audeat dicere, quamvis de Spiritu Sancto et Virgine Maria filium hominis natum, per liberum tamen arbitrium bene vivendo et sine peccato bona opera faciendo, meruisse, ut esset Dei Filius... Non propter opera, quae nondum nati utique nulla sunt; sed propterea, quia « *Spiritus Sanctus superveniet in te* ». Ista nativitas profecto gra-

---

[1] Cfr. M. De La Taille, *Entretien amical d'Eudoxe et de Palamède sur la grâce d'union*, « Rev. Apol. » t. 48, 1929 pag. 6 seq.

tuita coniunxit in unitate personae hominem Deo, carnem Verbo. Istam nativitatem bona opera secuta sunt, non bona opera meruerunt ». ML. 44, 934. *De Praed. Sanct.*, 15, 30. « Ille homo, ut a Verbo Patri coaeterno in unitatem personae assumptus, Filius Dei esset unigenitus, *unde hoc meruit?* Quod eius bonum qualecumque praecessit? Quid egit ante, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? ». ML. 44, 982.

Rationem theologicam idem Augustinus indicavit, in locis modo allatis. Omne videlicet meritum in *aliqua operatione* fundatur; sed Christus, ut hic homo, nullam actionem prius habuit, quam ipsius humanitas Verbo uniretur. Ergo unio hypostatica non potuit a Christo mereri. Neque eam quivis alius promereri valebat. Nam *principium meriti non potest esse ex aliquo opere,* quod a principio omnis meriti dependet atque promanat. *Atqui* unio hypostatica est principium omnis meriti; per meritum enim Christi creaturae quidquam mereri valent. *Ergo* unio hypostatica nullo absolute opere potuit emereri. Argumentationem eandem habes apud S. *Thomam*, q. 2, a. 11. « Gratia non potest cadere sub merito, principium enim meriti non cadit sub merito et ideo nec ipsa gratia, quia est merendi principium; unde *multo minus incarnatio cadit sub merito*, quae est principium gratiae, secundum illud (*Ioan.* 1): *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est* ». Idipsum in *Comp. Theol.*, c. 214 recolit: « Haec est etiam hominis Christi gratia singularis, quod est Deo unitus in unitate personae: et *ideo gratis datum est,* quia et facultatem naturae excedit et hoc donum merita nulla praecedunt ».

4. Admissa agnitaque gratia unionis, quae cum dogmate unionis hypostaticae inseparabiliter conseritur, *quaerimus*: utrum et quomodo humanitas Christi per gratiam unionis sanctificetur? E tractatu de gratia constat: homines per gratiam habitualem sanctos, amicos, iustos Deoque acceptos reddi. Per gratiam unionis constituitur-ne humanitas Christi sancta regnique caelestis haeres?

Per revelationem Dei edocemur: Christum, ut hic homo

est, sanctum esse. Angelus Gabriel annuntiat Mariae: *Lc.* 1, 35; *Quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.* S. Petrus ad populum, *Act.* 3, 14; *Vos sanctum et iustum negastis et petistis virum homicidam. Symb. Epiphani,* Filius Dei « in seipsum effectam illam carnem transtulit et *in unam ac sanctam singularitatem* coniunxit ». *DB.* 13. Quibus ex fide praestitutis, quaeritur: per quid humanitas Christi directe, proxime, *formaliter* sanctificetur; utrum per gratiam unionis, an dumtaxat per gratiam habitualem? Nemo theologorum negat; Christum hominem per gratiam habitualem formaliter sanctificari omnesque pariter concedunt, humanitatem Christi per gratiam unionis saltem *exigitive, fundamentaliter* sanctam reddi. *Scotistae* tamen arbitrabantur per gratiam unionis humanitatem Christi *formaliter* non sanctificari.

5. Quo melius cardo huius controversiae perspiciatur, prius ipsum conceptum sanctitatis aliquomodo determinare studebimus ([1]). Sanctitas universim, *sensu lato,* si de creaturis agitur, quaedam est dignitas vel excellentia rei, quam creatura per segregationem ab usu profano, per deputationem ad cultum divinum, vel per *quandam unionem cum Deo,* summa maiestate, cum divina sanctitate et bonitate acquirit. Sanctitas *sensu stricto,* veluti κατ᾽ἐξοχήν, est illa creaturae rationalis dignitas, quam haec ex firma et constanti dilectione Dei seu ex constanti unione cum Deo per gratiam habitualem et caritatem acquirit. Haec sanctitas, est vere, proprie, per se sanctitas; primum analogatum in genere sanctitatis creatae et quia per actus morales et operationem supernaturalem creaturae obtinetur, a quibusdam Theologis, ut statim videbimus, sanctitas *moralis, ethica, subiec-*

([1]) Ad hunc scopum multum iuvabit, consuluisse: J. Mueller, *Ueber den Begriff der Heiligkeit,* « Zeitschrift f. Kath. Theologie ». Innsbruck 1896 pg. 470 seq.; H. Delehaye, *Sanctus.* « Analecta Bollandiana » t. 29 (1909) pg. 146-200; Idem, *Sanctus,* Bruxelles 1927 pg. 2 seq.; 24 seq.; 233, seq.; Rademacher, *Das Seelenleben der Heiligen,* Paderborn 1923[5] pg. 20-35; L. Cerfaux, « *Les Saints* » *de Jérusalem,* « Eph. Theol. Lovan. » 1925 pg. 510-529; S. Stys, *Benedixit diei septimo et sanctificavit illum.* « Verbum Domini » Romae. t. 9. 1929, pg. 263 seq.

tiva appellatur. In illa unione supernaturali cum Deo, cuius *directa ratio* atque fundamentum supernaturalis *operatio* est; varii gradus distinguuntur; scl. sanctitas ordinaria, communis omnibus iustis; et altior sanctitas « ascetica », « charismatica ». « canonizationis » (1).

S. *Thomas* talem conceptum sanctitatis tradit; S. *Th.* II. IIae q. 81, a. 8: « Nomen sanctitatis duo importare videtur: uno quidem modo *munditiam*; et huic significationi competit nomen graecum: dicitur enim ἅγιος quasi sine terra: alio modo importat *firmitatem*, unde apud antiquos sancta dicebantur, quae legibus erant munita, ut violari non deberent. Unde et dicitur aliquid esse sanctum, quia est lege firmatum... Oportet autem, quod mens ab inferioribus rebus abstrahatur, ad hoc ut supremae rei possit coniungi et ideo mens sine munditia Deo applicari non potest. Firmitas etiam ad hoc exigitur, quod mens Deo applicetur; applicatur enim ei sicut ultimo fini et primo principio. Sic ergo *sanctitas dicitur*, per quam mens hominis seipsam et suos actus applicat Deo. Unde non differt a religione secundum essentiam. Nam religio dicitur, secundum quod exhibet Deo debitum famulatum in his, quae pertinent specialiter ad cultum divinum, sicut in sacrificiis, oblationibus et aliis huiusmodi; sanctitas autem dicitur, *secundum quod homo* non solum haec sed *aliarum virtutum opera refert in Deum*, vel secundum quod homo se disponit per bona quaedam opera ad cultum divinum ». (Cfr. S. *Th.*, 3 P. q. 34, a. 3).

Quo non negato minimeque in dubium vocato (scl. sanctos *per se*, *propriissime* appellari, qui gratia sanctificante ornati, per actus supernaturales cum Deo coniunguntur), quidam theologi ut J. Müller (2) et Lercher (3) arbitrantur; praeter sanctitatem subiectivam, moralem, ethicam; cuius immediata ratio sunt actus supernaturales subiecti, quibus cum

(1) Cfr. Rademacher, Op. Cit. pg. 28 seq.

(2) Cfr. J. Mueller, *Art. Cit.*; et *De Verbo Incarnato*, Oeniponte 1914² pg. 387 seq.

(3) Cfr. L. Lercher, *De Verbo Incarnato*, Oeniponte 1925 pg. 126, n. 142 seq.

Deo ummur; agnoscendam esse aliam sanctitatem *obiectivam, ontologicam, realem,* cuius proxima ratio non sunt actus subiecti, sed aliquid, quod in ipso subiecto ontologice atque obiective invenitur, citra eius operationem, quodque causa proxima atque fundamentum est unionis supernaturalis, ontologicae, realis, cum Deo fine supernaturali, summa bonitate. Sanctitas ontologica (sicut et moralis), dicit (secundum *P. Müller* et *Lercher*) quandam *specialem unionem* cum Deo; ergo non dumtaxat illam communem, universalem relationem creaturarum ad Deum creatorem et conservatorem. Deinde dicit unionem *supernaturalem, ontologicam,* cuius proxima et directa ratio seu fundamentum non in operatione supernaturali creaturae consistit, sed in aliquo, quod citra et praeter operationem, in subiecto aliquo reperitur, ut puta, *consecratio, unctio, characteres sacramentales.* Ideoque haec sanctitas obiectiva etiam sanctitas « unctionis », « consecrationis », « dedicationis », appellari solet.

Ad distinguendam et agoscendam sanctitatem « *obiectivam* » moventur praesertim multis textibus S. Scripturae utriusque Foederis, in quibus res cultui divino dedicatae, sacrificiis atque templo addictae, sanctae vocantur. Sanctum est sabbatum, sancta arca foederis, sanctus totus populus Isrël, sanctae quaedam personae, ut sacerdotes et levitae (1). In libris sacris N. T. sancti appellantur indiscriminatim omnes fideles (2). In documentis antiquae traditionis catholicae sancti dicuntur indiscriminatim episcopi, diaconi, acolythae, sancta plebs, sancta ecclesia, sanctissimi antistites, sancti fratres sacerdotes et coëpiscopi (3). Sanctissimus Dominus, Romanus Pontifex. Iam vero, subsumit *P. Müller* et *Lercher,* huius sanctitatis directe et proxime fundamentum non videntur esse supernaturales operationes. Ergo

---

(1) Cfr. varios textus apud Delehaye, *Sanctus,* Bruxelles 1927 pg. 21 seq.

(2) Cfr. *Rom.* 1, 7; 8, 27. 28; 12, 13; 15, 25. 26; I. *Cor.* 1. 2; 6, 1; 7, 14; 14, 33; 16, 1. 15; II. *Cor.* 1, 1; 8, 4; 9, 1. 12; 13, 12; *Ephes.* 1, 1. 4. 15; 2, 19; 3, 18; 6, 18; *Philip.* 1, 1; 4, 21. 22. *Colos.* 1, 2. 4. 12. 26; I. *Thes.* 5, 27; *Hebr.* 6, 10; 13, 24.

(3) Cfr. Delehaye, Op. Cit. pg. 28-58.

ratio huius sanctitatis, citra operationem subiecti, est quaedam dedicatio, unctio, potestas, character sacramentalis (in quibusdam). Proinde agnoscenda videtur alia sanctitas *obiectiva, ontologica;* quae quaedam subiecta supernaturaliter cum Deo coniungit [1].

6. Conceptu sanctitatis adumbrato, ad nodum quaestionis redimus. Humanitas Christi est-ne per gratiam unionis (ergo praeter et citra gratiam habitualem), *formaliter* et *substantialiter* sancta? Durandus (III. Dist. 12, q. 2, n. 7) *unicam* et

[1] Audiatur ipse *P. Lercher*: « *Sacerdotes*, citra actus morales, personae sanctae sunt, dum per characterem sacerdotalem Christo configurantur et ut eius ministri cum eo uniti sunt ad salutem supernaturalem hominum procurandam. Etiam *entia impersonalia* vario modo ad salutem hominum et sic ad Deum Salvatorem ordinabilia sunt. Regenerantur homines *in aequa* et Spiritu Sancto; regenerati accipiunt robur spirituale in sacro *chrismate, aequa benedicta* fugantur inimici salutis; *templa, vasa,* varia *utensilia* unctione et benedictione ad cultum Dei peragendum secernuntur, *Libri Sacri* Spiritu Sancto inspirante conscripti sunt, ad docendos homines de via salutis. In his et aliis quamplurimis entibus impersonabilibus cernitur unio quaedam realis cum Deo Salvatore, propter quam unionem sancta dicuntur et sunt. Ut exempla ostendunt, unio realis cum Deo Salvatore efficitur *unctione* aliqua spirituali vel materiali, aliqua *benedictione, consecratione* vel *dedicatione*, qua res et personae sacrae a non-sacris secernuntur. Quare sanctitas ontologica etiam sanctitas unctionis, consecrationis, dedicationis (Heiligkeit der Weihe) vocari potest.

Rebus et personis sanctis ob hanc unionem cum Deo *dignitas* quaedam et *inviolabilitas* inest, ob quam existit obligatio, ut non pro arbitrio, sed cum *reverentia* tractentur i. e. observatis quibusdam normis agendi; quarum violatio *impia* vel *sacrilega* esse censetur. Ipsi Deo quoque personae et res sacrae speciali modo gratae sunt ». (Cfr. Lercher, Op. Cit. pg. 127, 128).

Neminem latet: ita descriptam sanctitatem ontologicam analogice cum sanctitate morali convenire et ab ea differre. Id fautores huius distinctionis fatentur. « Si iam comparamus cum invicem, inquit *P. Müller*, utrumque sanctitatis conceptum, hunc et priorem, diversi quidem sunt, ut dictum est, sed cognati. Sunt diversi, quia sanctitas, (ontologica) ut est unio cum Deo, dicit entitatem physicam, realem; sanctitas vero, ut est moralis perfectio, dicit meras actuum relationes (?); illa dicit habitualem, ontologicam animae qualitatem vel formam, haec solum dicit actuum pro-

formalem rationem sanctitatis humanae naturae Christi in gratia sanctificante reposuisse videtur; quia affirmat, quod per unionem hypostaticam « nulla maior perfectio esset in humana natura in ratione actus primi, quam si esset sibi derelicta ». Secundum Scotistas, ut Ioan. de Rada (*Controv. Theol.*, III P. Controv. 4, a. 3, Concl. 4) ([1]), Mastrius (Disp. 2, q. 1, a. 2, n. 16 seq.), Henno (*Theol. Dogm.*, t. 2, Disp. 14, q. 1, a. 1-2), Minges (*Comp. Theol. Dogm.*, t. 1, § 12, pg. 287); humanitas Christi per gratiam unionis nonnisi *causaliter, radicaliter, exigitive* sanctificata fuit; formaliter *per gratiam habitualem* sanctificatur. Cum per gratiam unionis *esse* Christi non vero operari formaliter perficiatur, consequenter Scotistae negabant: humanitatem Christi per gratiam unionis formaliter sanctificari, quoniam revera gratia sanctificans est in Christo principium humanae supernaturalis operationis, non autem esse divinum increatum. Quoniam igitur unio hypostatica in esse sistit; esse vero divinum, per gratiam unionis humanitati communicatum, non fit principium physicum, elicitivum operationum humanarum Christi; consequenter gratia unionis nequit esse causa formalis sanctitatis moralis operationum humanarum Christi, sed dumtaxat *postulat* atque *exigit*, ut operationes humanae Christi divino supposito non derogent; ut sint ordinis supernaturalis; prohibet atque impedit, quominus humanitas a norma moralitatis deflectat seu peccet. Quare unionis gratia formaliter sanctam non reddit humanitatem: ad summum exposcit exigitque, ut humanitas per gratiam habitua-

---

prietatem. Sunt etiam cognati; etenim sanctitas, ut et unio cum subsistente bonitate, postulat sanctitatem moralem; praeterea haec ab illa iuvatur; quia sanctitas habitualis secum fert habitus virtutum et gratias actuales; ex opposito sanctitas, ut est unio physica et supernaturalis cum Deo, pendent in sua conservatione a sanctitate habituali ». I. Mueller, *De Verbo incarnato*, pg. 399 n. 15. Explicatio haec *nondum* perfecte *satisfacit*: plura adhuc ad plenam lucem desiderantur.

([1]) Ioan. de Rada, Op. Cit. « Unio hypostatica, inquit, *ex se* praecise ac *formaliter* non reddit naturam assumptam et unitam, formaliter gratam et acceptam in ordine ad vitam aeternam et ad meritum eius. Haec conclusio est *Scoti* in III. Dist. 12, q. unica et D. 2, q. 1 *et omnium eius discipulorum* ».

lem formaliter *in operando* sanctificetur. En summa opinionis Scotisticae.

Quibus non obstantibus, humanitas Christi per gratiam unionis formaliter sanctificatur, praesertim, si praeter sanctitatem moralem in operando, etiam vera realis, obiectiva, ontologica sanctitas distinguitur. Quare communior omnium Scholarum praevalet opinio, quae tenet: *humanitatem* Christi *per gratiam unionis formaliter sanctificari*. In exactiori determinatione rationis « formalis » sanctitatis Theologi quidem in omnibus non concordant, at in reiicienda sententia Scotistica sunt unanimes tum Thomistae O. Pr, tum aliarum religiosarum familiarum Theologi ([1]). Cum affirmamus; humanitatem Christi « formaliter » per unionem sanctificari, *non dicimus*: sanctitatem divinam in humanitate Christi ut formam, vel quasi formam recipi, sed contendimus; humanitatem Christi per unionem hypostaticam (et non demum per gratiam habitualem) *vere, realiter et formaliter* sanctam esse et dici debere, cum definitio sanctitatis et effectus formales sanctitatis in ipsa verificentur et inveniantur, quin sanctitas divina veluti forma in humanitate recipiatur. Per gratiam unionis immediate et directe humanitas Christi Deo grata est, ius ad haereditatem aeternam possidet, quod sine dubio sunt effectus formales sanctitatis. Sanctificatio igitur « formalis » *non praestatur* humanitati a persona divina Verbi ut a forma physice informante, sed causatur ex unione cum persona divina humanitatem terminante. Sanctitas humanitatis, cuius existentiam vindicamus est substantialis, non accidentalis, quia unio humanitatis cum divinitate in ratione hypostasis Verbi est substantialis, non accidentalis.

7. *Existentia* sanctitatis substantialis in humanitate Christi, quae formaliter et directe ex gratia unionis eidem obvenit, videtur theologice certa esse. Exactior explicatio et determinatio formalis causae huius sanctitatis inter Theologos adhuc est disputata, de quo in scholio.

([1]) Abundantem bibliographiam videsis apud Michel, *Jésus-Christ*. DTC. 8, 1276 seq.

PROBATUR THESIS.

Pars I. — Humanitas Christi per gratiam unionis formaliter et substantialiter sanctificatur.

ARG. 1. (E DOCTRINA S. PATRUM). S. Patres formaliter implicite sanctificationem substantialem humanitatis Christi per gratiam unionis admittunt, quia *a*) frequenter docent: humanam naturam Christi divinitate *ungi, chrismari; b*) hanc humanitatem substantialiter sanctitate divina, increata, non solum participata ac creata sanctificari.

ORIGINES, De Princip., 2, 6, 6. Denique quod dicit, quia « *unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae participibus* », ostendit, quod aliter ista anima oleo laetitiae, i. e. Verbo Dei et Sapientia ungitur et *aliter* participes eius, i. e. Sancti prophetae et apostoli. Illi in odorem unguentorum eius cucurrisse dicuntur, ista anima vasculum unguenti ipsius fuit, ex cuius fragrantia participantes digni quique prophetae fiebant et apostoli. Sicut ergo *aliud est unguenti substantia,* aliud odor eius; ita aliud est Christus et aliud participes sui MG. 11, 214 B.

S. BASILIUS, *In Ps. 44, 8.* Caro Domini vero chrismate inuncta est, ipso Sancti Spiritus in eam adventu; quod laetitiae oleum appellatum est. Unctus autem *prae consortibus* suis, hoc est prae omnibus hominibus, qui Christi sunt participes. Nam illis quidem aliqua tribuebatur Spiritus communicatio; at vero Spiritus Sanctus in Dei Filium descendens, ut ait Ioannes, *super ipsum mansit.* Rursus ad Dei humanitatem respiciens (Psalmista) ait: *Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem*: perinde quasi diceret: reliqui quidem homines labore exercitioque et attentione plerumque virtutis habitum assequuntur abhorrentque a vitiis, tibi vero naturalis quaedam est cum bono coniunctio ac necessitudo alienatioque ab iniquitate. MG. 29, 406.

S. GREG. NAZ., *Or.* 30 (*theol.* 4), 21. Christus *propter divinitatem*; ea enim humanitatis unctio est, *non operatione,* ut in aliis christis, sed totius unguenti praesentia sanctificans. Cuius hic effectus est, ut id, quod ungit, homo vocetur et quod ungitur, Deus fiat. *RJ.* 995.

S. IOAN. CHRYS., *In Ps. 44. 2. Diffusa est gratia in labiis tuis.* Vides sermonem esse de incarnatione? Quae est autem haec gratia? *Illa; per*

quam docuit, per quam fecit miracula. Gratiam hic dicit eam, quae venit in carnem. *Super quem,* inquit, *videris Spiritum descendentem et manentem...* Omnis enim gratia effusa est in illud templum; non dat enim illi Spiritum in mensura. Illic quidem est integra gratia, in hominibus autem parum quid et stilla ex illa gratia. *RJ.* 1208.

S. Augustinus, *De Trinit.*, 15. 26, 46. Dominus ipse Iesus Spiritum Sanctum non solum dedit ut Deus, sed etiam accepit, *ut homo;* propterea dictus est *plenus gratia et Spiritu Sancto.* Et manifestius de illo scriptum est in Actibus Ap.; *quoniam unxit eum Deus Spiritu Sancto* (*Act.* 10, 38). Nec sane tunc unctus est Christus Spiritu Sancto, quando super eum baptizantum velut columba descendit... sed ista mystica et invisibili unctione tunc intelligendus est unctus, quando *Verbum* Dei *caro factum est* (*Ioan.* 1, 14), i. e. quando humana natura, sine ullis praecedentibus bonorum operum meritis, Deo Verbo est in utero virginis copulata, ita ut cum illo fieret una persona. *RJ.* 1680. *In Ev. Ioan. Tract.*, 108, 5. *Ut sint et ipsi sanctificati in veritate* (*Ioan.* 17, 19). In quo et ipse filius hominis sanctificatus est ab initio creationis suae, quando Verbum factum est caro; quia una persona facta est Verbum et homo. Tunc ergo sanctificavit in se, hoc est, *hominem se* in Verbo se: quia unus Christus Verbum et homo, sanctificans hominem in Verbo. *RJ.* 1842.

S. Cyrill. Alex, *In Ioan. Comment.*, 11, 9 (17, 17). *Sanctum* est quidquid cernitur a mundi sordibus immune, quod quidem est in Christo naturaliter sicut in Patre; ascititium vero et adventitium in sanctis discipulis, sanctificatione nimirum per gratiam et splendore atque probitate vitae. *RJ.* 2120.

S. Ioan. Damasc., *De Fide orth.*, 3, 5. Ipse (Christus) seipsum unxit, corpus videlicet suum divinitate sua ungendo tamquam Deus, unctus autem ut homo, quandoquidem ipse et hoc et illud est. *Unctio porro humanitatis est divinitas.* MG. 94, 990 B.

Arg. 2. (E ratione theologica). *a*) Illud formaliter sanctificat, quod aliquem divinitatis participem, Deo carum et acceptum reddit: quodque illi ius ad aternam haereditatem tribuit. *Atqui* haec omnia immediate, immo excellentius, unio hypostatica humanitati Christi praestat. *Ergo* unio hypostatica humanitatem Christi formaliter sanctificat.

Ad mai. Secundum omnes Theologos tum Scotistas tum non Scotistas de ratione verae sanctitatis sunt haec omnia. Vere sancti his praerogativis, hac dignitate atque excellentia gaudent.

Prob. min. Per unionem hypostaticam humanitas Christi

non dumtaxat divinam naturam participat sed *cum ipsa divinitate* in hypostasi Verbi substantialiter *coniungitur*. Habet ergo *plus* quam sancti per participationem divinae naturae. Si ob participationem divinae naturae sancti nominamur et sumus; *a fortiori* ob unionem hypostaticam cum persona Filii Dei humanitas Christi sancta redditur. Per hanc unionem Christus, ut hic homo, *Filius Dei naturalis nominatur et est. Atqui* Filius Dei naturalis est Deo carissimus, acceptissimus, ius naturale habet ad aeternam haereditatem. De Christo, ut hic homo est, testatur Pater, *Lc.* 9, 36; *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite. Mc.* 1, 11; *Tu es filius meus dilectus, in te complacui. Hebr.* 1, 2; *Novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum.*

b) Secundum argumentum e S. Thoma sic formari potest: *S. Th.*, q. 7, a. 13 ait: « Gratia causatur in homine ex praesentia divinitatis, sicut lumen in aëre ex praesentia solis, unde dicitur *Ezech.* 43: *Gloria Dei Israël ingrediebatur per viam orientalem et terra splendebat a maiestate eius*: praesentia autem Dei in Christo intelligitur secundum unionem humanae naturae ad divinam personam ». Quibus praemissis, argumentamur: Ubi gratia Dei, ibi sanctitas; gratia ex praesentia Dei; ergo sanctitas ex praesentia Dei. *Iamvero* ex unione praesens est divinitas hypostatice in humanitate .*Ergo* ex unione sancta est substantialiter humanitas Christi.

Schol. 1. Utrum humanitas Christi sanctificatur a personalitate Verbi an a natura divina?

Quamvis communius Theologi substantialem sanctitatem admittant; tamen diversi diversam assignant rationem *proximam, directam, formalissimam* huius sanctitatis humanae naturae Christi.

Secundum P. Suarez (Disp. 18, sect. 1) ratio formalis sanctitatis substantialis Christi est *modus unionis*, in huma-

nitate productus, *et sanctitas Verbi*. Explicatio P. Suarez in « modo unionis » innititur et cum eo ruit.

Ioannes a S. Thoma (*De incarn.*, Disp. 8, a. 1, concl. 3), Greg. de Valentia (*In III P., S. Th.*, q. 7, punct. 5), De Lugo (Disp. 16, sect. 2, concl. 2) rationem formalem huius sanctitatis *in personalitate* Verbi reponunt, prout personalitas Verbi a natura divina distincta concipitur.

Econtra Salmanticenses (Disp. 12, Dub. 3, § 1, n. 34), Gonet (Disp. 11, a. 2, § 1, n. 31), Billuart, (Diss. 8, a. 1, § 2) censent: Christi humanitatem formalissime *per divinitatem Verbi* sanctificari. Haec ultima sententia est probabilior.

Schol. 2. Utrum sanctitas substantialis humanae naturae Christi est increata, infinita; an creata et finita?

Etiam de hoc hodiedum disputatur (1). De Lugo (Disp. 16, sect. 3) *negat* sanctitatem substantialem humanitatis Christi esse *infinitam*. Suarez (Disp. 22, sect. 1), Salmanticenses (Disp. 12, Dub. 4, § 4, n. 66) *distinguunt*: physice sanctitatem hanc *finitam*, moraliter, vero *infinitam* esse arbitrantur. P. Stentrup (*thes.* 78), Pesch (*thes.* 22, n. 286) affirmant: substantialem sanctitatem Christi *relative infinitam* i. e. in linea sanctitatis participatae infinitam esse, in se autem esse finitam. Secundum Thomistas O. Pr. haec sanctitas est *simpliciter infinita* (2).

Veritas tamen in medio posita est. Responsum affirmativum vel negativum a definitione gratiae unionis dependet. Si per gratiam unionis unio ipsa hypostatica, prout gratuita intelligitur; sanctitas substantialis humanitatis Christi creata et finita dici debet, cum unio hypostatica, docente S. Thoma, aliquid creatum sit (Cfr. q. 2, a. 7). Si per gratiam unionis ipsum esse divinum, prout humanitati per unio-

---

(1) Cfr. M. De La Taille, *Art. Cit.*, pg. 6 seq.; pg. 129 seq.

(2) Cfr. G. Mattiussi, *Infinità della grazia in N. S. Gesù Cristo*, « Gregorianum » 1920, pg. 373 seq.

nem gratis communicatum, designatur, sanctitas substantialis Christi hominis simpliciter infinita erit. « In Christo, inquit *Angelicus*, potest duplex gratia considerari: *una* quidem gratia unionis, quae sicut supra dictum est (q. 6. a. 6), est ipsum uniri personaliter Filio Dei, quod est gratis concessum humanae naturae; et hanc gratiam constat esse infinitam, *secundum quod ipsa persona Verbi est infinita* » (q. 7, a. 11). « Est proprium Christi, quod eius gratia est infinita. Et quidem, si hoc referatur *ad gratiam unionis*, nullam dubitationem habet, quod dicitur. Nam aliis quidem sanctis datum est: deos aut filios Dei esse per participationem ex influentia alicuius doni: quod quia creatum est, necesse est ipsum, sicut et ceteras creaturas, esse finitum: sed Christo secundum naturam humanam datum est, ut sit *Dei Filius non per participationem, sed per naturam*. Naturalis autem divinitas est infinita. *Ex ipsa igitur unione accepit donum infinitum*: unde gratia unionis absque omni dubitatione est infinita » (*Comp. Theol.*, 225) ([1]).

Explicatur pars IIª de gratia habituali in Christo atque sanctitate accidentali.

1. Humanitatem Christi per gratiam unionis formaliter et substantialiter sanctificari e parte Iª constat. *Quaeritur* utrum Christus, ut hic homo, gratia quoque habituali, accidentali sanctificetur nec ne; quod sine dubio admittendum erit, modo certo constiterit: in Christo homine praeter gratiam unionis gratiam etiam habitualem, creatam adesse. Sanctitas enim, ut vidimus, ex unione supernaturali cum divina bonitate resultat. Iamvero per gratiam habitualem cum Deo accidentaliter, supernaturaliter et ontologice unimur. Ergo quidquid gratiam sanctificantem possidet, accidentaliter, formaliter, realiter sanctum est.

2. *Nomine gratiae habitualis* intelligitur donum super-

([1]) Cfr. insuper. S. Th., P. I, q. 25, a. 6 ad 4; P. III, q. 48, a. 2 ad 3.

naturale, creatum, permanens, quo creatura divinae naturae particeps fit, deiformis redditur, grata, amica Deo, iusta evadit, ius ad haereditatem aeternam, ad filiationem adoptivam acquirit. In ordine supernaturali gratia sanctificans hoc fere munere fungitur, quo natura in ordine naturali; est videlicet principium operationum supernaturalium, principium permanens et remotum illius motus, cuius terminus est visio intuitiva Dei et aeterna beatitudo.

Primo obtutu gratia habitualis creata in Christo superflua videtur. Etenim humanitas Christi substantialiter iam sanctificata est per gratiam unionis; ob hanc gratiam Christus « deiformis » dici potest, ius nativum, qua Filius Dei naturalis ad gloriam aeternam possidet. Si Christus, ut hic homo, gratiam habitualem haberet, filius Dei adoptivus constitueretur, quod cum filiatione naturali conciliari nequit. Ergo vel ex ultima ratione Christus gratiam habitualem habere non potuit.

3. His rationibus moti quidam Theologi saec. XIV, ut testatur *Petrus de Palude* (III, Dist. 13, q. 2) existentiam gratiae habitualis in Christo negabant. Theologi tamen *communiter et unanimiter* docent: animam Christi gratia habituali ornari adeoque etiam sanctitatem creatam, singularem, eximiam possidere. Dumtaxat in assignanda *nota* seu *censura* huius asserti Theologi non concordant; quibusdam existentia gratiae habitualis in Christo *fide certa*, aliis tantum *theologice certa* videtur [1].

Probatur thesis.

Pars II. — Humanitas Christi gratia quoque habituali sanctificatur.

Arg. 1. (E S. Scripturis). Existentia gratiae habitualis creatae in Christo Domino saltem e quibusdam effatis scripturisticis deduci logice potest.

---

[1] Cfr. Illam differentiam qualificationis videsis apud: Pesch, Op. Cit., n. 292; Otten, Op. Cit., n. 312; Michel, Art. Cit., DTC., 8, 1280, 1281.

1. S. *Ioannes, Ev.*, c. 1, v. 14 et 16 asserit Verbum incarnatum esse: *plenum gratiae et veritatis; de plenitudine eius omnes nos accepimus et gratiam pro gratia.*

Atqui Verbum Incarnatum non esset tale, nisi in hac plenitudine gratia quoque habitualis inveniretur. Gratia enim habitualis est procul dubio gratia. Verbum incarnatum non esset *gratiae plenum*, nisi et habitualem possideret. S. Ioannes affirmat in Christo plenitudinem gratiae, *de qua nos accepimus.* Iam vero nos gratiam habitualem, creatam accipimus. *Ergo* in humanitate Christi adest quoque gratia habitualis.

2. S. *Paulus* vindicat Christo, qui est caput ecclesiae, primogenitus ex mortuis, (ergo Christo homini), hanc plenitudinem gratiae, ex qua in membra corporis gratia redundat. *Atqui* in membra corporis Christi mystici gratia habitualis cum aliis donis redundat. *Ergo* in Christo, ut hic homo est, gratia habitualis reperitur.

Prob. mai. Colos. 1, 19. 20; *Et ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis; ut sit ipse in omnibus primatum tenens. Quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare.* Versiculis subsequentibus (21-23) explicat S. Paulus, qualis et cuius plenitudo in Christo-capite inhabitet; nempe haec *plenitudo*, per quam fideles a peccatis abluuntur, iustificantur. *Atqui* hoc in membris ecclesiae sine gratia sanctificante fieri non potest. *Ergo* in Christo-capite est plenitudo gratiae habitualis sanctificantis. *Et vos*, inquit Paulus, *cum essetis aliquando alienati et inimici sensu in operibus malis: nunc autem reconciliavit in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos sanctos et immaculatos et irreprehensibiles coram ipso* (1).

Arg. 2. (E doctrina Patrum). Plenitudinem gratiae in Christo Iesu efferendo, S. Patres *implicite* existentiam gratiae habitualis vindicant.

---

(1) F. Prat, *La Théologie de S. Paul*, Paris 1920[9] t. 1, pg. 355 seq.

S. Ambrosius, *De Spir. S.*, 3, 10, 65. Quem si natum de Spiritu Sancto confitemini, quia non potestis negare: *renatum autem negatis, magna insipientia est*, ut quod singulare Dei est confiteamini, quod commune est hominum negetis. ML. 16, 791 C.

S. Ioan. Chrys., *In Ps.* 44, 2. Omnis gratia effusa est in illud templum (scl. Christum). Non dat enim illi Spiritum in mensura. *Nos enim de plenitudine eius accepimus.* Illud autem templum integram et universam accepit gratiam. Hoc Isaias quoque significans dicebat: *Requiescet super ipsum Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et veritatis, Spiritus scientiae et pietatis, Spiritus timoris implebit illum.* (*Isai.* 11, 2). Sed illic quidem est universa gratia, *in hominibus parum quid et gutta ex illa gratia* MG. 55, 185.

S. Augustinus, Cfr. textum pag. 268.

S. Cyril. Alex., *Dial. de Trin.*, 6. Sanctificantem vere et sanctificatum illum natura et veritate Filium, quoniam homo factus est, Paulus nobis induxit. *Qui enim sanctificat*, inquit, *et qui sanctificantur, ex uno omnes.* Sanctificat enim ipse, cum sit sanctus secundum naturam, in quantum Deus: sanctificatur vero nobiscum quoad humanitatem, cum nostra similitudine suscepta etiam ob hoc ipsum videlicet, quod sanctificatus sit, quamvis universi Dominus sit, ut Deus, vocare *nos fratres* haud erubescit. MG. 75, 1018.

Arg. 3. (E ratione theologica). 1. Christus, ut hic homo, a primo instanti vitae terrestris visione beatifica fruebatur, ut statim probabitur. *Atqui* Christus homo intuitive, Deum in se, absque gratia sanctificante videre non potuit. *Ergo* Christus, ut hic homo, gratia habituali praeditus erat.

Prob. min. Visio facialis, intuitiva Dei in se est operatio Christi ab humana natura elicita. *Atqui* humana natura Christi, per gratiam sanctificantem non elevata, Deum uti est in se intuitive videre eoque frui non potuit. Ad Deum ita videndum, lumine gloriae indiguit, quo facultates humanae Christi elevarentur ad Deum, uti est in se attingendum. Porro lumen gloriae, qua habitus supernaturalis operativus, elevationem animae per gratiam sanctificantem supponit. *Ergo* anima Christi gratia sanctificante praedita est. Terminus medius huius argumenti indicatur a S. *Thoma*, III Dist. 13, q. 1, a. 1, ad 5. « Quamvis ex hoc ipso, quod (Christus) Deus erat, sibi gloria debebatur, tamen *oportuit, quod esset aliquid* formaliter perficiens ip-

sam animam *ad actus gloriae;* et haec fuit gratia: quia *gratia consummata* in anima est idem quod *lumen gloriae* et etiam perficiens eam ad actus viae ». *S. Th.*, q. 7, a. 1 ad 2: « Christo, in quantum est naturalis Filius Dei, debetur haereditas aeterna, quae est ipsa beatitudo increata, *per increatum actum cognitionis et amoris Dei*, eundem scl. quo Pater cognoscit et amat seipsum: cuius actus anima capax non erat propter differentiam naturae; unde *oportebat, quod attingeret ad Deum per actum fruitionis creatum;* qui quidem esse non potest nisi per gratiam ».

2. Oportebat, ut Christus homo intrinsece supernaturales operationes eliceret. *Atqui* ad operationes, intrinsecus supernaturales, eliciendas gratia sanctificans requiritur. *Ergo* Christus homo gratiam sanctificantem habuit.

Ad mai. Oportebat, ut Christus, ut hic homo, Deum supernaturaliter, super omnia amaret. Christus est omnium viatorum exemplar; hi vero per actus supernaturales ad patriam caelestem tendunt.

Prob. min. Obiectum supernaturale nonnisi per facultatem intrinsecus elevatam attingitur. *Atqui* per gratiam unionis humanitas Christi dumtaxat *in esse*, non vero in operari elevatur; divinitas *non est principium elicitivum*, sed dignificativum humanarum operationum Christi. Nisi ergo anima Christi per gratiam et habitus supernaturales elevaretur, operationes humanae Christi e principio pure naturali procederent et elicerentur; *extrinsece* quidem a persona Verbi dignificarentur; *intrinsece* tamen essent pure naturales. Argumentum e *S. Thoma* mutuamur, III Dist. 13, q. 1, a. 1; « Gratia principaliter duo facit in anima. *Primo* enim perficit ipsam in esse spirituali, secundum quam Deo assimilatur; unde et vita animae dicitur. *Secundo* perficit eam ad opus, secundum quod a gratia emanant *virtutes*, sicut vires ab essentia; quia non potest esse operatio perfecta, *nisi progrediatur a potentia perfecta per habitum*. Et propter haec *duo* oportet ponere gratiam in anima Christi: quia, cum sit perfectissima in esse spirituali, oportet, quod sit aliquid perficiens illam formaliter in

esse illo. Deitas autem non est formaliter, sed effective perficiens ipsam; unde oportet aliam formam creatam in ipso ponere, qua formaliter perficiatur: et haec est gratia. Similiter etiam cum alia sit operatio eius secundum *humanitatem* et secundum *divinitatem*, sicut et alia natura, oportet, quod operatio eius humana habeat habitum perficientem; alias esset imperfecta et ideo in Christo oportet ponere gratiam et virtutes ».

Primum argumentum S. Thomae in forma syllogistica sic poni potest. Oportet, ut anima Christi, qua ens in sua specie perfectissimum, in esse suo sit deiformis. *Atqui* sine gratia sanctificante anima Christi in essentia sua non est deiformis, quippe quam *divina natura* neque ut forma, neque ut quasi-forma perficit. *Ergo* anima Christi gratia sanctificante « deiformis » reddi debuit.

Quoad secundum argumentum S. Thomae, petitum ex necessitate habitus supernaturalis ad intrinsecus supernaturales operationes, nota; haud ignobiles Theologos, (ut vg. *Cajetanus*, In III. P. q. 7, a. 1. II) putasse, necessitatem *habitus* non esse absolutam. Posset enim Deus, absolute loquendo, saltem aliquas actiones supernaturales in anima Christi producere per solam gratiam actualem supernaturalem; non enim omnis actio supernaturalis procedit a gratia habituali. Gratia tamen habitualis et habitus requiruntur *in cursu ordinario.*

3. Tertium argumentum S. Thomae nostris verbis sic proponi potest. Christus est caput ecclesiae, a quo omnes gratiae in corpus mysticum redundant. Caput autem cum corpore, cuius est caput, homogeneum sit oportet. Fons gratiae, in membra corporis mystici gratiam habitualem transfundens, hac carere non potest. « Tertio, (inquit *Angelicus*, in 3 P., q. 7, a. 1, necesse est ponere in Christo gratiam habitualem) propter habitudinem Christi ipsius ad genus humanum. Christus enim, in quantum homo, est *mediator Dei et hominum* (ut dicitur I ad Tim., 2) et ideo oportebat, quod haberet gratiam etiam in alios redundantem, secundum illud *Ioan.* 1, 16; *De plenitudine eius omnes accepimus et gratiam pro gratia* ».

Schol. 1. De plenitudine gratiae Christi.

Ab omnibus Theologis plenitudo gratiae Christi communiter admittitur, quae tamen plenitudo non ab omnibus eodem modo concipitur et explicatur.

a) Si quaeres; utrum gratia creata, accidentalis humanitatis Christi sit finita, an infinita, respondemus distinguendo: Gratia Christi quatenus creata, *qua ens* aliquod a Deo in humanitate productum non potest dici *simpliciter* infinita; nihilominus *relative*, in genere gratiae accidentalis est infinita. (*S. Th.*, q. 7, a. 11).

b) Secundum S. Thomam plenitudo gratiae Christi tum extensiva, tum intensiva, tum formalis dici debet, (q. 7, a. 9 et 10). Proindeque gratia Christi, secundum providentiam ordinariam augeri non potuit, (q. 7, a. 12).

c) Quod partes potentiales gratiae attinet, fuerunt in Christo virtutes, dona, gratiae gratis datae, iis exceptis, quae imperfectionem connotant. *Non potuerunt igitur esse* in Christo virtus: fidei et spei, poenitentiae. Dona Spiritus sancti in excellentissimo gradu in Christo aderant, (q. 7, a. 2-8).

Schol. 2. De gratia Christi capitis.

Christum ecclesiae suae *caput* esse, ambigit nemo, (Cfr. *Colos.* 1, 18; *Ephes.* 4, 4). Est autem Christus caput ecclesiae *ut hic homo*. Si Christus consideratur secundum *divinitatem solam*, sic non est caput ecclesiae, nam inter membra et caput saltem generica *homogeneitas* intercedit; *ut Deus* est Christus omnium fidelium finis et principium, at non caput. Ratio capitis ecclesiae competit Verbo Dei ut incarnato, Filio Dei, *ut est hic homo*.

Gratia Christi *creata*, quae humanitatem Christi plenissime sanctificabat, (vocatur gratia *singularis*, i. e. sanctificans singularem naturam); eadem gratia Christi, prout in membra corporis mystici descendit eaque sanctificat, *gratia capitis* vocari solet. Eadem enim est forma, qua quis est et agit, qua quis vivit

et aliis vitam largitur; modo tamen illam formam in quadam eminentia habeat. Ergo Christus per eandem gratiam, qua ipse sanctus est, alios sanctificat, (q. 8, a. 5) [1].

Solvuntur Difficultates.

I. Contra sanctitatem substantialem Christi hominis.

1. Sanctitas substantialis est sanctitas ipsius Verbi. *Atqui* humanitas Christi non potest esse sancta sanctitate Verbi. *Ergo* humanitas Christi non est sancta substantialiter.

Resp. C. mai. Dist. min. Humanitas Christi non potest esse sancta sanctitate substantiali per identitatem substantialem cum divinitate vel per receptionem in se physicam sanctitatis Verbi ad instar formae, *C. min.* Non potest esse sancta substantiali sanctitate Verbi per unionem hypostaticam, *N. min.* Eodem modo distinguo consequens.

2. Si humanitas Christi per unionem formaliter et substantialiter sanctificaretur, tunc divinitas esset forma humanitatis conferretque ipsi sanctitatem infinitam. *Atqui* humanitas neque primi neque secundi est capax. *Ergo* humanitas Christi per unionem hypostaticam non sanctificatur formaliter.

Resp. Dist. mai. a) Divinitas esset forma vel quasi forma, *recepta* in humanitate, ad ipsam formaliter sanctificandam, *N. mai.* Divinitas cum humanitate in persona Verbi substantialiter uniretur; adeoque humanitas formaliter est sancta, *C. mai. Ctrd. min. b*) Humanitati infinita sanctitas communicaretur in termino, quocum hypostatice unitur, *C. mai.* Communicaretur humanitati sanctitas infinita per receptionem formae infinitae divinitatis, *N. mai. Ctrd. min.*

3. Ut aliquid sanctificet formaliter, debet uniri per modum formae. *Atqui* divinitas Verbi non unitur humanitatis per modum formae. *Ergo* non sanctificat humanitatem formaliter.

Resp. Dist. mai. Ut aliquid sanctificet formaliter sanctitate accidentali et ut principio quo, debet uniri per modum formae. *C. mai.* Ut aliquid sanctificet formaliter sanctitate substantiali et ut principio quod; debet uniri per modum formae, *N. mai. C. min.* Distinguo pariter consequens. *Explico.* Principium *quo* sanctificans accidentaliter *ut forma* in subiecto *recipitur*, elevat subiectum eiusque facultates

---

[1] Praeter tractatus ecclesiologicos, in quibus de Christo capite ecclesiae fusius disseritur, consuli potest: Anger, *La doctrine du corps mystique de Jésus-Christ*, Paris 1929 pg. 58 seq.

operativas. Principium *quod* sanctificans est divinitas Verbi, quae humanitatem formaliter sanctificat in esse a momento unionis hypostaticae. Nonnulli Theologi ut *P. Suarez* et *Vasquez* (Disp. 41, c. 4) affirmant: sanctitatem nonnisi per communicationem et receptionem alicuius formae sanctitatis participari; quare modum sanctitatis substantialis humanitati impressum introducunt. Perperam tamen; quia sanctitas est illa entis excellentia atque dignitas, quae ex vera, reali, supernaturali unione cum Deo resultat. Porro divinitas, substantialiter sancta, cum humanitate per unionem hypostaticam substantialiter unitur. *Ergo* humanitatem formaliter sanctificat, quin ut forma intrinseca in humanitate recipiatur.

4. Si humanitas Christi per solam unionem cum divinitate in persona Verbi formaliter sanctificaretur sanctitate divina, tunc etiam per talem unionem formaliter sapiens sapientia divina redderetur. *Atqui* consequens prorsus est absurdum. *Ergo* antecedens admitti non potest.

Resp. Nego maiorem ob disparitatem. Sapientia non potest haberi sine forma sapientiae recepta in natura; seu sine *informatione;* sanctitas e converso, quia est excellentia entis exurgens ex unione cum Deo seu ex *relatione* ad Deum, formaliter haberi potest sine receptione divinae sanctitatis ut alicuius formae.

II. Contra sanctitatem accidentalem humanitatis Christi.

1. Quod est sanctum infinita, substantiali sanctitate Verbi, non potest sanctum reddi sanctitate finita et accidentali. *Atqui* humanitas Christi est sancta sanctitate infinita et substantiali Verbi. *Ergo* eadem humanitas non potest per gratiam habitualem sanctificari.

Resp. Dist. mai. Idem non potest habere sanctitatem finitam et infinitam sub eadem ratione, sub eodem respectu, *C. mai.* Sub diversa ratione, et diverso respectu, *N. mai. Dist. min.* Humanitas Christi est infinite sancta in esse *C. min.* In operari humano, *subd. min.* Gratia habitualis, quae est principium *quo* operationis, est finita, *qua ens accidentale. C. min.* relative *in linea gratiae* accidentalis est finita, *N. min.*

2. Idem, quod est Deus per essentiam, non potest fieri Deus per participationem. *Atqui*, si Christus haberet gratiam sanctificantem, creatam, idem, qui est Deus per essentiam, fieret Deus per participationem. *Ergo* Christus non habet gratiam sanctificantem.

Resp. Dist. mai. Idem, qui est Deus per essentiam, non potest fieri Deus per participationem secundum eandem naturam divinam, *C. mai.* Secundum diversam naturam, *N. mai. Ctrd. min. Explico*: Christus secundum naturam assumptam, quae etiam post unionem hypostaticam a divina natura realiter distincta manet, divinae naturae particeps reddi potest per gratiam sanctificantem.

3. Proprius effectus gratiae sanctificantis est filiatio adoptiva. *Atqui* Christus, ut hic homo, nullomodo filius Dei adoptivus esse potest. *Ergo* Christus nullo pacto gratia sanctificanti ornari potest.

Resp. Dist. mai. Filiatio adoptiva est effectus formalis primarius vel adaequatus gratiae sanctificantis, *N. mai.* Est effectus secundarius, inadaequatus, *C. mai. C. min. Dist. conseq.*, si gratia *nullum effectum formalem* in humanitate exereret, nullo pacto admitti posset, *C. Conseq.* Si gratia habitualis formalem, primarium effectum exerere potest in humanitate, *N. Conseq.*

Limpide rem explicat *P. Billot.* «*Formalis effectus* gratiae sanctificantis non est, proprie loquendo, facere filium Dei adoptivum, sed conferre animae deiformitatem in ordine ad possessionem haereditatis Dei in futura beatitudine. Ex quo consequenter resultat denominatio filii adoptivi in personis, quae aliunde huius denominationis sunt capaces, scl. in personis Deo extraneis. Definitur enim adoptio, *personae extraneae in filium et haeredem gratuita assumptio.* Quare, si forte gratia inveniatur in persona non extranea Deo, pro quanto ornat naturam Deo unitam secundum hypostasim, semper quidem habebit suum proprium formalem effectum, quin tamen in huius naturae supposito resultet denominatio adoptivi, quia huic denominationi omnino repugnat personae conditio» (1).

4. Gratia habitualis prorsus est inutilis in humanitate Christi, si omnia iura, quae gratia sanctificans conferre solet, humanitati Christi per gratiam unionis afferuntur. *Atqui* humanitati Christi per gratiam unionis omnia iura afferuntur, quae gratia habitualis praestare solet. *Ergo* gratia habitualis in Christo prorsus est inutilis.

Resp. Dist. mai. Si omnia iura afferuntur per gratiam unionis, gratia habitualis est inutilis ad consecutionem iurium, *transeat mai.*, vel *C. mai.* Est inutilis et non necessaria ex aliis capitibus et rationibus, *N. mai. Dist. min.* Per gratiam unionis conferuntur omnia iura, *C. min.* Confertur simul principium quo supernaturaliter operandi, deiformitas, *N. min.*

5. Gratia sanctificans est inutilis in humanitate Christi, si in sanctitate substantiali et gratia unionis eminenter continetur sanctitas accidentalis. *Atqui* in gratia unionis et sanctitate substantiali eminenter continetur sanctitas accidentalis. *Ergo* gratia habitualis in Christo est inutilis.

Resp. Dist. mai. Si in gratia unionis continetur tum formaliter, tum exigitive sanctitas tam *in esse*, quam *in operari* humanae naturae, *C. mai.* Si continetur formaliter sanctitas in linea essendi et exigitive *in linea operationis supernaturalis*, *N. mai. Dist. min.* In gratia unionis continetur *formaliter* sanctitas *operationis* supernaturalis humani-

---

(1) Cfr. Billot, *Op. Cit.*, pg. 205, 206.

tatis Christi, *N. min.* Continetur *exigitive* tantum sanctitas operationis humanae Christi, *C. min.*

6. Quod operatur per modum instrumenti, non indiget habitu ad proprias operationes. *Atqui* humanitas Christi operatur ad instar instrumenti divinitatis. *Ergo* humanitas Christi non indiget habitu supernaturali ad operationem.

Resp. Dist. mai. Quod operatur ad modum instrumenti, quod tantum movetur et non se movet, *C. mai.* Quod est quidem instrumentum, quod movetur et etiam se movet ab intrinseco, *N. mai. Ctrd. min.*

Cap. 2. — De scientia humana Christi.

Thes. 14. — Christus in terris degens, ut hic homo, visione beatifica fruebatur.

S. Th., q. 9, a. 2; q. 10, a. 1-4; q. 15, a. 10; q. 34, a. 4; Suarez, Disp. 25, sect. Disp. 26, sect. 1-4; Janssens, q. 9, a. 2, pg. 402; Muncunill, Disp. 11, a. 1, pg. 325; Pesch, th. 20; Billot, th. 19; V. Kwiatkowski, *De scientia beata in ánima Christi*, Varsoviae 1921; Otten, th. 21; S. Szabó, O. F., *De scientia beata Christi*, Romae 1924; Galtier, th. 23; Hugon, q. 6, a. 2, pg. 495.

Status Quaestionis.

1. Supposita existentia integrae in Christo perfectaeque humanitatis, de scientia humana Christi hominis nemo rationabiliter dubitabit. Existentia intellectus humani atque voluntatis pluries definita est, (*Lat. DB.* 263; *Constp. III. DB.* 291; *Clem. V* (contra P. Olivi) *DB.* 480). Quo supposito, in subsequentibus thesibus de actibus utriusque facultatis disputabimus. In thesi 14 et 15 de variis actibus humani intellectus Iesu Christi seu *de variis speciebus humanae scientiae eiusque ambitu atque perfectione* agetur. Hanc igitur humanam scientiam Christi quod attinet, duo imprimis asserimus: 1° Christum hominem iam in terris visione beatifica ditatum fuisse; 2° tam scientiam infusam quam acquisitam perfectissimam possedisse. In thesi 14ª dumtaxat de visione beatifica animae Christi sermo erit.

2. *Visio beatifica* est cognitio Dei immediata, in qua nullum medium *obiectivum* intrat, quod cognitum in cognitionem Dei duceret. Proinde in visione beatifica non cognoscitur Deus *ex* creaturis, neque *per* creaturas, neque *in* creaturis. Cognitio haec pro immediato termino habet ipsum *esse Dei*; Deum *in se* et *per se* visum. Quare haec cognitio est per se propria, non analoga. Cognitio beatifica vocari solet *visio Dei* vel cognitio intuitiva et facialis. Attamen haec cognitio intuitiva fit per actum vitalem creaturae, a facultate humana intellectiva elicitum. Viribus naturalibus solis Deus, uti est in se, immediate a nulla creatura videri potest; quare intellectus creatus, ad Deum intuitive videndum, lumine gloriae confortetur oportet. Lumine gloriae intellectus elevatus, sine ulla specie intelligibili creata, impressa, ipsum esse divinum in se attingit. In visione beatifica Deus totus, Deus unus et trinus, quamvis *non totaliter* cognoscitur. Ex intuitiva visione Dei animae electorum perfecte sunt beatae; omnes illorum potentiae intellectivae satiantur et quietantur; quare visio intuitiva, etiam visio beatifica appellatur.

3. Inde ab epocha Patrum et praeprimis a medio aevo omnes Theologi catholici communiter docent; animam Christi toto vitae mortalis decursu, inde a primo suo exordio, cognitione Dei intuitiva praeditam fuisse. Existentiam visionis beatificae in anima Christi negaverunt vel in dubium vocaverunt quidam Theologi saec. XIX, ut puta: A. Guenther (1), H. Klee (2), J. Th. Laurent (3), H. Schell (4).

4. Thesis *theologice certa* est; immo videtur proxima fidei. Sententia *negans* vel in dubium vocans existentiam visionis beatificae in anima Christi, in scholis catholicis tuto doceri non potest. *DB.* 2183-2185.

---

(1) A. Guenther, *Vorschule zur Spek. Theol.*, II, Wien. 1829, pg. 219-222.

(2) H. Klee, *Katholische Dogmatik*, Mainz 1840, II, pg. 451.

(3) J. Th. Laurent, *Das hl. Evangelium*, Freib. in Br. 1878, pg. 361.

(4) H. Schell, *Die Katholische Dogmatik*, III, Paderborn 1892, pg. 110-124.

Probatur thesis.

Arg. 1. (E S. Scripturis). *Nota*: ut ex effatis S. Scripturarum existentia intuitivae cognitionis Dei in Christo, ut erat hic homo, probetur; constare debet: in textu sermonem esse de Christo, ut est hic homo adeoque de cognitione eius humana, qua tali. Insuper constare debet: hagiographum loqui de scientia Christi *humana, quae est* visio Dei intuitiva, non autem de scientia, humana quidem, at acquisita vel divinitus infusa. Iamvero non in uno tantum textu S. Scripturarum visio intuitiva Dei Christo, ut est hic homo, *implicite tribuitur*, vel saltem existentia huius scientiae beatae ex Scripturis eruitur. Ergo Christus in terris degens visione beatifica fruebatur.

1. *Ioan.* 1, 14; *Et Verbum caro factum est et habitavit in nobis: et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiae et veritatis.*

a) S. Ioannes affirmat: Christum, ut hic homo est, (Verbum incarnatum, quod in nobis *habitavit*. cuius gloriam Apostoli viderunt), absolute plenum gratiae fuisse, (vox πλήρης, sine ulla restrictione plenitudinem absolutam, illimitatam significare videtur). *Atqui* Christus, ut hic homo, gratiae absolute plenus non fuisset, nisi intuitive Deum cognosceret. *Ergo* Christus, ut hic homo, Deum intuitive videbat, in terris degens. *Prob. min.* Visio beatifica est supremum culmen atque complementum gratiae. « Non fuit conveniens, inquit *Angelicus*, (3 P., q. 34, a. 4), ut Christus in sua conceptione acciperet gratiam habitualem tantum absque actu; accepit enim gratiam non ad mensuram, ut supra habitum est (q. 7, a. 9, 10, 12); *gratia* autem *viatoris*, cum sit deficiens a gratia comprehensoris, habet mensuram minorem respectu gratia comprehensoris: unde manifestum est, quod Christus in primo instanti suae conceptionis *accepit non solum tantam gratiam*, quantam comprehensores habent, *sed etiam* omnibus comprehensoribus *maiorem*: et quia illa gratia non fuit sine actu, consequens est, quod actu fuerit comprehensor, videndo Deum per essentiam clarius caeteris creaturis ».

b) S. Ioannes insuper testatur: Christum hominem plenum veritatis esse et Paulus ait; *Colos.* 2, 3; *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi. Atqui* Christus homo non fuisset *plenus veritatis*, in ipso non adessent *omnes* thesauri scientiae absconditi; si cognitione beatifica Dei caruisset. Plenus enim veritatis est ille, qui Deum, veritatem primam, uti est in se, immediate attingit: cognitio mediata, analogica est umbra veritatis. *Ergo* Christus, ut hic homo, Deum intuitive videbat (1).

2. *Ioan.* 1, 17. 18; *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est. Deum nemo vidit umquam: Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*

His verbis implicite Christo homini visio intuitiva tribuitur. Christus cum Moyse comparatur eique praeponitur. Lex per Moysen promulgata est; per Christum *veritas facta est* i. e. « per ipsum factae sunt omnes veritates creatae, quae sunt quaedam participationes et refulgentiae primae veritatis, quae in animabus sanctis relucent » (2). Quibus praemissis, argumentamur: Deum nemo umquam vidit; Christus tamen *ut homo* enarravit, quae Filius Dei videt. *Atqui* Filius Dei immediate et intuitive Deum, uti est in se, videt. *Ergo* Christus, ut homo, haec, quae Filius Dei videt, enarrando; ut homo etiam Deum videt. *Confirmatur assertum*: « Christus enarrat ut homo id, quod ut Filius Dei in sinu Patris vidit ». — *Ioan.* 3, 11; *Amen, amen dico tibi*, inquit ad Nicodemum, *quod scimus loquimur et quod vidimus, testamur*. Ioannes Baptista de Christo, ut legato Dei, summo prophetarum ait: *Ioan.* 3, 32; *Qui de caelo venit, super omnes est. Et quod vidit et audivit, hoc testatur*. Christus ergo, ut homo id enarrat, quod ut Filius Dei videt. Si, ut homo enarraret haec, quae vidit, per scientiam dumtaxat *infusam*, non esset maior omnium prophetarum. *Ergo*, quae enarrat, intuitive ut homo videt. *Ioan.* 8, 38; *Ego, quod vidi apud Patrem meum, loquor*.

3. Christus, ut homo, vindicat sibi perfectiorem cognitionem

---

(1) Plura videri possunt apud Szabó, Op. Cit. pg. 15-22.

(2) S. Thom., *In Ev. Ioan.*, Cap. 1, Lect. 10.

Dei illa, qua homines et prophetae praediti erant. *Atqui* cognitio perfectior cognitione prophetarum est dumtaxat visio intuitiva Dei. *Ergo* Christus, ut homo, Deum intuitive cognoscebat.

Prob. mai. Iudaei indignati quaerunt; *Ioan.* 8, 53-56; *Numquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? et prophetae mortui sunt. Quem te ipsum facis? Respondit Iesus: Est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est et non cognovistis eum: ego autem novi eum: Et si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis, mendax. Sed scio eum et sermonem eius servo.*

Arg. 2. (E doctrina S. Patrum, Scholasticorum et Theologorum) [1]. *a*) S. Patres asserunt in Christo homine, statim ab initio vitae terrestris, scientiam perfectissimam adfuisse, quae omnis augmenti incapax erat. *Atqui* scientia Christi hominis omnis augmenti incapax necessario etiam scientiam beatificam includit, quae in mortalibus summus apex scientiae erit. *Ergo* secundum S. Patres Christus homo etiam scientia beatifica praeditus erat.

S. Augustinus, *De Div. Quaest.*, 65. Quod autem facies eius sudario tecta erat, hoc est, quod in hac vita plenam cognitionem habere non possumus, sicut Apostolus dicit: *Nunc videmus per speculum in aenigmate, postea autem facie ad faciem* (I. Cor. 13, 12). Et dixit Iesus: *Solvite eum et sinite ire* (*Ioan.* 11, 45): hoc est, quod post hanc vitam auferentur omnia velamenta, ut facie ad faciem videamus. Quantum autem intersit inter hominem, quem Dei Sapientia gestabat, per quem liberati sumus, et caeteros homines, hinc intelligitur, quod Lazarus, nisi exiens de monumento, non solvitur: id est, etiam renata anima, nisi resolutione corporis, libera ab omni peccato et ignorantia esse non potest, quamdiu per speculum et in aenigmate videt Dominum: *illius autem linteamina et sudarium*, qui peccatum non fecit et nihil ignoravit, *in monumento inventa sunt. Ipse enim solus in carne* non tantum monumento non est oppressus, sed nec linteis implicatus, ut eum aliquid lateret, aut ab itinere retardaret. ML. 40, 60.

---

[1] Quomodo implicite vel virtualiter de visione intuitiva Dei, hic in terris Christo homini collata, antiquissimi Patres testentur, videsis, V. Kwiatkowski, *De scientia beata in anima Christi*, pg. 42-93.

Fulgentius, *Ep.* 14, 3, 26 *ad Ferrandum*, respondet ad quaestionem: utrum anima Christi plenam omnino habeat scientiam divinitatis. « Quia unigenitus Deus aequalis est Patri, nec potest totum nosse Filium, qui totum non noverit Patrem, caveamus ne, cum anima Christi totum Patrem nosse non creditur, ipsi uni Christo ex aliqua parte non solum Patris, sed etiam sui et Spiritus Sancti cognitio denegetur. Perquam vero durum est et *a sanitate fidei penitus alienum, ut dicamus* animam Christi non plenam suae deitatis habere notitiam, cum qua naturaliter unam creditur habere personam ». *RJ.* 2238.

S. Cyril. Alex., *C. Nestor.*, 3, 4. At enim in sapientia factum esse incrementum dicis: tametsi, quomodo id non stultum sit? Credimus enim ex ventre atque utero virgineo, ipsum Emmanuel, cum Deus esset, hominem prodiisse plenum, procul dubio, sapientia et gratia, quae illi naturaliter inerat. *Quodnam* igitur *is incrementum susciperet*, in quo sunt omnes thesauri sapientiae, qui supernae gratiae simul cum Deo et Patre largitor est? MG. 76, 154 B.

S. Ioan. Damasc. *De Fide orth.*. 3, 22. Qui autem sic eum sapientia et gratia profecisse aiunt, tamquam horum incrementum acciperet, non a primo carnis ortu factam esse unionem asserunt, *nec unionem secundum hypostasim tuentur*. Nam si caro a primo statim ortu vere Deo Verbo unita est, immo potius in ipso extitit et identitatem secundum hypostasim cum eo habuit, quomodo non perfecte ditata est omni sapientia et gratia? *RJ.* 2368.

b) Accedit, quod tum Veteres Scholastici, tum recentiorum saeculorum Theologi, omnium familiarum religiosarum, unanimiter visionem beatificam animae Christi, in terris adhuc degentis, admittebant et propugnabant, demonstrando simul, hanc scientiam beatam, veluti quandam connaturalem atque congruam sequelam esse unionis hypostaticae (1).

Arg. 3. (E ratione theologica). Christus, ut hic homo, visione beatifica, iam in terris degens, fruebatur, si visio beatifica per unionem hypostaticam quasi exigebatur et ex hac quasi moraliter emanabat. *Atqui* visio beatifica per unionem hypostaticam

(1) A probatione huius asserti, quippe quod luce meridiana clarius est, abstinemus. Consuli possunt vg. Pesch, Op. Cit. n. 252; Janssens, Op. Cit. pg. 402 seq.; pg. 418 seq.; S. Szabó, *De scientia beata Christi*, Op. Cit. pg. 138 seq.

quasi exigebatur, ex hac quasi moraliter emanabat. *Ergo* Christus, in terris degens, ut hic homo visione beatifica fruebatur.

Prob. min. a) A momento unionis hypostaticae Christus, etiam ut hic homo, est filius Dei naturalis. *Atqui* filio Dei naturali convenit visio beatifica; filius enim naturalis est haeres caeli (*Hebr.* 1, 2). *Ergo* Christo, ut hic homo erat, a momento unionis hypostaticae visio beatifica conveniebat; hanc unio hypostatica quasi exigebat (1).

b) Causa perfectiori modo possidet effectum, cuius est causa. *Atqui* Christus, ut hic homo, causa est visionis beatificae electorum; Paulus enim in *Hebr.* 2, 10 ait; *Decebat eum, propter quem omnia et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare. Ergo* Christus, ut hic homo, perfectiori modo visione beatifica fruebatur. Sed rursus, Christus non frueretur visione beatifica perfectiori modo, nisi eam a primo vitae instanti possideret. *Ergo* Christus, ut hic homo, in terris degens visione beatifica fruebatur.

Prob. min. ultim: Causa prima visionis beatae debet esse immobilis, eamque a primo momento unionis hypostaticae possidere. « Principium, inquit *Angelicus*, in unoquoque genere oportet esse perfectum. Fruitio autem divina secundum duo existit, secundum voluntatem et secundum intellectum: secundum voluntatem quidem Deo perfecte per amorem inhaerentem; secundum intellectum autem perfecte Deum cognoscentem. Perfecta cognitio Dei est per lumen sapientiae, quae est cognitio divinae veritatis ». (*Comp. Theol.*, 213). In 3. P., q. 9, a. 2 ait: Illud quod est in potentia, reducitur in actum per id, quod est in actu: oportet enim calidum esse id, per quod alia calefiunt: homo autem est in potentia ad scientiam beatorum, quae in visione Dei consistit et ad eam ordinatur sicut in finem... et ideo oportuit, quod cognitio beata, in Dei visione consistens, excellentissime Christo homini conveniret: quia semper causam oportet esse potiorem

---

(1) Quomodo in evolvendo hoc argumento quidam per excessum peccaverunt, vide apud V. Kwiatkowski, Op. Cit. pg. 101 seq.

causato. Breviter: Causa prima visionis beatificae electorum est Christus, ut hic homo. *Atqui* causa prima visionis beatae semper est in actu. *Ergo* Christus, ut hic homo, semper visione beata fruebatur, a momento incarnationis.

c) Christus, ut hic homo, a momento incarnationis est caput angelorum, (cfr. *S. Th.*, q. 8, a. 4). *Atqui* non convenit cum, qui est caput angelorum, carere hoc dono summo scientiae, quod est visio Dei beata. *Ergo* Christus, ut hic homo, ab ipso principio unionis hypostaticae visione beata fruebatur.

d) Christus, ut hic homo, accepit gratiam habitualem absque ulla mensura. *Atqui*, nisi Christus, a primo instanti unionis hypostaticae visione quoque beatifica fruerctur, gratiam cum mensura seu restrictam accepisset; nam actus et culmen gratiae sanctificantis, visio est beatifica. *Ergo* Christus, ut hic homo, semper in terris visione beata praeditus erat. (Cfr *S. Th.*, q. 34, a. 4).

Schol. De Obiecto huius visionis beatificae.

1. Anima Christi, in quantum visione Dei beata fruebatur, imprimis per hanc visionem intuitivam totum Deum, unum et Trinum attingebat. Deus igitur est huius visionis *obiectum primarium.*

Christus tamen, ut homo, non cognoscebat Deum totaliter, *secus* anima Christi *Deum comprehenderet,* quod impossibile est. Nam essentia divina tunc comprehenditur, cum cognoscitur tota et ita, sicut in se cognoscibilis est. *Atqui* essentia divina modo et actu infinito cognoscibilis est, cuius e contrario anima humana Christi incapax est. *Ergo* anima Christi essentiam divinam non comprehendit. (*S. Th.*, q. 10, a. 1).

2. Quoad *obiectum secundarium* intuitivae visionis, qua Christus in terris gaudebat, quidam Theologi per excessum peccarunt. Etenim veram *omniscientiam* absolutam Christo, ut homo erat, vindicabant, affirmando: Christum hominem per visionem beatam idem prorsus videre, quod a Verbo Dei videtur; sic v. g. Lombardus, Hugo a S. Victore, Alexan-

der Halensis, Albertus M., Durandus [1]. Iuxta communem Theologorum doctrinam Christus homo in visione beata cognoscebat et cognoscit: omnia *praeterita*, *praesentia*, *futura* et haec *futuribilia* quae ad suum munus messianicum, iudiciale, soteriologicum convenienter explendum, cognosci debuerint. « Et ideo anima Christi in Verbo cognoscit omnia existentia secundum quodcumque tempus et etiam hominum cogitatus, quorum est iudex ». (S. *Th.*, q. 10, a. 2).

In visione beatifica non cognoscit anima Christi omnia possibilia. Ad cognoscenda enim omnia possibilia comprehensio divinae essentiae seu divinae imitabilitatis requiritur. Iamvero anima Christi divinam essentiam comprehendere non valet. Ergo neque potest omnia possibilia cognoscere.

Quae a *creaturis* fieri possint, anima Christi perfecte in Verbo videt; comprehendit enim in Verbo omnis creaturae essentiam et per consequens potentiam et virtutem et omnia, quae sunt in potentia creaturae. Quare dici potest: ab anima Christi *infinita* (negative) cognosci. « Scit enim, inquit S. *Doctor*, omnia, quae sunt in potentia creaturae; unde, cum in potentia creaturae sint infinita, per hunc modum scit infinita, quasi quadam scientia simplicis intelligentiae, non autem scientia visionis ». (S. *Th.*, q. 10, a. 3).

Solvuntur Difficultates.

1. Qui nondum in terris glorificatus erat, visione beatifica non fruebatur. *Atqui* Iesus Christus ante resurrectionem suam et in caelos ascensionem nondum glorificatus erat; Christus enim deprecatur Patrem, ut glorificetur. (*Ioan.* 17, 5; 7, 39). *Ergo* Christus in terris visione beatifica non fruebatur

Resp. Dist. mai. Qui in terris neque *essentialiter* neque *accidentaliter* glorificatus erat, *C. mai.* Qui nondum accidentaliter glorificatus erat, visione beata non fruebatur, *N. mai. Ctrd. min.*

2. Christus essentiali gloria non fruebatur, si demum per passionem in gloriam intrare potuit. *Atqui Christus* demum per passionem in gloriam intrare potuit. Aperte enim Christus discipulis suis ait, *Lc.* 24, 26; *Nonne*

---

[1] Cfr. passus allatos apud V. Kwiatkowski, Op. Cit. pg. 119 seq.

haec oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam? Ergo Christus neque essentiali gloria fruebatur ante ascensionem in caelum.

Resp. Dist. mai. Christus non fruebatur visione beata ante ascensionem, si per passionem mereri deberet suam tam *essentialem* quam *accidentalem* gloriam, *C. mai.* Essentiali non fruebatur, si accidentalem per passionem promeruit, *N. mai. Ctrd. min.* Essentialem gloriam i. e. visionem beatam Christus per passionem sibi non meruit; e contra accidentalem ex merito passionis obtinuit, scl. sui corporis glorificationem et nominis sui per orbem terrarum manifestationem.

3. Oportuit habere visionem beatam ex merito; quia perfectius habere gloriam ex merito, quam gratuito. *Atqui* Christus ab initio vitae suae mereri non potuit. *Ergo* Christus non habuit visionem beatam ab initio vitae terrestris.

Resp. Dist. mai. Christus tantum ex merito beatam visionem habere potuit, i. e. ex alio titulo visio beata in Christo non emanabat, *N. mai.* Opera supernaturalia Christi poterant, ut condicio ad gloriam requiri, absolute loquendo, *trans.* Distinguo rationem allatam. Perfectius est habere gloriam ex merito, quam prorsus gratuito, *si gloria alicui aliunde non congruit, C. mai.* Si alicui gloria *ex alio titulo* altiori, quam meritum, debetur. *N. mai. Dist. min.* Mereri Christus non potuisset absque scientia infusa, *transeat. min.* Scientia infusa, admissa, *N. min.* (Cfr. *S. Th.*, q. 34, a. 2 et 3).

4. Visio beatifica propria est comprehensoris. *Atqui* Christus ante ascensionem in caelos viator fuit. *Ergo* Christus ante ascensionem in caelum visione beatifica non pollebat.

Resp. Dist. mai. Visio beatifica est propria comprehensoris in ordinaria oeconomia, *C. mai.* Visio beata est ita propria comprehensoribus, ut viatori absolute concedi non possit, *N. mai. Dist. min.* Christus erat *simul* viator et comprehensor, *C. min.* Erat *dumtaxat* viator, *N. min.* Sine ulla haesitatione conceditur a S. Thoma, (*De Verit.*, q. 10, a. 11) visionem intuitivam essentiae divinae possibilem esse etiam in alio viatore. « Sicut (omnipotentia divina) potest aliqua corpora perducere ad effectus, quorum dispositio in praedictis corporibus non invenitur, sicut Petrum fecit super aquas ambulare, sine hoc quod ei dotem agilitatis tribueret: ita potest mentem ad hoc perducere, ut divinae essentiae uniatur in statu viae, modo illo, quo unitur sibi in patria » (1).

5. Visio beatifica excludit omnem tristitiam omnemque dolorem, tum in appetitu rationali tum in sensitivo. *Atqui* Christus in utroque appetitu tristitiam et dolorem experiebatur. *Ergo* Christus homo ante in caelos ascensio-

(1) Cfr. insuper M-B. Lavaud O. P., *Moïse et S. Paul ont-ils eu la vision de Dieu dès ici-bas?* « Rev. Thom ». 1930 pg. 75-83.

nem visione beatifica frui non poterat. *Prob. mai.* Visio beatifica nihil desiderandum relinquit et secum fert gaudium quam intensissimum. *Atqui* gaudium intensum, vi naturalis redundantiae, ex aliis facultatibus excludit non solum tristitiam sed etiam ipsum dolorem. *Ergo* aut non erat in anima Christi visio beata, aut non erat dolor et tristitia. Elige, quod vis!

Resp. Variae dantur huius difficultatis solutiones. I^a *Solutio*: Canus, Salmeron, Greg. de Valentia, Maldonatus et alii (1) affirmant: in Christo toto vitae decursu potuisse stare simul et visionem beatam et dolorem; quia influxus *visionis beatificae erat* in Christo miraculose suspensus. Adeoque Christus, quamvis intuitive Deum semper vidisset tristitia et dolore affici potuit.

II^a *Solutio*: Alii Theologi ita difficultatem solvere conantur, ad miraculosam suspensionem effectuum visionis non recurrendo. Gaudium beatificum excludit tristitiam in utroque appetitu, si gaudium et tristitia sunt in eadem potentia, de eodem obiecto, *sub eodem respectu.* Si vero gaudium, tristitia, dolor sunt *vel* in diversa potentia, *vel* de diversis obiectis, *vel* saltem ex diversa ratione formali; tunc gaudium et tristitia simul in eadem anima esse possunt (2).

In forma resp.: *Dist. mai.* Visio beata et consummata excludit omnem dolorem et tristitiam, *C. mai.* Visio beata essentialis, *transeat* maior. *Minor* transmitti potest. *Ad probationem, Dist. mai.* Visio beata consummata, nihil desiderandum relinquit, *C. mai.* Visio beata essentialis, inchoata, *N. mai.* Animae beatorum, non obstante visione Dei intuitiva, resurrectionem corporum desiderant. *Dist. min.* Gaudium intensum, sensibile, quocum coniungitur operatio phantasiae et appetitus sensitivi, minuit tristitiam et dolorem, *C. min.* Gaudium *pure spirituale,* essentialiter independens a sensu et phantasia, excludit dolorem et tristitiam, *N. min.* (Cfr. S. *Th.*, 3. Dist. 15, q. 2, a. 3, sol. 2 et ad 5; 3. P. S. Th., q. 46, a. 7).

---

(1) Cfr. Pesch, Op Cit., n. 258 seq.

(2) Cfr. Pesch, Op. Cit., n. 260, 261; Otten, Op. Cit., n. 287. 4°.

Thes. 15. — Habuit insuper scientiam per se infusam et acquisitam.

S. Th., q. 9, a. 3 et 4; q. 11, a. 1-6; q. 12, a. 1-4; Suarez, Disp. 25, sect. 2 et 3; Disp. 27, sect. 1-5; Disp. 30, sect. 1 et 2; Franzelin, th. 42; Janssens, q. 9 a. 3 et 4, pg. 412 seq.; Muncunill, Disp. 12, a. 2 et 3, pg. 338 seq.; Pesch, th. 21; Billot, th. 20; Otten, th. 22; Galtier, th. 23; Hugon, q. 6, a. 3 et 4, pg. 501 seq.; q. 6, a. 6 et 7, pg. 516 seq.

Status Quaestionis.

Christus, ut modo probavimus, visione beatifica iam in terris degens fruebatur. Per hanc visionem totam quidem essentiam divinam vidit, quamvis eam non comprehenderet. *In essentia divina* Christus homo videbat omnia, quaecumque Deus sic dicta scientia visionis cognoscit. Si anima humana Christi in essentia Dei omnes creaturas intuebatur, *quaeritur;* utrum illas etiam uti sunt in se attigerit; seu, utrum quidditates rerum creatarum, propria sua specie intelligibili, intellectum humanum Christi ad actum intelligendi determinaverint. Quaestio igitur est: utrum anima Christi res creatas *non solum* in essentia divina, verum *etiam* in propria et per propriam ipsarum speciem intelligibilem cognoverit? Habuitne Christus, ut hic homo, praeter scientiam beatam, insuper et scientiam infusam atque acquisitam?

Explicatur pars I^a^ de scientia per se infusa.

1. Scientia in genere est assimilatio intellectus ad rem per species intelligibiles. Scientia diversificatur secundum modum cognoscibilitatis rei. Porro res cognosci potest: *vel* per inventionem propriam, *vel* per doctrinam seu testimonium aliorum hominum *vel* per revelationem divinam. Si res per inquisitionem propriam, ope intellectus agentis, a phantasmate speciem abstrahentis, cognoscitur, scientia *acquisita* habetur. Si species intelligibiles rerum, quibus intellectus in actu primo proximo intelligendi constituitur, immediate facultati per actio-

nem divinam suppeditantur, scientia *infusa* habetur. Scientia ergo infusa non per species a phantasmatibus abstractas acquiritur, sine conversione ad phantasmata exercetur. Cum Deus species infundere dicitur, non actum humanum intelligendi formaliter supplet, sed intellectum humanum ad actum per species intelligibiles, a se immissas, determinat.

Scientia *infusa* duplex distinguitur: per se et per accidens infusa. *Per se* infusa est illa cognitio, a Deo immediate communicata, ad quam humanus intellectus propriis viribus numquam pervenire posset. *Per accidens* infusa viribus quidem naturae acquiri posset, sed gratuito a Deo homini communicatur. Sic vg. scientia multarum linguarum, vel eximia scientia theologica, aut philosophica viribus quidem humanis obtineri potest; sed potuit etiam miraculose suppeditari et quandoque Deus illa nonnullos ditavit.

2. In I^a *parte* thesis affirmamus: animam Christi a primo instanti vitae terrestris scientia per se infusa praeditam fuisse. Assertum hoc inter Theologos omnino est communius. *Gonet* (Disp. 17, a. 1 § 1) et *Hugon* (q. 6, a. 3, pg. 502) affirmant scientiam per se infusam negatam reiectamque fuisse ab Alexandro Halensi, Bonaventura, Scoto, Nominalibus, Durando. Immerito tamen. Nam *Alex. Halensis* (*Sum. Theol.* P. 3, q. 13, Resolutio) sex modos scientiae in anima Christi distinguit et praeter scientiam beatam et acquisitam agnoscit et admittit scientiam Christi talem, qualem angeli habent, quali Adam a Deo in paradiso fuit ditatus; quae profecto scientia est infusa. S. *Bonaventura* (In 3. Dist. 14, a. 3, q. 2) ait: «habitus et species impressae fuerunt ipsi animae Christi *in omnimoda plenitudine*; hinc est, quod Christus proficere non potuit cognitione simplicis intelligentiae». Iure merito igitur editores operum Doctoris Seraphici protestantur contra hanc accusationem [1]. *Scotus* (3 Dist. 14, q. 3) scientiam per se infusam reiicit; Scotistae tamen

[1] Cfr. l. c. *Schol.* ad q. 1.

recentiores hanc scientiam admittunt [1]. E nominalistis vg. *Biel* (3 Dist. 14, q. 1, a. 2) non defendit sententiam negativam. « Nihil, inquit, perfectionis intellectui creato possibile negatum est intellectui Christi, Verbo uniti; unde credendum, quod nihil, quod angelis et prophetis et sanctis *revelatum est*, negatum est intellectui animae Christi, sed longe plura et perfectiora », (subintelligitur: revelata sunt Christo). Nec *Durandus* (3 Dist. 14, q. 3) stat pro parte negativa; ait enim: « Tenendum est ergo, quod in ipso (i. e. Christo) ab instanti suae conceptionis fuit non solum cognitio *beata*, sed quaedam alia cognitio infusa, per quam cognovit non solum entia naturalia, sed etiam mysteria divina ».

Probatur Thesis.

Pars I. — Christus homo habuit scientiam per se infusam.

Arg. 1. (F S. Scripturis). Christus, ut hic homo, in primo instanti vitae terrestris abscondita consilia Dei cognovit. *Atqui* ad horum cognitionem per scientiam infusam, pervenit. *Ergo* Christus a primo instanti vitae terrestris habuit scientiam per se infusam.

Prob. mai. Hebr. 10, 4-9; *Impossibile enim est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri scriptum est de me: ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Superius dicens: quia hostias et oblationes et holocautomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quae secundum legem offeruntur, tunc dixi: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.*

Prob. min. Iesus Christus, « ingrediens in mundum », scientia acquisita non potuit scire: talem esse voluntatem divi-

---

(1) Cfr. Ioan. de Rada, *Controv. Theol.*, P., 3, Controv. 9, a. 4: Conclusio haec est *communis* et *ab omnibus* asserta; Henno, *Theol. Dogm.*, t. 2, Disp. 10, q. 2; Minges, *Comp. Theol. Dogm.* I, pg. 283, n. 510.

nam, ut novum sacrificium fiat. Hostias veteris Foederis Deo displicere, non potuit sciri per cognitionem acquisitam ab infante, qui in utero adhuc gestabatur.

Nec haec consilia divina novit Christus homo dumtaxat per visionem beatam. Christus enim a primo instanti vitae *merebatur*, ut Theologi communiter docent. (Cfr. *S. Th.*, q. 48, a. 1, ad 2). *Atqui* visio beatifica, prout per eam Deus, bonitas in se summa, cognoscitur, non est principium meriti. *Ergo* in Christo homine, qui a primo instanti merebatur, alia, praeter beatam, aderat cognitio scl. infusa.

Arg. 2. (E ratione theologica). *a*) Omnis perfectio creaturis communicata et quae visioni beatificae non contradicit, atque muneri Redemptoris non officit, animae Christi est tribuenda. *Atqui* scientia per se infusa aliis creaturis fuit communicata, ut puta angelis; scientia infusa visioni beatificae animae Christi non obstat; nam per visionem beatam Deus et res creatae *alio modo*, nempe *in Deo* cognoscuntur; per scientiam infusam res in propria ipsarum specie attinguntur; ad condigne explendum munus redemptoris per Christum scientia infusa potius postulabatur; perfectius enim est mereri a primo vitae instanti, quam demum post elapsum aliquod spatium temporis. *Ergo* Christus, ut hic homo, habuit scientiam per se infusam.

b) Congruit undequaque, ut humanitas a Verbo assumpta, etiam in ordine cognitionis sit perfecta. *Atqui* humanitas Christi, nisi scientiam per se infusam haberet, in ordine cognitionis esset imperfecta. Nam quidquid est in potentia, est imperfectum, absque correspondenti sibi actu. Porro anima Christi absque speciebus infusis rerum esset in potentia ad actum cognitionis rerum, ut sunt in se. *Ergo* humanitas Christi, a Verbo assumpta, esset imperfecta in ordine cognitionis, nisi ditata fuisset scientia per se infusa. (Cfr. *S. Th.*, q. 9, a. 3).

c) Accedit, quod omnes Theologi catholici, (si *Scotum* excipias), quamquam in *obiecto* seu *extensione* scientiae per se infusae non concordant, in defendenda existentia

huius scientiae omnino sunt unanimes. Iam vero eiusmodi consensus Theologorum, per saecula perdurans non potest esse falsus.

Explicatur pars IIª de scientia Christi acquisita.

1. Nomine scientiae acquisitae ea scientia intelligitur, qua res *ope specierum*, a phantasmatibus abstractarum, cognoscuntur. Quia haec cognitio ex experientia sensuum hauritur, a nonnullis scientia *experimentalis* vocatur (1). *Acquisita* autem ideo dicitur, quia per naturalem activitatem tum intellectus tum phantasmatum acquiritur. Ad scientiam acquisitam habendam evolutio organorum requiritur et supponitur; quare haec scientia, lapsu temporis, paulatim crescit atque augetur.

2. Existentiam scientiae acquisitae in Christo Iesu *negare debebant*: Appollinaristae, qui Christum anima humana carere dictitabant; praeterea Monophysitae Eutychiani, quippe qui unicam in Christo naturam divinam admitterent.

Theologi Scolastici concordes sunt in admittenda scientia naturali, experimentali, quodammodo « acquisita ». Haec scientia « experimentalis », « acquisita » distinguitur a scientia beata et per se infusa. Intimam tamen rationem formalem huius scientiae acquisitae *non eodem modo* omnes explicabant.

Iuxta S. Bonaventuram (3 Dist. 14, a. 3, q. 1 et 2), S. Thomam iuniorem (3 Dist. 14, q. 1, a. 3, *sol.* 2 et *sol.* 5), iuxta quosdam Scostistas, ut Frassen (Tract. 1, d. 2, a. 2, s. 3, q. 4), Henno (D. 10, q. 2 et q. 6); iuxta Würceburgenses, (Dis. 4, s. 1, a. 3), Muncunill, (Dis. 12, a. 2, pg. 353) aliosque, Christus a primo suae conceptionis instanti habuit scientiam per accidens infusam, qua certo et evidenter cognovit ea omnia, quae naturaliter ab intellectu humano cognosci possunt. Hanc scientiam in Iesu infante

---

(1) Cfr. Suarez, Disp. 30, Sect. 2.

infusam appellant «naturalem», quia Iesus decursu temporis sibi illam comparare potuisset. Praeter hanc per accidens infusam admittunt adhuc scientiam stricte experimentalem, per quam cognovit ea omnia, quae a sensibus percipiuntur. S. Thomas audiatur: «Christi scientia numquam crevit, quantum ad genus cognitionis; quia illud genus sequitur naturam humanam, quae in ipso semper permansit; nec iterum, quantum ad numerum scitorum, quia omnia scivit a primo instanti suae conceptionis, quae ad hanc scientiam pertinent». (*Sol.* 5) «Christus cognovit intellectu possibili, cuius est obiectum phantasma. ideo cognovit ea cum continuo (seu successive) et tempore, utens phantasmatibus quasi obiectis intellectus, *non quidem sicut ab eis speciem accipiens*, sed sicut species circa ea ponens, sicut contingit in eo, qui habet habitum et actu aliqua considerat» (*sol.* 2). Et quantum ad hanc cognitionem «experimentalem» crevit scientia Christi, in quantum quotidie aliqua videbat sensibiliter, quae prius non viderat; non autem crevit quoad essentiam cognitionis.

Communius tamen Theologi, cum S. Thoma provectioris aetatis, qui suam opinionem in *Summa* (q. 9, a. 4) modificavit, docent: in Christo fuisse scientiam vere acquisitam i. e. propriis actibus, per abstractionem intellectus agentis comparatam. Hanc sententiam, quae de die in diem *communior* fit, in II^a parte defendimus.

Probatur thesis.

Pars II. — Christus habuit etiam scientiam acquisitam.

Arg. 1. (E S. Scripturis). Secundum S. Scripturas Christus mirabatur, in passione oboedientiam didicit. *Atqui* haec testimonia, sensu obvio et litterali, implicite tribuunt Christo scientiam acquisitam. *Ergo* Christus etiam scientiam acquisitam habuit.

Prob. mai. Christus mirabatur. *Mt.* 8, 10; *Audiens autem Iesus* (responsum centurionis) *miratus est, et sequentibus se dixit: amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël.* Cfr.

Lc. 7, 9. *Hebr.* 5, 8; *Cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quae passus est, oboedientiam.*

Prob. min. Admiratio importat cognitionem alicuius novi, vel contestationem disproportionis inter causam et effectum. Iesus aperte dicit: non inveni tantam fidem in Israël, quam apud centurionem reperio. Mens vero S. Pauli in textu adducto (*Hebr.* 5, 8) satis aperta est, nempe: quamvis Iesus, qua Filius Dei optime sciret et intelligeret, quid sit oboedientia; tamen demum in passione, qua homo, expertus est, quid, quantumque haec virtus requirat; atque in oboedientia excellens, « *consummatus* », *factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis aeternae.* (*Hebr.* 5, 9).

Arg. 2. (E doctrina S. Patrum et Theologorum). Plures *S. Patres* et eximii *Theologi* atque recentiores *Exegetae* admittendam esse docent veram scientiam acquisitam in Christo et hoc sensu litterali intelligunt verba S. *Lucae*, 2, 52; *Et Iesus proficiebat sapientia et aetate.*

a) Non desunt Patres et Exegetae, qui verum profectum Christi in scientia *non admittunt;* dicuntque Christum non in se sed in nobis profecisse, quia, ut nos spiritu, sapientia et gratia proficeremus, effecit; itaque verba S. Lucae non de propria persona Christi, sed de persona corporis eius mystici dicta esse arbitrantur: vel putant in textu illo sermonem dumtaxat esse de profectu *manifestationis* scientiae Christi ad extra ([1]).

b) Alii tamen S. Patres, hunc textum S. Lucae et verba S. Pauli (*Hebr.* 5, 8) commentando, simpliciter asserunt; Christum humana scientia profecisse. Posteriorum aetatum exegetae et Theologi accuratius distinxerunt: non dari quidem progressum realem in scientia Christi beata vel per se infusa; sed verum profectum propugnant in humana scientia Christi acquisita vel experimentali.

([1]) Quos videsis indicatos apud Maldonatum, *Commentarii*, Moguntiae 1674, pg. 118; et Petavium, *De Incarnatione*, l. 11, c. 2, n. 7 seq.

S. Ambrosius. *De Incarn.*, 7, 71. 72. Sensu hominis profeci, sicut scriptum est: *et Iesus proficiebat.* Quomodo proficiebat, sapientia Dei? Doceat te ordo verborum. Profectus est aetatis et profectus sapientiae, sed humanae est. Ideo aetatem ante praemisit, ut secundum hominem crederes dictum, aetas enim non divinitatis, sed corporis est. Ergo si proficiebat aetate hominis, *proficiebat sapientia hominis*: sapientia autem sensu proficit, quia a sensu sapientia. ML. 16, 836 C. 837.

S. Epiphanius, *Adv. Haer.*, 3, 77, 26. *Iesus autem crescebat.* Ubi propter carnem, aetatem significavit; aetas vero ex anima, ut dixi et corpore perficitur. Ac posteaquam aetate illum processisse dixit, consentanee, Et sapientia, subdidit. Iam vero, qui sapientia Patris esset, quinam ullos sapientiae progressus habere potuit, si ab humana mente diversum illud vas, ut ita dicam, fuit? Ac si mentis expers extiterit, qui fieri potuit, ut sapientia corpore animaque progressus faceret? Vides, quam detorta violentaque sit illorum sententia. MG. 42, 678 D. 679. (Cfr. *Ancor.*, 31. MG. 43, 74 A-C).

S. Cyril. Alex., *Hom. Pasch.*, 17. 3. Quemadmodum dixi nuper, cum sit ante saecula Dei Filius, extremis saeculi temporibus destinatus esse dicitur Filius Dei, postquam carnis suae nativitatem, providentiae consilio, sibi veluti propriam vindicavit. Ita etiam, cum sit sapientia Patris, *proficere dicitur* sapientia, qui tamen esset perfectissimus, quippe Deus, quae sunt humanae naturae propria, ob suam unionem iure optimo in seipsum transtulit. MG. 77, 782 A. *Thesaur.*, 28. *Profecit in sapientia...* non quatenus est Verbum, sed *quatenus est homo* et naturam profectus capacem gestavit. MG. 75, 423 B.

Fulgentius, *Ad Trasim.*, 1, 8. Sicut *carnis est aetate proficere,* sic est animae sapientia et gratia profecisse, qua tamen nullatenus proficeret, si naturalem intelligentiam, quae hominibus rationis causa concessa est, non haberet. ML. 65, 231.

S. Ven. Beda, *In Lucae Ev.*, 1, 2. Sicut carnis est aetate, sic animae sapientia proficere et gratia. Quae tamen in sapientia nullatenus proficeret, si naturalem intelligentiam, quae hominibus rationis causa concessa est, non haberet. Non quia hoc susceptor Deus eguit, praesertim cum supra plenus sapientia puer fuisse describatur, sed *quia hoc* pro remedio nostrae salutis effectus piae susceptionis *elegit*, ut, dum caro et anima rationalis a Deo suscipitur, utraque pariter salvaretur. ML. 92, 350 D.

S. Thomas, S. *Th.*, 3 P., q. 12, a. 2 et ad. 1. Si praeter habitum scientiae infusum, non sit in anima Christi aliquis *habitus scientiae acquisitae,* ut quibusdam videtur, et mihi aliquando visum est (3 Dist. 14, q. 1, a. 3, q. 5), nulla scientia in Christo augmentata fuit secundum essentiam, sed solum per experientiam, i. e. conversionem specierum intelligibilium inditarum ad phantasmata; et secundum hoc dicunt, quod scientia Christi profecit secundum experientiam, convertendo scl. species intelligibiles, inditas ad ea, quae de novo per sensum accepit: sed quia inconveniens videtur, quod

aliqua naturalis actio intelligibilis Christo deesset, cum extrahere species intelligibiles a phantasmatibus sit quaedam naturalis actio hominis secundum intellectum agentem, conveniens videtur, hanc etiam actionem in Christo ponere; et ex hoc sequitur, quod in anima Christi aliquis *habitus* scientiae fuerit, qui *per huiusmodi abstractionem specierum potuerit augmentari*: ex hoc scl. quod intellectus agens post primas species intelligibiles abstractas a phantasmatibus poterat etiam alias et alias abstrahere.

Dicendum ergo, quod tam scientia *infusa* animae Christi, quam scientia *beata* fuit effectus agentis infinitae virtutis, qui potest simul operari totum; et ita in neutra scientia Christus profecit, sed a principio eam perfectam habuit; sed scientia *acquisita* causatur ab intellectu agente, qui non simul totum operatur, sed *successive* et ideo secundum hanc scientiam Christus non a principio scivit omnia, sed paulatim et post aliquod tempus, scl. in perfecta aetate, quod *patet ex hoc, quod Evangelista* simul dicit eum profecisse scientia (*sapientia*) et aetate.

Scotus, 3 Dist. 14, q. 3 ad 1. Textus Evangelii *non est exponendus*, ut tantum profecit secundum apparentiam, quia secundum *August.* 83, q. 9 contra Appollinaristas, Evangelistae narrant historias et ideo verba eorum vera sunt, ut exprimuntur: non sic de aliis sermonibus tropicis Scripturae sacrae et hoc etiam declarat auctoritas *Ambrosii* et *Apostoli ad Hebraeos*, quia vere in eo aliquis *sensus* profecit, non quod aliquorum cognitionem abstractivam habitualem acquisierit, sed *intuitivam*, tam actualem quam habitualem.

Cajetanus, 3 P., q. 12, a. 2. In scientia acquisita Christus profecit secundum habitum: hoc est habitus scientiae acquisitae in Christo potuit augmentari per abstractionem specierum, i. e. per hoc quod intellectus agens post primas species intelligibiles abstractas a phantasmatibus poterat etiam alias abstrahere. Ex articulo (S. Thomae) habes: quomodo per rationem ostendas et recte intelligas; merito esse *in Scripturis insinuatum*: quod Christus in scientia acquisita profecerit. Ut *Lc.* 2, 52 secundum quod cum expositione *B. Ambrosii* ponitur in argumento.

Suarez, Disp. 30, Sect. 2, n. 9. Dico animam Christi non habuisse a principio creationis eam humanam scientiam, quae in experientia rerum consistit atque adeo *successione temporis in ea profecisse*. Christum non solum in sensuum experimento, verum etiam in intellectu acquisivisse mediis sensibus *novam aliquam experimentalem cognitionem* et species intelligibiles ad illam necessarias, quas in initio non habuit, est vera conclusio et communis theologorum.

I. Maldonatus, *Comment. in Ev., Lc.* 2, 52. Posteriores Theologi rem magis illustrarunt, quadruplicem in Christo fuisse scientiam; divinam, beatam, infusam, usu comparatam, quam experimentalem vocaverunt. Ergo nec divina, nec beata neque infusa scientia proficere potuisse, quia infinita erat:

sola profecisse experientia, quemadmodum indicat Paulus, cum dicit: *didicit ex iis, quae passus est, oboedientiam.*

Cornel. a Lapide, *Comment. in Ev., Lc.* 2, 52. Dicitur ergo Christus profecisse; *primo* in opinione hominum ac in specie et ostensione externa. *Secundo*, proprie crevit Christus sapientia experimentali; ipso enim usu multa expertus maiorem acquisivit experientiam. Hinc, *didicit ex iis, quae passus est, oboedientiam.*

Iac. Tirinus, *Comment. in S. Scrip.*, II. *In Lc.* 2, 52. Proficiebat ut aetate sic et sapientia et gratia, non habituali vel infusa, sed sola experimentali *seu usu acquisita scientia.*

Eandem interpretationem invenies apud recentiores Exegetas, v. g. P. Schanz (1), Lagrange O. Pr. (2).

Arg. 3. (E ratione theologica). Christus assumpsit integram animam intellectualem; ergo et *intellectum agentem*, qui est facultas abstrahendi a phantasmatibus species intelligibiles. *Atqui* intellectus agens esset frustra in anima Christi, si Christus scientiam vere acquisitam non habuisset. *Ergo* Christus scientiam acquisitam habuit.

Ad mai. S. Th., q. 9, a. 4. Nihil eorum, quae Deus in nostra natura plantavit, defuit naturae assumptae a Dei Verbo: manifestum est autem, quod in humana natura Deus plantavit non solum intellectum possibilem, sed etiam intellectum agentem; unde necesse est dicere, quod in anima Christi fuit non solum intellectus possibilis, sed etiam intellectus agens.

Ad min. S. Th., q. 9, a. 4. Si in aliis Deus et natura nihil frustra faciunt, multo minus in anima Christi aliquid fuit frustra; *frustra autem est*, quod non habet propriam operationem, cum omnis res sit propter operationem suam:

---

(1) Cfr. P. Schanz, *Commentar über das Ev. des hl. Lucas*, Tübingen 1883, pg. 154.

(2) Cfr. Lagrange O. Pr., *Evangile selon S. Luc*, Paris 1921, pg. 98. Luc a évidemment eu à coeur de constater ce progrès en sagesse et son texte avait une grande valeur, soit contre les Docètes, soit contre les Appollinaristes, qui refusaient une intelligence humaine à Jésus. Nous n'avons pas le droit de le prendre pour l'expression d'une simple apparence.

propria autem operatio intellectus agentis est *facere species intelligibiles actu*, abstrahendo eas a phantasmatibus... Sic igitur necesse est dicere, quod *in Christo fuerint* aliquae *species intelligibiles per actionem intellectus agentis in intellectu eius possibili receptae;* quod est esse in ipso scientiam acquisitam, quam quidam experimentalem appellant: et ideo, quamvis aliter alibi scripserim (*3. Sent.*, q. 3, a. 3, q. 5), dicendum est, in Christo fuisse scientiam *acquisitam;* quia proprie est scientia *secundum modum humanum,* non solum ex parte subiecti recipientis, sed etiam ex parte causae *agentis*: nam talis scientia ponitur in Christo secundum lumen intellectus agentis, quod est animae connaturale: scientia autem infusa attribuitur animae humanae secundum lumen desuper infusum, qui modus est proportionatus naturae angelicae: scientia vero beata, per quam ipsa essentia Dei videtur, est propria et connaturalis soli Deo.

Schol. 1. De obiecto scientiae Christi per se infusae.

Secundum S. *Thomam* (q. 11, a. 1-6), Christus ope scientiae per se infusae, conceptu quidditativo et comprehensivo novit omnia creata, praeter essentiam divinam. Obiectum ergo huius scientiae tam late patet quam ens creatum, prout supernaturaliter cognoscibile est. Etiam futura libera contingentia, quae ad munus Redemptoris et Iudicis spectabant, Christus hac scientia cognoscere poterat. Insuper per hanc scientiam infusam cognovit Iesus omnia, quae per revelationem divinam hominibus innotescunt. « Omnia ista abundantius et plenius caeteris cognovit anima Christi » (*a.* 1).

Scientia infusa Christus uti potuit pro lubitu suo vel absque conversione vel cum conversione ad phantasmata (*a.* 2). Scientia infusa Christi non fuit semper in actuali consideratione omnium, ad quae poterat sese extendere, sed fuit habitualis, qua Christus, prout volebat, uti poterat (*a.* 5).

Ope scientiae acquisitae intellectus Christi, cum ad culmen progressus pervenit, cognovit omnia, quae naturaliter cognosci possunt per actionem intellectus agentis. Unde per hanc

scientiam non cognovit directe v. g. substantias separatas, quas tamen per scientiam infusam novit (q. 12, a. 1).

Schol. 2. De immunitate Christi ab errore et ignorantia.

Cum in scientia acquisita Christus vere et proprie profecisset, habitus scientiae *acquisitae* in Christo homine auctus est. Decursu enim temporis, cum profectu cognitionis sensitivae Christus novas ideas acquirebat, proindeque ob naturalem activitatem intellectus agentis, a phantasmatibus species intelligibiles abstrahentis, habitus scientiae acquisitae in Christo augebatur. E contra in scientia *beata* et *per se infusa* Christus non proficiebat. Nam scientia beata, per quam Christus essentiam Dei et alia in ipsa vidit, fuit perfectissima simpliciter. Visio haec «non fuit cognitio habitualis, sed actualis respectu omnium, quae (Christus) hoc modo cognovit», (*S. Th.*, q. 11, a. 5 ad 1). Scientia per se infusa fuit habitualis, qua uti poterat, quando volebat.

1. Quamquam cognitio Christi *acquisita augebatur*, tamen Christus, ut hic homo, in cognitione acquisita numquam erravit, immo infallibilis erat.

Qua Deus, in cognitione *divina* evidenter non erravit; nam intellectus divinus absolute errare non potest. Item cum scientia Christi *infusa* error componi non potest; nam cognitio infusa ex ideis divinitus menti impressis oritur. Porro Deus erroneas ideas in mente humana producere non potest. *Ergo* Christus in cognitione infusa infallibilis est. Immo in usu scientiae infusae et in scientia acquisita Christus, hic homo, errare non potuit; quod tam *Protestantes Liberales*, quam *Modernistae* negant. (*DB*. 2032, 2033).

Perperam; nam Christus, ut hic homo, in scienta humana, ab omni errore immunis non potuit non esse. Actiones enim humanae Christi Verbo adscribuntur eique moraliter imputantur, propriae sunt actiones Verbi. Si igitur Christus errasset, in aliquo iudicio ferendo; hic *error personae divinae Verbi imputaretur*; esset error personae divi-

nae, (nam actiones sunt suppositorum). *Atqui* persona divina errare nequit. *Ergo* Christus, ut hic homo, in nullo iudicio ferendo errare potuit. Praeterea Christus a Patre, ut magister commendatur; *ipsum audite*. (*Lc.* 9. 35). Christus seipsum ut ducem, lucem, veritatem exhibet. *Qui sequitur me*, inquit, *non ambulat in tenebris*, (*Ioan.* 8, 12; 13, 13; *Mt.* 23, 10). *Atqui* his implicite tribuitur Christo homini infallibilitas. *Ergo* Christus ab omni prorsus errore immunis fuit.

2. Utrum Christus, ut hic homo, quidquam ignoraverit? seu utrum in Christo homine vera et proprie dicta ignorantia privativa admitti possit?

Theologi Catholici, etsi, ut vidimus, verum progressum in scientia acquisita Christi admittant, nihilominus veram ignorantiam a Christo homine prorsus removent. Etiamsi Christus *per scientiam acquisitam* non omnia statim, a principio vitae, actu sciverit, tamen per scientiam *beatam* in essentia divina et per scientiam *infusam*, ope specierum creatarum, omnia praeterita, praesentia et futura novit. Christus itaque, licet vere profecerit secundum aliquem *modum sciendi*, nihil tamen ignoravit secundum numerum scitorum. Secundum numerum scitorum scientia Christi est invariabilis et perfecta; perficitur secundum aliquem connaturalem modum cognoscendi. *DB.* 2184, 2185.

Veram ignorantiam in Christo homine admiserunt; Theodorus Mopsuestenus, Nestoriani, et Agnoëtae. Agnoëtarum factio orta est c/a. 540 cum Themistius, disputando cum Iuliano Halicarnassensi, veram passibilitatem et defectus humanos in Christo adeo urgebat, ut etiam veram ignorantiam in Christo admisisset. Saeculo XVI *Lutherus, Calvinus, Bucerus, Theod. Beza;* saec. XIX *Hermes, Guenther, H. Schell* affirmabant: Christum vere multa ignorasse ([1]).

Concedimus nonnullos Patres, ut *Athanasius, Gregorius Nys-*

([1]) Cfr. A. Vacant, *Agnoètes ou Agnoites*, DTC. 1, 586-596; I. Maric, *De Agnoëtarum doctrina*, Zagreb 1914; Idem, *Das menschliche Nicht-Wissen Kein soteriologisches Postulat*, Zagreb 1916.

senus, Cyrillus Alexandrinus, Ambrosius, Fulgentius e rationibus polemicis veram quorundam ignorantiam in anima Christi admisisse ([1]); non desunt tamen alii Patres, qui cathegorice vel umbram ignorantiae a Christo propulsant, cum error Christi hominis in personam divinam Verbi redundet atque devolvatur ([2]). Iure merito ergo proscripta fuit (a. 1918), *ut non tuta*, propositio: « Nec *certa dici potest* sententia, quae statuit animam Christi nihil ignoravisse, sed ab initio cognovisse in Verbo omnia praeterita, praesentia et futura, seu omnia, quae Deus scit scientia visionis ». *DB.* 2184.

Solvuntur Difficultates.

1. Prorsus inutilis est scientia infusa, si Christus omnia novit per visionem beatam. *Atqui* Christus omnia novit per visionem beatam. *Ergo* scientia infusa prorsus est inutilis.

Resp. Inutilis esset, si Christus per scientiam beatam omnia novisset in propria ipsorum specie, *trans. mai.* Inutilis est, si omnia novit per visionem beatam in essentia divina, *N. mai. Ctrd. min.*

2. Scientia per se infusa est superflua, si Christus illa uti non poterat a primo instanti vitae. *Atqui* Christus ante evolutionem organorum scientia infusa uti non poterat. *Ergo* scientia infusa superflua est in Christo homine.

Resp. Esset superflua, si intellectus Christi per species divinitus infusas ad cognoscendum nullomodo determinaretur, *C. mai.* Si intellectus per species infusas ad cognoscendum determinatur, quamvis hae a phantasmate non abstrahantur, *N. mai. Dist. min.* Non poterat uti speciebus ullomodo, absolute, *N. min.* Non poterat uti speciebus a phantasmate abstractis, *C. min.* Ad rem *Angelicus* « Animae beatae et ante resurrectionem et post intelligere possunt *absque conversione ad phantasmata;* et hoc etiam oportet dicere de anima Christi, quae plene habuit facultatem comprehensoris » (q. 11, a. 2).

([1]) Cfr. Rivière, *Le problème de la science humaine du Christ*, « Bulletin de la Lit. ecclés. », Toulouse 1915-1916, pg. 241 seq.

([2]) Plura videsis apud Pesch, Op. cit., n. 270-275; Billot, Op. cit., th. 21, pg. 247 seq.; Galtier, Op. cit., th. 25, pg. 285; J. Lebreton, *Histoire du dogme de la Trinité, I, Les origines*, Paris 1927 [6], pg. 559-590.

3. Idem intellectus non potest habere simul duas scientias specie diversas. *Atqui*, si in Christo scientia infusa adesset, intellectus Christi haberet duas scientias specie diversas. *Ergo* in Christo non datur scientia infusa.

Resp. Idem intellectus non potest habere duas scientias specie diversas ex iisdem principiis et eodem modo, *C. mai.* Ex diversis principiis et diverso modo, *N. mai. Ctrd. min.* In scientia beata, ope luminis gloriae habetur immediata unio intellectus cum essentia divina, in qua omnia videntur. In scientia infusa intellectus, ope speciei divinitus infusae, rem attingit.

4. Scientia acquisita arguit subiecti imperfectionem. *Atqui* Verbo Dei nulla imperfectio est tribuenda. *Ergo* in Christo non fuit scientia acquisita.

Resp. Scientia acquisita arguit alicuius subiecti imperfectionem physicam, ob naturae ipsius potentialitatem, *C. mai.* Arguit ipsius subiecti aliquam imperfectionem moralem, *subd. mai.* alicuius subiecti creati, *trans. mai.* Necessario subiecti increati, *N. mai. Dist. min.* Verbo Dei in se spectato, nulla omnino est tribuenda imperfectio, *C. min.* Verbo Dei *incarnato*; *subd. min.*; nulla imperfectio moralis, *C. min.* Nulla imperfectio physica, inseparabiliter conserta cum potentialitate naturae humanae assumptae, *N. min.*, vel *transeat interim min.*

5. Qui interrogat, ignorat. *Atqui* Christus pluries interrogavit; v. g. Quot panes habetis? Ubi posuistis eum? Quem putant homines esse Filium hominis? *Ergo Christus* plura ignoravit.

Resp. Dist. mai. Necessario et semper ignorat, *N. mai.* Quandoque, *C. mai. Dist. min.* Christus interrogavit ob veram ignorantiam, *N. min.* Interrogavit ob alias rationes, *C. min.* Cfr. *S. Th.*, q. 12, a. 3 ad 1: Dicendum, quod sicut Origines dicit super Luc. (*hom. 18. et hoc 19 ad fin.*): « Dominus interrogabat, non ut aliquid addisceret, sed interrogans erudiret; ex uno quippe doctrinae fonte manat et interrogare et respondere sapienter »; unde et ibidem in Evangelio sequitur, quod « *stupebant omnes*, qui *eum audiebant, super prudentia et responsis eius* ». Cfr. insuper *Pesch*, Op. cit., n. 271.

6. Christus explicite professus est, se diem iudicii ignorare. *Mc.* 13, 32: *De die autem illo vel hora nemo scit, neque Filius, nisi Pater.*

Resp. a) Textus allati *variae* datae sunt a Patribus et Catholicis Exegetis interpretationes [1]. *b*) Probabilissima interpretatio ita proponitur: Filius hominis dixit se nescire illum diem i. e. in sphaeram sui magisterii et suae legationis a Patre non intrare, non pertinere, ut per illum de die iudicii edoceamur.

---

[1] Quas videsis apud Hugon, Op. cit., pg. 491 seq.

Cap. 3. — De impeccabilitate et libertate Christi.

Thes. 16. — Voluntas humana Iesu Christi numquam peccavit, immo peccare non potuit.

S. Th., q. 15, a. 1; q. 31, a. 7; 3. Dist. 3, q. 4, a. 1; Dist. 12, q. 2, a. 1 et 2; Suarez, Disp. 33, sect. 1 et 2; Franzelin, th. 43; Janssens, q. 15, a. 1, pg. 542; q. 18, a. 6, pg. 666 seq.; Muncunill, Disp. 8, a. 6, pg. 282; Pesch, th. 24; Otten, th. 25; Galtier, th. 25; Hugon, q. 9, a. 1, pg. 561; Atzberger, *Usündlichkeit Christi*, Tübingen 1883; Richard, *Impeccabilité*, DTC. 7, 1278 seq.; Michel, *Jésus-Christ, Impeccabilité du Christ*, DTC. 8, 1290 seq.

Status Quaestionis.

Omnis creatura libera, etiamsi pondere naturae in bonum, ut sic, feratur, tamen, cum bonitatem subsistentem immediate seu intuitive in terris non videat, eligendo bonum aliquod caducum et fallax sub specie boni, a bonitate subsistente sese avertere seu peccare potest. Quamquam electio boni vel mali moralis in potestate est creatae libertatis, nihilominus potentia peccandi essentiam indifferentiae activae non constituit. Cum igitur creatura rationalis, in terris degens in bono morali ordinarie *confirmata* non sit, ideo creatura *ex se* peccabilis est (1).

Creata, humana voluntas Christi habuitne potentiam peccandi? *Impeccantiam* et *impeccabilitatem* humanae voluntatis Christi quod attinet, tria asserimus: *a*) Christus, ut hic homo numquam peccavit, (*pars I*ª). *b*) Quin immo humana Christi voluntas peccare non potuit, (*pars II*ª). *c*) *Impeccabilitas* humanae voluntatis Christi fundatur in unione hypostatica, (*pars III*ª).

---

(1) Cfr. S. Thomas, *De Veritate*, q. 24, a. 7-9.

Explicatur pars Iª de impeccantia Christi.

1. Quoniam humana voluntas Christi in suis constitutivis eadem est, quam aliae voluntates hominum; ideo et illa *ex se* labilis erat. Quoniam vero Filio Dei hypostatice unita, visione beatifica ditata, infinitisque donis gratiae cummulata fuit; ideo numquam de facto peccavit. *Impeccantia* haec est humanae voluntatis Christi proprietas, vi cuius numquam actu peccavit. In *parte* Iª impeccantia humanae voluntatis Christi vindicatur.

2. Christum numquam peccasse, *dogma fidei definitum* est.

Probatur thesis.

Arg. 1. (E definitionibus). *Conc. Chalced.*, Consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem, *per omnia nobis similem absque peccato. DB.* 148. Cfr. *Constp. III. DB.* 290.

Conc. Later. (contra Monothel.), Incarnata dicitur nostra substantia perfecte in Christo Deo et indiminute, absque tantummodo peccato significata. *DB.* 258.

Conc. Tolet. XI. In qua suscepti hominis forma iuxta evangelicam veritatem sine peccato conceptus, sine peccato natus, sine peccato mortuus creditur, qui solus pro nobis *peccatum est factus* (2 *Cor.* 5, 21), i. e. sacrificium pro peccatis nostris. *DB.* 286.

Decr. pro Iacob., Firmiter credit (liberationem nostram a dominatione diaboli per Iesum Christum), qui sine peccato conceptus, natus et mortuus, humani generis hostem, peccata nostra delendo, solus sua morte prostravit. *DB.* 711.

Arg. 2. (E S. Scripturis). Petrus et Ioannes testantur: Christum numquam peccasse. I *Petr.* 2, 22; *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius.* I *Ioan.* 3, 5; *Ille apparuit, ut peccata nostra tolleret et peccatum in eo non est.*

S. Paulus cum emphasi dicit: Christum sine peccato es-

se. *Hebr.* 4, 15; *Habentes pontificem magnum..., tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* Cfr. 7, 26; 2 *Cor.* 5, 21; *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit,* i. e. hostiam pro peccato; vel ut aliis placet: Deus fecit Christum in natura humana simillimum aliis peccatoribus. S. *Th.*, q. 15, a. 1 ad 4.

Ipse Iesus affirmat, se a nullo cuiusvis peccati convinci posse. *Ioan.* 8, 29. 46; *Ego, quae placita sunt* (Patri), *facio semper. Quis ex vobis arguet me de peccato?*

Arg. 3. (E doctrina S. Patrum).

Tertullianus, *De anima*, 41. Solus Deus sine peccato et *solus* homo *sine peccato* Christus, quia et Deus Christus. *RJ.* 350.

Origenes, *C. Cels.*, 3, 62. Impossibile est hominem esse, qui numquam peccaverit, excepto tamen homine a Iesu assumpto, qui homo *peccatum non fecit. RJ.* 527. Cfr. *RJ.* 482.

Aphraates, *Demonstrationes*, 7, 1. Ex omnibus, qui progeniti sunt corpusque induerunt, unus dumtaxat innocens, nempe Dominus noster Iesus Christus, prout ipse de se testimonium perhibet. Ait enim: *Ego vici mundum* (*Ioan.* 16, 33). De ipso iam testatur propheta; *Iniquitatem non fecit, neque inventus est in ore eius dolus.* (*Isai.* 53, 9). *RJ.* 684.

Ps. Athanasius, *C. Apollin.*, 2, 5. Verbum Deus omnia assumpsit ex ex virgine, quaecumque ab initio Deus ad constitutionem hominis efformavit et condidit, excepto peccato; ut Apostolus quoque ait: *Pro similitudine per omnia, praeter peccatum. RJ.* 799. Cfr. *RJ.* 929.

S. Greg. Nazianz., *Orat.*, 38, 13. Secundum omnia, praeter peccatum, fit homo: conceptus ex Virgine, quoad animam et carnem. *RJ.* 1006. Cfr. *RJ.* 995.

S. Epiphanius, *Ancor.*, 80. Quidnam autem se dicere posse isti putant, si asserimus Christum ex Maria genitum esse perfectum hominem aut mente praeditum? An suspicamur illum *peccatis obnoxium* fore? Absit! *RJ.* 1087.

S. Ioan. Chrys., *In Ep. ad Cor. Hom.*, 38, 2. Quomodo (Christus) mortuus est pro peccatoribus, si ipse in peccatis fuit? Nam eum, qui moritur pro peccatoribus, *oportet esse sine peccato*: si enim ipse peccat, quomodo ipse morietur pro aliis peccatoribus? Si autem mortuus est pro peccatis aliorum, nullum peccatum habens, mortuus est. *RJ.* 1198. Cfr. *RJ.* 1224.

S. Hieronymus, *Dialog. adv. Pelag.*, 3, 12. Perpetuitatem impeccantiae soli reservari Deo et ei, qui Verbum caro factus carnis detrimenta et peccata non pertulit. Nec quia ad breve possum, coges me, ut possim iugiter. Possum ieiunare, vigilare, ambulare, legere, psallere, sedere, dormire; numquid in perpetuum? *RJ.* 1406.

S. Augustinus, *Enchir. de fide,* 41. Nulla igitur voluptate carnalis concupiscentiae seminatus sive conceptus et ideo nullum peccatum originaliter trahens, Dei quoque gratia Verbo Patris unigenito, non gratia Filio, sed natura, in unitate personae modo mirabili et ineffabili adiunctus atque concretus et ideo nullum peccatum et ipse committens; tamen propter *similitudinem carnis peccati*, in qua venerat, dictus est ipse peccatum, sacrificandus ad diluenda peccata. *RJ.* 1916.

S. Prosper Aq., *Resp. ad Obiect.*, 1. Contra vulnus originalis peccati, quo in Adam omnium hominum corrupta et mortificata natura est et unde omnium concupiscentiarum morbus inolevit, verum et potens ac singulare remedium est mors Filii Dei Domini nostri Iesu Christi, qui liber a mortis debito et solus absque peccato pro peccatoribus et debitoribus mortis est mortuus. *RJ.* 2031.

S. Fulgentius, *Epist.*, 18, 4, 9. In anima (Christus) sic perfectam incorruptibilitatem servavit, sicut peccatum *nec propagine* traxit *nec contagione* contraxit. *RJ.* 2247. Cfr. *RJ.* 2242. 2305. 2367.

Arg. 4. (E ratione theologica). *a*) Christus est sanctus *substantialiter* et *accidentaliter*. Sanctitatem substantialem Christus, ut hic homo, amittere non potest, quia unio hypostatica est perpetua et inamissibilis. *Atqui* inamissibilis sanctitas substantialis et accidentalis cum peccato simul stare non potest. *Ergo* Christus non habuit peccatum.

b) S. *Thomas*, q. 15, a. 1 sic argumentatur: Christus suscepit quidem nostros defectus, ut pro nobis satisfaceret, ut probaret veritatem naturae assumptae, denique ad virtutis exemplum. *Atqui* peccatum, ad nihil horum obtinendum, conducebat. *Non ad satisfaciendum*; cum potius peccatum satisfactionem exigat; pro peccato satisfaciendum erat. *Non ad probandam veritatem* humanitatis; quia peccatum ad veritatem naturae humanae non pertinet. *Non ad exemplum*: quia peccatum virtuti adversatur. *Ergo* Christus peccatum non commisit ullum.

Explicatur pars IIª de impeccabilitate Christi.

1. Ex ipso facto divinitus revelato: Christum non peccasse, nondum fluit: Christum non posse peccare. Impeccabilitas enim non solam absentiam peccati dicit, verum insuper impossibilitatem peccandi importat. Aliud est: «*non pecca-*

re », aliud « *posse non peccare* » et aliud omnino « non posse peccare ». Impeccabilitas non solum quodvis peccatum (sive actuale, sive habituale) sed etiam *potentiam, possibilitatem* peccandi excludit.

2. Impeccabilitas *distinguitur* consequens et antecedens; extrinseca et intrinseca. Consequens fluit *ex praevisione* et *providentia divina*, qua stante, aliquis peccare non potest. Nam si Deus praevidit: Christum numquam peccaturum, voluntas humana Iesu peccare non poterit; secus cognitio divina falleretur. Impeccabilitas antecedens *in principio actionum* moralium fundatur, quod actionem peccaminosam impossibilem reddit. Prout ipsum principium actionum moralium intrinsecus vel extrinsecus peccatum impossibile reddit: impeccabilitas intrinseca vel extrinseca distinguitur. Si voluntas humana redditur indefectibilis per gratias *extrinsecus* voluntati advenientes eamque confortantes, impeccabilitas antecedens erit extrinseca. Manus infantis vg. in scribendo declinare nequit, si a caligrapho ducitur. Impeccabilitas antecedens, intrinseca datur, si ratio, quae peccatum omnino excludit et numquam voluntatem a bono deflectere sinit, ipsi subiecto intrinseca est.

3. Asserimus in parte IIª: humanam Christi voluntatem *antecedenter-intrinsece* impeccabilem esse.

Theodorus Mopsuestenus Iesum Christum, in pari linea cum aliis hominibus, peccato et concupiscientiae subditis, posuit. Protestantes Veteres sicut perfectam divinitatem et unionem hypostaticam admittebant, ita pariter impeccabilitatem Christi defendebant. E contra Rationalistae saec. XVIII, ut Reimarus, Strauss et Renan omnimodam immunitatem Christi a peccato infitiebantur. Recentes Protestantes Liberales impeccabilitatem humanae voluntatis Iesu ad fabulas et « miracula » amandant, de quibus « Critici » illi nihil scire volunt (1). Intrinsecam-*antecedentem* impeccabilitatem

---

(1) Cfr. Atzberger, *Unsündlichkeit Christi*, pg. 293 seq.; 310 seq.; H. Felder, *Jesus Christus*, t. II.³ pg. 156 seq. « Der sündenlose Jesus bleibt

Christi in dubium vocavit Guenther. Christus enim (iuxta Guenther) ideo tantum impeccabilis erat, quia Deus praevidit fore, ut voluntas Christi peccato non consentiret.

4. *Conc. Constp.* II. damnavit doctrinam Theodori Mopsesteni, asserentis: Christum demum *post resurrectionem* impeccabilem factum esse. *DB.* 224. *Ergo* definitum est: Christum *ante* resurrectionem *impeccabilem* fuisse. Exactius non determinatur a concilio natura huius impeccabilitatis, (utrum vg. sit antecedens, intrinseca; ex quo proveniat). Impeccabilitas Christi generatim, (non intrando in proprietates atque radices illius) est *doctrina catholica*, communiter a Patribus et Theologis recepta.

PROBATUR THESIS.

Pars II. — Humana voluntas Christi impeccabilis fuit.

ARG. 1. (E DEFINITIONE CONSTPL. II). *Conc. Constpl.* II, damnando, «impium Theodorum et impia eius conscripta, in quibus... innumerabiles *blasphemias* effudit contra magnum Deum et Salvatorem Iesum Christum», inter caetera explicite anathematizat hoc *assertum*: «Christum a passionibus animae et desideriis carnis molestias patientem et a deterioribus paulatim recedentem et sic ex profectu operum melioratum et a conversatione immaculatum factum et tamquam purum hominem baptizatum esse... et gratiam accepisse et filiationem meruisse et post resurrectionem immutabilem cogitationibus et impeccabilem omnino factum fuisse». *DB.* 224. *Ergo* contradictorium est verum: *non demum post resurrectionem* Christus omnino impeccabi-

---

ihr rätselhaft, unverständlich, ja geradezu unmöglich; etwas so Exorbitantes, wie es fliegender Löwe oder eine nicht welkende Rose sein würde. So wird die Frage nach der Sündenlosigkeit Jesu zu einem Prüffstein der ungläubigen Jesuskritik».

lis factus est. Traditio catholica vindicavit impeccabilitatem iugem, a primo momento incarnationis.

Arg. 2. (E doctrina S. Patrum).

Origenes, *De Princip.*, 2, 6, 5. Anima Christi ita elegit diligere iustitiam, ut pro immensitate dilectionis *inconvertibiliter* ei atque *inseparabiliter* inhaereret, ita ut affectus immensitas et propositi firmitas et dilectionis inextinguibilis calor omnem sensum conversionis atque immutationis abscinderet, ut, quod in arbitrio erat positum, longi usus affectu iam versum sit in naturam: ita et fuisse quidem in Christo humana et rationabilis anima credenda est et nullum sensum vel possibilitatem eam putandum est habuisse peccati. Illa anima, quae quasi ferrum in igne sic semper in Verbo, semper in sapientia, semper in Deo posita est; *omne quod agit, quod sentit, quod intelligit, Deus est*: et ideo nec convertibilis aut mutabilis dici potest, quae inconvertibilitatem ex Verbi unitate indesinenter ignita possedit. *RJ.* 461.

Ps. Athanasius, *C. Apollin.*, 1, 7. Ad hoc Filius Dei in mundum venit, « ut carne indutus in terra versaretur et carnem peccati incapacem exhiberet... et ad primariam illam formationem propriae naturae restituit, ut ipse esset impeccabilitatis specimen ». MG. 26, 1103.

S. Augustinus, *De peccat. merit.*, 2, 11, 16. Secundum illam iustitiam, qua se noverat iustum, se vituperavit (*Iob.* 42, 5. 6.), atque distabuit, aestimavitque se terram et cinerem; mente conspiciens Christi iustitiam, in cuius non tantum divinitate, sed nec in anima nec in carne ullum potuit esse peccatum. *RJ.* 1721. *De Praed. Sanct.*, 15, 30. Numquid metuendum fuit, ne accedente aetate homo ille (Christus) libero peccaret arbitrio? Aut ideo in illo non *libera* voluntas erat, ac non tanto magis erat, quanto magis peccato servire non poterat. ML. 44, 982.

S. Cyril. Alex., *Hom. Pasch.*, 24. Apparuit igitur nobis Unigenitus; *Apprehendit siquidem semen Abrahae et per omnia fratribus assimilatus est*, (*Hebr.* 2, 16. 17) uno excepto peccato. *Nec enim fas erat divinam et immortalem naturam*, quae mentem omnem, rationem atque admirationem superat, peccati laqueis implicari: vera namque lux est et *tenebrae illum non comprehenderunt*, (*Ioan.* 1, 10). MG. 77, 894 AB. *Adv. Antropomorph.*, 23. Stolidi prorsus, qui ipsum etiam Christum, nescio quo pacto, *peccare potuisse affirmant*, quia forma nobis simili per incarnationem sit factus. Si vero idcirco humanam naturam gestavit, ut, quae in Adam imbecilla erat, in se validissimam et *peccato superiorem* declararet, cur frustra id anxie requirunt, quod invenire non possunt? *RJ.* 2141.

Theodoretus, *Immutabilis Dial.*, 1. Adducit verba S. *Hippolyti M.*

« Porro autem *arca* ex lignis, quae *putrescere non poterant*, erat ipse Salvator. Per hanc enim putredinis et corruptionis expers eius tabernaculum significabatur, quod nullam peccati putredinem genuit. Nam qui peccavit, confitetur et dicit: Putruerunt et corruptae sunt cicatrices meae ob insipientiam meam. *Dominus autem a peccato alienus erat* et ex lignis putrefactioni non obnoxiis secundum hominem, hoc est ex Virgine et Spiritu Sancto, *intus et foris* tamquam purissimo Verbi Dei auro circumtectus ». MG. 83, 86, D. 87.

S. Fulgentius, *Ad Trasim.*, 3, 29. Deitas non potest superari. Propterea utique *etiam* Christi *humanitas* sine peccato permansit, quia eam in unitate personae divinitas accepit, quae naturaliter peccare non novit. ML. 65, 293.

Explicatur pars III de ratione fundamentali impeccabilitatis.

1. Theologi in admittenda et defendenda impeccabilitate Christi amice conveniunt; at in assignanda fundamentali et propriissima ratione illius dissentiunt. Humanitatem Christi impeccabilem esse unanimiter admittunt; rationem intrinsecae impeccabilitatis non eandem omnes indicant.

2. Secundum Scotum (3. Dist. 12, q. 1, n. 3) humanitas assumpta, absolute loquendo, peccabilis fuit; non enim vi unionis hypostaticae, non ob unionem humanitati Christi visio intuitiva Dei debebatur; quare non ob unionem hypostaticam voluntas humana Christi impeccabilis constituitur (1). Durandus (3. Dist. 12, q. 2, n. 5) similiter concedit: Christum, prout iam visione beata fruens consideratur, impeccabilem esse; vi tamen unionis hypostaticae nondum impeccabilem reddi. Opinioni Scoti et Durandi fere omnes *Scotistae* et *Nominalistae* obsecundant (2). Ratio eorum princeps, cur negarent, Christum iam vi unionis *formaliter*, *intrinsece* impeccabilem fuisse, haec erat: natura humana per unionem hypostaticam non immutatur. Haec

---

(1) Scotus, L. cit., Natura, quam assumpsit, erat de se possibilis peccare, quia non erat beata ex vi unionis et habuit liberum arbitrium et ita vertibile ad utrumlibet.

(2) Quos videsis in Atzberger, *Unsündlichkeit Christi*, Op. cit., pg. 159

unio sistit in *esse*; in humanum *operari* Christi unio hypostatica non influit. Ergo Christus vi unionis hypostaticae intrinsece impeccabilis non evadit ([1]).

Communius tamen, extra scholam Scotisticam, Commentatores S. Thomae (3. Dist. 12, q. 2, a. 1) ([2]); docent humanitatem Christi iam *vi unionis impeccabilem* esse. Insuper eadem impeccabilitas e visione beatifica et sanctitate substantiali profluit. Profundissima, radicalis, fundamentalis, propriissima ratio impeccabilitatis Christi in unione hypostatica consistit. Verbum in humana natura subsistens peccabilem naturam habere nequit.

3. Opinio Commentatorum S. Thomae *communior* dici potest.

PROBATUR THESIS.

Pars III. — Humanitas Christi impeccabilis est vi unionis hypostaticae.

ARG. 1. (ACTIONES SUNT SUPPOSITORUM).

Verbum Dei absolute peccare nequit. *Atqui* si humana voluntas Christi peccare posset, Verbum Dei peccare posset. *Ergo* humana voluntas Christi est impeccabilis.

Ad mai. Peccatum est voluntaria aversio a bonitate subsistente: sed Verbum Dei absolute nequit se a divina bonitate subsistente avertere. Ergo Verbum Dei absolute peccare nequit.

Prob. min. a) Hypostasis est subiectum responsabile omnium actionum, quae per suas facultates eliciuntur; hypostasis est subiectum attributionum, quae ipsi ratione naturae competunt. Si igitur humanitas a Verbo assumpta, vi unionis, nondum esset impeccabilis, Verbum Dei vere et proprie dici

---

([1]) Audiatur v. g. HENNO, Disp. 7, q. 2, a. 5. Natura humana ex suis intrinsecis est peccabilis. *Atqui* humanitas Christi non fuit intrinsece mutata per unionem.

([2]) Quos confer, si libet apud ATZBERGER, Op. Cit., pg. 172-187.

deberet peccabile. Quod enim convenit voluntati humanae assumptae tamquam principio *quo* humanarum operationum, idipsum convenit Verbo tamquam principio *quod*, cuius hypostatice est talis voluntas humana. *Sed* Verbum Dei est absolute impeccabile. *Ergo* humana natura assumpta est impeccabilis.

b) Verbum in humanitate subsistens, vi unionis ita propriam habet naturam, haec ita ad Verbum pertinet, ut Verbum vere et proprie sit per naturam humanam agens. Si enim dixisses, humanam naturam agere, non autem Verbum per naturam humanam operari, implicite fingeres duos operantes seu duas hypostases.

Iam vero, si humanitas assumpta, adhuc peccare posset, Verbum Dei vere peccare posset. *Ergo* humanitas Christi assumpta, eo ipso quod est assumpta, impeccabilis reddi debet.

Dices 1. Cum *Lugo* (Disp. 26, sect. 1, n. 9), *P. Hurtado* (Disp. 59, sect. 5, § 50) aliisque: peccante natura humana Christi, non eo ipso persona divina peccaret, quia unio hypostatica *non in operari* sed in esse influit.

Respondeo: Unio hypostatica non influit in operari i. e. vi unionis hypostaticae *persona* divina physice, directe, immediate per subsistentiam non elicit humanas operationes. *C. assert.* Unio non influit in operari i. e. hypostasis divina vi unionis non est verum subiectum responsabile et directivum omnium operationum humanarum; non personae divinae attribuuntur omnes humanae operationes, *N. assert.*

Dices 2. Non magis repugnat personae divinae peccare, quam pati et mori in natura humana. *Atqui* divinam personam non repugnat pati et mori in natura humana. *Ergo* non repugnat eandem in humana natura peccare.

Respondeo: Nego maiorem ob disparitatem. Hypostasi divinae non repugnat assumere malum physicum cruciatuum atque mortis; quia per haec persona divina non dicitur a Deo aversa. E contra, si peccatum vel peccabilitas divinae personae tribueretur; eo ipso diceretur: personam divinam a Deo i. e. *a seipsa aversam esse*, vel fieri posse, ut Deus a seipso se avertat, quod evidenter in terminis pugnat. Idem apud *Angeli-*

cum habes: « Malum poenae a Dei iustitia est introductum *propter gloriam Dei*: malum vero culpae committitur *per recessum* ab arte divinae sapientiae et ab ordine divinae bonitatis; et ideo conveniens esse potuit, assumere naturam creatam, mutabilem, corpoream et poenalitati subiectam: non autem fuit ei conveniens assumere malum culpae », (3 P., q. 1, a. 1 ad 3).

Arg. 2. (E visione beata). Vi unionis hypostaticae humanitati Christi visio beatifica congruebat. (Cfr. pg. 287). *Atqui* humanitas, visione beatifica fruens, impeccabilis est. *Ergo* humanitati Christi vi unionis impeccabilitas congruit.

Prob. min. In visione beatifica videtur immediate, clare, intuitive bonitas in se, Deus, summum bonum. *Atqui* humana voluntas in bonitatem in se, Deum, summum bonum, immediate, clare, intuitive apprehensum, non potest non ferri pondere naturae; ab amanda hac bonitate, ita cognita, non potest umquam deficere seu peccare. *Ergo* humanitas, visione beata fruens, impeccabilis est.

Arg. 3. (E sanctitate substantiali). Humanitas Christi vi unionis hypostaticae est formaliter et inamissibiliter sancta sanctitate divina. (Cfr. pg. 267 seq.). *Atqui* sanctitas divina absolute excludit possibilitatem peccandi. *Ergo* humanitas Christi vi unionis est impeccabilis.

Ad. min. Rectissime ait *Gonet*, (*Clyp. Theol. Thom.*, Disp. 20, a. 1, § 6, n. 32): « *Sanctitas* ex suo conceptu dicit essentialiter oppositionem cum peccato distantiamque et elongationem ab illo: ac proinde summa et infinita sanctitas, summam distantiam et elongantionem a peccato, summamque cum illo oppositionem importat. *Atqui* oppositio non solum cum peccato actuali, sed etiam cum potentia peccandi et elongatio non solum a peccato, sed etiam a potentia peccandi maior est, quam sola oppositio cum actu peccati et sola elongatio ab illo. *Ergo* summa sanctitas non solum opponitur cum actuali peccato, sed etiam cum potentia expedita peccandi ».

Schol. 1. In Christo homine non aderat fomes peccati.

Fomes peccati appellatur inordinata inclinatio appetitus in bonum sensibile *contra* rectam *rationem*. Fomes ergo est concupiscentia, quae appetitui sensitivo quandam *proclivitatem* in bonum sensibile addit. Ipse appetitus sensitivus nondum est fomes; sed dispositio ad motus inordinatos, qui usum rectae rationis vel praeveniunt vel impediunt. Fomes *in actu primo* est habilitas quaedam ad habendos actus rationi difformes. Fomes *in actu secundo* est ipse actus inordinatus vel motus inordinatus, qui rectum usum rationis de facto praevenit vel impedit.

Theodorus Mopsuestenus docuit: Christum motibus atque incursibus concupiscentiae vexatum fuisse. Sententiam hanc *Conc. Constpl.* II. Can. 12, (*DB.* 224) ut blasphemam insaniam reiecit. Quidam Theologi, ut puta Vasquez (Disp. 61, c. 8, n. 47), Lugo (Disp. 26, Sect. 4, n. 52) affirmant: non repugnare, *absolute loquendo*, ut Christus fomitem peccati (non in actu secundo) sed in actu primo assumeret.

Communis Theologorum opinio tenet: in Christo nullo modo fomitem fuisse (neque in actu primo, neque in actu secundo); immo (contra Vasquez et Lugo) praevalet sententia: neque, absolute loquendo, possibile esse, ut Christus fomitem etiam in actu primo assumeret [1].

Conc. Trident. ses. 5, c. 5, (*DB.* 792) declaravit concupiscentiam seu fomitem e peccato originali esse et ad peccatum inclinare. Iam vero in Christo homine peccatum originale, sive quodcumque actuale non aderat. Ergo in Christo non aderat ratio huius fomitis.

Insuper; cui repugnat potentia peccandi, illi quoque repugnat fomes peccati *sive* in actu secundo *sive* in actu primo. *Atqui* Christo repugnat potentia peccandi. *Ergo* Christo repugnat quivis fomes peccati. Etenim fomes peccati non solam indif-

---

[1] Cfr. Fr. S. Müller, *Immunitas a concupiscentia antemurale impeccobilitatis*, « Bogoslovska Smotra », Zagreb. 1930 pg. 1-30.

ferentiam ad peccatum dicit, sed etiam quandam propensionem atque proclivitatem ad peccatum. Ergo, si in Christo iam mera indifferentia seu *potentia ad peccatum* repugnat; tunc a fortiori repugnat in ipso quivis fomes peccati.

« Christus, inquit S. *Thomas*, q. 15, a. 2 perfectissime habuit gratiam et omnes virtutes: virtus autem moralis, quae est in irrationali parte animae, *eam facit* esse *rationi subiectam* et tanto magis, quanto perfectior fuerit virtus; sicut temperantia concupiscibilem et mansuetudo irascibilem...; ad rationem autem fomitis pertinet *inclinatio* sensualis appetitus in id, quod est contra rationem: sic igitur patet, quod quanto virtus in aliquo fuerit magis perfecta, *tanto magis in eo debilitatur vis fomitis;* cum igitur in Christo fuerit virtus secundum perfectissimum gradum, consequens est, quod in eo fomes peccati non fuerit; cum etiam iste defectus non sit ordinabilis ad satisfaciendum; sed potius inclinet ad contrarium satisfactioni ».

Schol. 2. De defectibus humanitatis Christi.

Hucusque de excellentiis atque perfectionibus, quae in humanitatem Christi ex unione hypostatica redundant, sermo erat. Cum igitur Verbum naturam assumptam tot monilibus gratiae: tam in *esse* quam in *operari*, tum quoad *intellectum* tum quoad *voluntatem* ornaverit, quin tamen quidquam de intrinsecis constitutivis naturae vel proprietatibus naturalibus demeret; merito quaeritur: quid cum defectibus et imperfectionibus, corpori atque animae connaturalibus in Christo factum sit. Fueruntne *omnes* per unionem hypostaticam sublati sicut peccatum, peccati fomes, peccandi possibilitas, error et ignorantia?

Respondemus distinguendo: Christus omnes defectus communes naturae humanae, qui plenitudini scientiae et gratiae non repugnant, assumpsit.

1. Defectuum humanorum duae distinguuntur classes. Defectus personales, qui in quibusdam tantum individuis, par-

ticularibus de causis inveniuntur; « sicut lepra et morbus caducus et alia huiusmodi: qui quidem defectus *quandoque* causantur ex culpa hominis, puta ex inordinato victu: *quandoque* autem ex defectu virtutis formativae, quorum neutrum convenit Christo » ([1]). Defectus communes, sunt illi qui in omnibus hominibus inveniuntur, vg. passibilitas, mortalitas. Hi naturam, ex materia et forma *compositam* naturaliter consequuntur et ex illa compositione proveniunt. Defectus communes naturae lapsae in poenam peccati originalis etiam in iustis manent, ut puta concupiscentia seu fomes peccati.

2. Dicimus: Christum defectus *communes* naturae humanae, qui plenitudini gratiae et scientiae non repugnant, assumpsisse. Quia defectus communes habent etiam rationem *poenae* ob peccatum originale inflictae; in Christo autem peccatum originale non erat, ideo dicitur: Christum hos defectus assumpsisse, *non contraxisse*. « Accepit enim naturam humanam absque peccato in illa puritate, in qua erat in statu innocentiae; et simili modo potuisset assumere naturam humanam absque defectibus; sic igitur patet, quod Christus non contraxit hos defectus quasi ex debito peccati suscipiens, sed ex propria voluntate » ([2]). Inter defectus naturae communes eminent *passibilitas* et *mortalitas*. Passibile dicitur id, quod nocivis extrinsecis ita affici potest, ut inde aliqua corporalis laesio resultet. Vere patitur corpus, cum *famem*, *sitim*, *frigus*, *aestum* sustinet. Quoniam vero anima est forma corporis; unumque datur esse animae et corporis, ideo, perturbato corpore per aliquam laesionem, et anima per accidens perturbatur et patitur. Si laesio corporalis usque ad divisionem animae a corpore pertingit, novissima luctus mors occupat.

3. Passibilitatem Christi hominis negabant quidam Monophysitae, qui, duce *Iuliano Halicarnassensi* et *Gaiano*, affirmabant: corpus Christi a primo instanti « incorruptibile » fuisse. Hinc « Incorrupticolae » dicti sunt. *Severus Antiochenus* e contra docuit: Christi corpus passibile esse; inde sequaces

---

([1]) S. Thom., q. 14, a. 4.
([2]) S. Thom., q. 14, a. 3.

Severi nomen «*Corrupticolarum*» nacti sunt (1). *Leontio Byzantino* teste, (C. Nestor. et Eutych., MG. 86, 1320. CD), quidam Catholici in oriente putabant, corpus Christi vi unionis hypostaticae impassibile effectum esse ita, ut tantum per miraculum pati et mori posset. Huic opinioni patrocinabatur (saec. XII) Philippus Bonae Spei O. Praem., cum censeret: Christum dumtaxat *per miraculum* esurisse, fatigatum, passum, atque mortuum fuisse; e contrario supra mare ambulare, transfigurari omnino Christo connaturale fuit (2). Communius tamen a Patribus et Theologis omnibus docetur; Christum liberrime communes defectus naturae assumpsisse; quia hi ut poenalitas peccati contracti non sunt; miraculum tamen non fuerunt.

4. Defectus communes humanae naturae sunt: fames, sitis, defatigatio, dolores, mors. *Atqui*, testantibus S. Scripturis, Christus *esurivit* (*Mt.* 4, 3), *sitivit* (*Ioan.* 19, 29), *fatigabatur* (*Ioan.* 4, 6) dolores (*Ioan.* 18, 23) et mortem sustinuit. *Ergo* Christus defectus communes naturae humanae habuit. S. Paulus universim asserit: *Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem pro similitudine absque peccato.* (*Hebr.* 4, 15). *In eo enim, in quo passus est ipse et tentatus, potens est et eis, qui tentantur, auxiliari.* (*Hebr.* 2, 18).

Passibilitatem humanitatis Christi ratio theologica probat. Nam Christus, (ut mox videbimus), pro hominibus satisfecit. *Atqui* non posset satisfacere, nisi passibilis esset. «Unus enim pro peccato alterius satisfacit, dum *poenam* pro peccato alterius *debitam* suscipit; huiusmodi autem defectus corporales, scl. mors, fames, sitis et huiusmodi *sunt poena peccati*, quod est in mundum per Adam introductum». (*S. Th.*, q. 14, a. 1). Praeterea; Christus assumpsit naturam humanam specifice eandem quam nostra. Porro natura humana *connaturaliter*, utpote ex materia et forma composita, passibilis est atque mortalis. *Ergo* Christus

---

(1) Cfr. R. Draguet, *Julien d'Halicarnasse et sa controverse avec Sévère d'Antioche sur l'incorruptibilité du corps du Christ*, Louvain 1924 pg. 58 seq.; Jugie, *Controverse Gaianite*, DTC. 6, 1002-1022.

(2) Cfr. Petavius, *De Incarn.*, 1, 18; 10, 3.

connaturaliter assumpsit hos defectus communes. Quod S. Paulus clare insinuat: *Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini et ipse similiter participavit iisdem, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium.* (*Hebr.* 2, 14).

5. Licet defectus communes ex compositione naturae humanae fluant: tamen Christus *libere* hos defectus assumpsit; quia in filiis Adae hi defectus *in poenam peccati* inveniuntur. *Atqui* Christus ab omni peccati macula prorsus immunis erat. *Ergo* defectus illos assumere non erat obligatus. « Beneplacito divinae voluntatis carni Christi permittebatur agere et pati, quae propria ». (*S. Th.*, q. 14, a. 2). Insuper; comprehensores impassibiles sunt et immortales. *Atqui* Christus a primo vitae terrestris momento visione beatifica fruebatur. *Ergo* conveniebat, ut impassibilis et immortalis esset. Voluntati tamen liberae Christi passibilem naturam assumere placuit. « Secundum naturalem habitudinem, inquit S. *Doctor*, quae est inter animam et corpus ex gloria animae redundat gloria in corpus: sed haec naturalis habitudo in Christo subiacebat voluntati divinitatis ipsius, ex qua factum est, quod beatitudo remaneret in anima et non derivaretur ad corpus: sed caro pateretur, quae conveniunt naturae passibili, secundum illud, quod Damasc. dicit (*lib. 3 Orth. Fid. cap. 15*), quod « *beneplacito divinae voluntatis permittebatur carni pati, quae propria* ». (*S. Th.*, q. 14, a. 1 ad 2).

Schol. 3. In Christo aderant passiones.

Cum Christus integram naturam humanam assumpserit, sequitur in Christo non solum intellectum, voluntatem, facultates cognoscitivas sensiles fuisse, sed insuper et facultatem appetitus sensitivi. Facultas haec appetitiva duplex distinguitur: *concupiscibilis* et *irascibilis*. De facultate appetitiva intellectuali, quae est voluntas, hic explicite non agitur.

1. Appetitus concupiscibilis circa bonum sensibile vel malum *simpliciter* versatur; irascibilis bonum sensibile vel malum *arduum* prosequitur. Si facultates sensiles in actum prorumpunt, in sentiente *sensatio* (actus sensilis) oritur. Si appe-

titus sensitivus in bonum tendit, appetens *passione* afficitur. Corporalis « passio » ex laesione vel irritatione organorum causatur. *Passio animalis* est actus appetitus sensitivi ex apprehensione boni vel mali proveniens cum aliqua immutatione sensibili coniunctus. Breviter et proprie « *passiones* » dicuntur *affectiones appetitus sensitivi* (*). Sex numerantur passiones appetitus *concupiscibilis*: amor, odium, desiderium, fuga, gaudium, tristitia. Quinque vero sunt actus appetitus *irascibilis*: spes, desperatio, audacia, timor, ira.

2. Asserimus: in Christo *humanas passiones fuisse*, quae *quoad substantiam* ab humanis non differebant: modo tamen diverso in Christo aderant. In hominibus lapsis passiones rectum usum rationis praevertunt, lumen sanae rationis obfuscant, voluntatem in servitutem quandoque redigunt. In Christo Domino, qui impeccabilis et a fomite peccati immunis erat, passiones perfecto dominio rationis et voluntatis subiiciebantur. Contradictoria huic sententia Theodori Mopsuesteni damnata est in Conc. Constp. II DB. 224.

3. De *existentia* in Christo actuum appetitus sensitivi seu *passionum* per S. Scripturas certi reddimur. Nam Iesus amore commovebatur. *Mc.* 10, 21: *Iesus autem intuitus eum* (iuvenem), *dilexit eum*. Cum ad sepulchrum Lazari flebat: *dixerunt Iudaei*: *Ecce quomodo amabat eum*. *Ioan.* 11, 36. Desiderio ardenti institutionem Eucharistiae anhelabat. *Lc.* 22, 15: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar*. Gaudio cor eius pertundebatur. *Ioan.* 11, 15: *Gaudeo propter vos, ut credatis*. Tristitia angebatur. *Mt.* 26, 38: *Coepit contristari et maestus esse. Tunc ait illis*: *tristis est anima mea usque ad mortem*. Timor quoque pervadit

(*) In terminologia *moderna* vox « *passio* » quandam inordinationem in prosequendo bono sensibili vel fugiendo malo connotat. In terminologia *Scholasticorum* nulla per se defectuositas nomine « passionis » innuebatur. Cfr. S. *Th.* q. 15, a. 4: *Propriissime* dicuntur passiones animae **affectiones appetitus sensitivi ».**

animum eius. *Mc.* 14, 33; *Coepit pavere et taedere* (1). Sancta ira animabatur. *Mc.* 3, 5; *Et circumspiciens eos cum ira. contristatus super caecitate cordis eorum.* Cfr. *Ioan.* 2, 13 seq.

Ratio quoque theologica idem suadet. Appetitus concupiscibilis et irascibilis, quo sentiens prosequitur bonum sibi conveniens et a malo fugit, ad integritatem naturae sensitivae certe pertinet. *Atqui* in Christo Iesu integra natura humana aderat. Ergo in Christo homine inerat uterque appetitus; qui tamen frustra poneretur, nisi appetitus sensitivus in actum prodiret seu nisi in Christo adessent passiones. Ergo in Christo erant quoque humanae passiones.

« Sciendum tamen est, monemus iterum iterumque cum *S. Thoma*, q. 15, a. 4; quod huiusmodi passiones aliter fuerunt in Christo, *quàm in nobis*, quantum ad tria: *primo* quidem quantum ad obiectum; quia in nobis plerumque huiusmodi passiones feruntur ad illicita; quod in Christo non fuit: *secundo* quantum ad principium: quia huiusmodi passiones frequenter in nobis praeveniunt iudicium rationis; sed in Christo omnes motus appetitus sensitivi oriebantur secundum dispositionem rationis: *tertio* quantum ad effectum: quia in nobis quandoque huiusmodi motus non sistunt in appetitu sensitivo, sed trahunt rationem; quod in Christo non fuit: quia motus naturaliter humanae carni convenientes, sic ex eius dispositione manebant in appetitu sensitivo, quod ratio ex his nullomodo impediebatur facere, quae conveniebat ».

Thes. 17. -- Humana voluntas Christi libertate indifferentiae pollebat.

S. Th., q. 18, a. 4; q. 34, a. 2; Suarez, Disp. 37, sect. 2-5; Franzelin, th. 44; Janssens, q. 18, a. 4, pg. 658 seq.; Muncunill, Disp. 13, a. 1-3, pg. 360 seq.; Pesch, th. 25-26; Billot, th. 29-30; Otten, th. 26; Galtier, th. 26-27: Hugon, q. 11, a. 3, pg. 597 seq.; A. Michel, *Jésus-Christ, Liberté du Christ*, DTC. 8, 1925-1312.

---

(1) Cfr. plura apud Lebreton, *L'agonie du Christ*, « Rev. Apol. », 1922, p. 716 seq.; et Galtier, *De Incarn.*, Op. cit., pg. 356 seq.

Status Quaestionis.

1. Vi unionis hypostaticae Christus peccare non potuit. Quo posito: *quaerimus*: potuitne quidquam libere agere, si possibilitas deficiendi a bono morali per unionem hypostaticam et visionem beatificam Christo sublata fuit?

2. Duplex distinguitur motus voluntatis prosequentis bonum. Alter *naturalis*, quo fertur in aliquid, prout in se appetibile est; alter motus *liber*, quo fertur in aliquid, quod bonum et appetibile est non semper *in se* et *ex se*, sed *ex ordine* ad finem, vg. medicinam amaram appetit voluntas in ordine ad sanitatem. Primus motus voluntatis est *necessarius*, « nam in finem fertur (voluntas) simpliciter et absolute, sicut in id, quod est secundum se bonum ». (S. *Th.*, q. 18, a. 3). Secundus motus est *liber*; « in id (enim), quod est ad finem, fertur (voluntas) cum quadam comparatione, secundum quod habet bonitatem ex ordine ad aliud ». (S. *Th.*, q. 18, a. 3).

Non semper eodem modo a Scholasticis libertas definiebatur (1). A *Thomistis O. Pr.* definitur libertas: vis electiva mediorum, servato ordine finis. *Vis* i. e. facultas, potentia activa. *Electiva;* electio enim est actus proprius voluntatis agentis ut ratio. Electio ipsa definitur: appetitus praeconsiliati, vel ultimum iudicium practicum. Libertas dicitur vis electiva *mediorum*, quia circa finem ipsum non datur electio. « *Servato ordine finis* »; scl. sicut ratio in concludendo servare debet ordinem principiorum; ita libertas in eligendo servare debet ordinem finis (2). « Differt electio, ait S. *Thomas*, a voluntate in hoc, quod voluntas, per se loquendo, est ipsius finis; electio autem eorum, quae sunt ad finem: et sic simpliciter voluntas est idem, quod voluntas ut natura; electio autem est idem, quod

---

(1) Cfr. Dom Odon Lottin, *La Théorie du libre arbitre depuis S. Anselme jusque à S. Thomas d'Aquin*, Louvain 1929. Extrait de la « Rev. Thom. » 1927-1929; M. Wittmann, *Die Lehre von der Willensfreiheit bei Thomas v. A.*, « Philosoph. Jahrbuch » 1927 (49) pg. 170-188; 285-305.

(2) Cfr. Hugon, Op. Cit., pag. 598.

voluntas ut ratio». (S. *Th.*, q. 18, a. 4). Secundum *Molinistas* libertas est: potestas, qua voluntas, positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere vel non agere, agere hoc vel illud. Voluntas igitur libera est et pollet sic dicta *indifferentia activa;* si in potestate voluntatis est: agere vel non agere; agere hoc vel illud. Voluntas libera, quae indifferentia activa pollet, non est ad unum determinata, antequam unum elegerit, seu determinatio est in potestate voluntatis agentis ut ratio.

Libertas distinguitur: contradictionis seu *exercitii*, quae actum respicit, ponendum vel non ponendum, (agere vel *non* agere); contrarietatis respicit actus *contrarios*, (amor-odium); specificationis refertur ad actus *specie diversos* (ludere, manducare, sedere, legere, dormire).

3. Asserimus in thesi: voluntatem humanam Christi indifferentia activa seu facultate eligendi praeditam fuisse. Removemus ergo ab humana voluntate Christi determinationem ad unum ex natura et vindicamus ipsi libertatem contradictionis, contrarietatis et specificationis.

4. Libertas humanae voluntatis Christi *fide divina certa* est.

Probatur thesis.

Arg. 1. (E S. Scripturis). Christus homo libertate indifferentiae pollebat, si in eius potestate humana positum erat: agere vel non agere; agere hoc vel illud. *Atqui* testantibus S. Scripturis, hoc in potestate voluntatis humanae Christi positum erat. *Ergo* Christus homo libertate indifferentiae pollebat.

Prob. min. Ioan. 7, 1; *Post haec autem ambulabat Iesus in Galileam, non enim volebat in Iudaeam ambulare. Mt.* 8, 3; *Si vis*, ait leprosus ad Iesum, *potes me mundare. Iesus tetigit eum, dicens: Volo. Mundare. Ioan.* 10, 17. 18; *Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me: sed ego pono eam a meipso et potestatem habeo ponendi eam et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hebr.* 12, 2; *Aspicientes in auctorem fidei et consuma-*

torem Iesum, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta.

Arg. 2. (E doctrina S. Patrum).

S. Cyril. Hieros., *Catech.*, 13, 6. Non coacte reliquit vitam, neque vi allata mactatus est, sed voluntarie. Audi, quid dicat: *Potestatem habeo ponendi animam meam et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Volens inimicis concedo; nisi enim vellem, non fieret. Venit igitur ex libero proposito ad passionem, gaudens de eximio opere, laetabundus de corona, plaudens sibi de hominum salute. *RJ.* 830. Cfr. 831.

S. Hilarius, *Tract. s. Psal.*, 5, 12. 13. Passus ergo est Deus, quia se subiecit voluntarius passioni; sed suscipiens naturales ingruentium in se passionum, quibus dolorem patientibus necesse est eas inferri, virtutes, ipse tamen a naturae suae virtute non excidit, ut doleret. Maledictorum se ergo obtulit morti, ut maledictum legis dissolveret, hostiam se ipse Deo Patri voluntarie offerendo, ut per hostiam *voluntariam* maledictum, quod ob hostiae necessariae et intermissae reatum erat additum, solveretur. *RJ.* 889.

S. Ioan. Chrys., *Hom. in ep. ad Hebr.*, 28, 2. Licebat (Christo) nihil pati, si voluisset. *Neque* enim *peccatum fecit, neque inventus est dolus in ore eius,* sicut ipse quoque dicit in evangeliis: *Venit mundi princeps et in me non habet quidquam.* Poterat ergo, si voluisset, non venire in crucem. Si ergo, qui minime necesse habebat, crucifigi, propter nos fuit crucifixus, quanto magis par est, ut nos omnia fortiter feramus? *RJ.* 1224.

S. Ambrosius, *De exces. fratris sui*, 2, 46. Potuit enim Christus non mori, si voluisset; sed neque refugiendam mortem quasi ignavam putavit, neque melius nos quam moriendo servasset. Itaque mors eius vita est omnium. *RJ.* 1275.

S. Hieromymus, *Com. in Isai.*, 53, v. 5-7, *Oblatus est, quia ipse voluit.* Non enim necessitate crucem, sed voluntate sustinuit, dicens in Evangelio: *Calicem, quem mihi dedit Pater, non bibam illum?* Alioquin, si non propria voluntate esset oblatus, qui indicare et praedicere poterat proditorem? Poterat eos, qui ad se missi fuerant declinare, quibus occurrit intrepidus et ultro se obtulit, dicens: *Quem quaeritis?* ML. 24, 508 AB.

S. Augustinus, *De Trin.*, 4, 13, 16. Demonstravit spiritus mediatoris, quam nulla poena peccati usque ad mortem carnis accesserit, quia non eam deseruit invitus, sed quia voluit, quando voluit, quomodo voluit. *RJ.* 1634.

S. Prosper Aq., *Expos. Psal.*, 103, 19. *Sol cognovit occasum suum.* Christus agnovit passionem suam. Quid est autem: *agnovit occasum suum,*

nisi: placuit ei, ut moreretur? Voluntate enim suscepit crucem et mortem. *RJ.* 2039.

S. Ioan. Damasc., *De Fide Orth.*, 3, 13. Dicimus Christum habere... duplices naturarum duarum naturales proprietates; hoc est, duas naturales voluntates, divinam et humanam; duas naturales arbitrii libertates, divinam et *humanam. RJ.* 2365; *Ibid.* c. 14. Si *naturae libertatem ipse condidit*, hanc autem non suscepit; *aut* igitur opificium suum velut non bonum *reprobavit, aut* eius sanationem nobis invidit, sicque nos plena perfectaque *curatione privavit* et ostendit: se passioni subiacentem noluisse perfectam salutem, aut certe non potuisse. MG. 94, 1042 D, 1043 A.

Arg. 3. (E ratione theologica). *a*) Christus per oboedientiam usque ad mortem sibi gloriam nobis autem salutem et gratiam meruit, (ut mox probabitur). *Atqui* mereri non potuisset, nisi humana ipsius voluntas libertate indifferentiae polleret. *Ergo* humana Christi voluntas libertate indifferentiae pollebat.

Ad mai. Trid., ses. 6, c. 7. Iustificationis nostrae causa « meritoria dilectissimus Unigenitus D. N. Iesus Christus, qui, *cum essemus inimici* (*Rom.* 5, 10), *propter nimiam caritatem, qua dilexit nos* (*Eph.* 2, 4), sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit ». *DB.* 799. Cfr. *DB.* 790, 795, 820.

Ad. min. Innocentius X damnavit uti haereticam propositionem 3. Iansenii, asserentis: *ad merendum* sufficere libertatem a coactione et non requiri libertatem a necessitate. « Ad *merendum et demerendum* in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed *sufficit libertas a coactione* ». *DB.* 1094. *Ergo* contradictorium est verum: ad merendum requiri libertatem a necessitate. Christus igitur sine libertate indifferentiae mereri non posset.

b) Christus assumpsit integram naturam humanam. *Atqui* libertas indifferentiae pertinet ad integritatem naturae humanae. *Ergo* Christus libertate indifferentiae pollebat.

Schol. De libertate Christi in morte subeunda.

1. Visione beatifica, impeccabilitate, libertate Christi stabilita, explicare nunc conabimur, *quomodo* humana natura Christi, Deum intuitive videns, intrinsecus impeccabilis, *libera* fuerit ita, ut mereri potuisset, per passionem et mortem in cruce, quae Christo per mandatum et praeceptum rigorosum Patris imposita esse videtur (1).

Quodsi Christus revera a Patre accepit, tunc *aut* hoc mandatum stricte dictum libere observare potuit, *aut* illud non implere non potuit. Utraque suppositione angimur. Si enim Christus praeceptum Patris potuit non implere, tunc *potuit* etiam *peccare*, agendo contra voluntatem Patris sibi auctoritative communicatam. Si Christus mandatum in cruce moriendi non potuit non observare; quomodo *liber* fuit et quomodo quidquam per ita impositam sibi mortem sibi et nobis *meruit?* Itaque mandatum subeundae mortis obesse videtur vel libertati vel impeccabilitati Christi.

Libertati insuper obesse videtur visio beatifica, qua anima Christi, in terris degentis, fruebatur. Per visionem intuitivam sive praeceptum strictum oppetendae mortis, sive desiderium et beneplacitum Dei in tali morte, Christus, ut hic homo, procul dubio novit. Quidquid autem beati in Deo intuitive cognoscunt, *necessario amant*. Ergo quomodo Christus comprehensor libere pro nobis mortuus est?

2. Ad solvendas has difficultates Theologi multas explica-

---

(1) Praeceptum vel *mandatum* definitur voluntas superioris subdito significata, qua auctoritative aliquid a subdito vel fieri vel omitti vult. Differt mandatum a consilio, desiderio, beneplacito, suasione, adhortatione superioris. Voluntas superioris *auctoritative* manifestari potest subdito *vel* per praeceptum seu mandatum simplex *vel* per mandatum rigorosum. In utroque *voluntas superioris* qua talis auctoritative subdito communicatur; in praecepto *rigoroso* observatio atque executio praecepti sanctione, comminatione poenae munitur; vg. nisi feceris, morte morieris, in aeternum peribis. Mandatum late dictum a consilio, desiderio, beneplacito non differt.

tiones proposuerunt [1]. Certo falsae sunt explicationes, quae nodum difficultatis non extricant, sed illum violente abrumpunt: nimirum vel perfectam libertatem Christi, vel impeccabilitatem, vel visionem beatificam negando.

Talem solutionem difficultatis Iansenistae tradunt; qui docent: Christum non coacte quidem, sed *necessario* mortuum esse [2]. Item falso problema solvunt: Guenther, Laurent, Schell, qui, ad servandam in Christo libertatem, visionem beatificam infitiati sunt, (Cfr. pg. 282). Caeterae explicationes a Theologis Catholicis propositae supponunt: Christum in subeunda morte liberum fuisse, quamvis visione beatifica frueretur et intrinsecus impeccabilis fuerit. Quo admisso et supposito, elucidare conantur: *quomodo* comprehensor, impeccabilis, moriendo, nobis iustificationem et salutem *promeruerit?* Diversissima, ut innui, Theologorum conamina ad duas categorias reduci possunt. *Prima classis* arbitratur: libertatem Christi facile explicari, si negatur: Christo mandatum stricte dictum moriendi impositum fuisse. *Secunda classis* explicationum catholicarum admittit: passionem et mortem Christo per mandatum impositam fuisse. Prima classis igitur *tres veritates* amice in Christo conciliare studet: libertatem, impeccabilitatem, visionem beatificam; mandatum vero moriendi, ut libertatis et impeccabilitatis eversivum, expungit. Secunda classis *quatuor* simul *veritates* amice cohaerere arbitratur: scl. libertatem, mandatum passionis obeundae, visionem beatam, impeccabilitatem.

I. Christus est liber, quia mandatum moriendi non accepit.

Petavius (*De Incarn.*, 9, 8, n. 6-13), Platel (*De Incarn.*, c. 7, n. 329, 330), Wirceburgenses (Sect. 2, a. 3, n. 412-417), Franzelin (th. 44), Stentrup (*Christologia*, th. 76), Scheeben (*Dogmatik*, 3 § 250 n. 1016-1019),

---

(1) Cfr. Amicus, *Cars. Theol., De Incarn.*, Disp. 25, Sect. 3; Pesch, Op. Cit., n. 318 seq.

(2) Cfr. Michel, *Liberté du Christ*, DTC. 8, 1299.

Muncunill (Disp. 13, a. 4, n. 714 seq), Billot (th. 30), J. Müller (*De Verbo Incarn.*, th. 29, pg. 466 seq.), L. Lercher (*De Verbo Incarn.*, th. 18, n. 222 seq.) censent: Christum ideo in morte crucis obeunda liberum fuisse, quia haec mors ab ipso voluntarie electa et non per praeceptum divinum sibi imposita fuit. Deus Pater Christo dumtaxat suum *beneplacitum*, *desiderium*, ut sese pro hominibus in cruce offerret, manifestavit. Proindeque Filius Dei pro hominibus liberrime mortuus est, quia huic desiderio et beneplacito divino sponte obsecundavit. Si pati recusasset, nullomodo peccaret; nam mors et passio non fuit praecepta.

1. In hac explicatione *tria signa rationis* distinguuntur. Christus homo per visionem beatam *cognoscit*: Deo summopere placere, ut secunda persona S. Trinitatis pro reparando honore divino laeso et servando genere humano in cruce moriatur. Quo perspecto, Christus *libere eligit* mortem ignominiosam in cruce: quare Pater, *consequenter* ad hanc liberam determinationem Filii, *mandatum* seu decretum fert, ut Filius Dei in cruce moriatur.

Quoad hoc ultimum rationis signum non convenit P. Billot cum *Petavio* et *Franzelin*, qui non modo praeceptum proprie dictum reiiciunt, sed ne quidem agnoscunt: in Deo voluntatem *absolutam antecedentem* circa modum redemptionis. «Voluntas Patris, inquit *Franzelin*, quatenus *antecedit* liberam Christi electionem ad ponendam animam suam, intelligi debet divinum beneplacitum, humanae voluntati Redemptoris propositum ita, ut etiam alius redemptionis modus Patri foret acceptus. *Consequenter* deinde ad praevisam Christi liberam electionem, *transiit* divina voluntas antecedens *conditionata* in voluntatem consequentem *absolutam*, ut Christus hoc modo a se electo genus humanum redimeret». Secundum *P. Billot* Christo mors per mandatum rigorosum a Deo Patre praecepta non fuit. At *antecedenter* ad liberam electionem mortis a Christo Iesu, in Deo extitit *absoluta voluntas* servandi genus humanum per mortem Filii Dei in cruce. «Non ideo absolute voluit Pater Christum mori in cruce, quia elegit Christus crucem, sed e converso, ideo Christus crucem elegit, quia Pater voluit, ut mortem crucis obiret. Haec enim est voluntas Patris et quidem *antecedens et absoluta*, quam invenit Christus scriptam *in capite libri*: cui etiam a primo instanti sese conformavit, *ingrediens mundum*, ut Apostolus ait. Haec est *voluntas absoluta*, de qua quotidie in missa (dicimus): D. I. Chr., qui ex *voluntate* Patris, cooperante Spiritu Sancto, per

mortem tuam mundum vivificasti. Haec est *voluntas absoluta*, de qua Christus ipsemet in horto: *Non mea voluntas*, (inquit) *sed tua fiat*. Nam ei absoluta voluntas Patris circa passionem crucis fuisset consequens praevisam determinationem voluntatis humanae, non ea diceret, quibus aperte significat, se regulam accipere a divina voluntate, utique antecedente suam. Alioqui, quomodo *non mea*, sed tua voluntas fiat, si tua non est, nisi *consequenter* ad meam? Omnino ergo retinenda voluntas divina antecedens; quae quidem erat infallibiliter implenda propter praeparatas motiones praevisas efficaces» [1]. Haec voluntas absoluta antecedens erat tamen voluntas beneplaciti, quae mortem crucis Christo per praeceptum non imponebat.

2. Assertum fundamentale, in quo tota haec explicatio innititur, probatur ita:

a) Si Iesus Christus per verba (*Ioan.* 10, 17): «*Hoc mandatum accepi a Patre meo*»: mandatum stricte dictum moriendi intelligeret; in hoc mandato adimplendo *aut* liber fuisset, *aut* non liber. Si sub mandato, (rigorosum subintelligendo), liber fuisset, tunc debuisset illud *posse non observare*. Liber enim est, qui, positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere vel non agere. Sed, si Christus potuisset mandatum strictum non exsequi, potuisset etiam peccare. In suppositione ergo mandati libere adimplendi perit Christi impeccabilitas. Si vero Christus, in adimplendo praecepto rigoroso moriendi, liber non fuit; (non potuit non mori), actum est de quovis merito per passionem et mortem; nam ad meritum requiritur libertas a necessitate.

b) Christus, cum dicit, se «mandatum» moriendi accepisse, simul subiungit: se etiam «*mandatum*» *resurgendi* accepisse. (*Ioan.* 10, 18: *Potestatem habeo iterum sumendi eam*). *Atqui* mandatum resurgendi non potest esse stricte dictum; quia natura humana non habuit ex se potestatem resurgendi. *Ergo* mandatum moriendi non est rigorosum.

c) Non semel in S. Scripturis «mandatum», «praeceptum» sensu latiori occurrit. 2. *Reg.* 16, 10. 11; Dicitur Dominus *praecepisse Semei, ut malediceret David*. Fugiens David

---

[1] Billot, Op. Cit., pg. 323, nota 1.

rogat suos, ut sinant Semei maledicere *iuxta praeceptum Domini. Mt.* 19, 7. 8; Iudaei putabant: « libellum repudii » esse « mandatum » Moysis; Christus vero dicit: libellum repudii fuisse dumtaxat *permissum* propter duritiam cordis iudaici. Ergo vox « praecepit », « mandatum », non semper sensu stricto occurrit.

d) S. Patres plures interpretando S. Scripturas, docent Christum non accepisse a suo Patre mandatum stricte dictum moriendi.

S. Ioan. Chrys., *Hom. 60 in Ioan.*, 2 et 3. Sic et hoc loco, cum dicit se praeceptum accepisse a Patre, nihil aliud declarat, quam Patri placere, quod ipse facit. Nam si praecepto opus habuisset, cur dixisset, a me ipso pono? Nam, qui a seipso ponit, non eget praecepto. Nihil ergo aliud vult hic sibi *praeceptum*, quam *concordiam* cum Patre ostendere. MG. 59, 330, 331.

S. Ambrosius, *De Fide*, 4, 10, 121. Sicut potestatis suae esse significat, ponere animam et liberae voluntatis: ita etiam quod secundum *mandatum* deposuit Patris, suae ac paternae voluntatis significat unitatem. ML. 16, 666.

S. Cyrill. Alex., *In Ioan. Ev.*, 10, 15, v. 9 et 10. Habes igitur in subiectione voluntaria voluntatum Patris adimpletionem, quas loco mandatorum Filius apud se esse ait. Nam cum Patris *consilia* ut Verbum intelligat, eiusque profunda scrutetur, immo vero, cum sit sapientia et virtus Patris, *voluntatem* eius ad opus perducit, mandati loco eam habens, atque ita humano more eam nuncupans. MG. 74, 374. B.

S. Anselmus, *Meditationes*, 11. Quoniam Pater illi hanc bonam voluntatem dedit, quamvis liberam, non immerito dicitur, qui eam velut praeceptum Patris accepit. Et sicut mandatum dedit illi Pater, sic fecit. Et calicem, quem dedit illi Pater, bibit. ML. 158, 766. B.

e) Si Christus mandatum stricte dictum moriendi a Deo Patre accepisset, illud necessario explesset, (non explere non posset). Nam Christus mandatum tale *ope visionis beatificae* cognovit. *Atqui* praeceptum moriendi *intuitive* cognitum necessario exsequi debuit. Non fuisset proinde in passione liber. Nam voluntas comprehensoris, inquit *Billot*, est physice determinata ad amorem divini boni ac per consequens, physice incapax ponendi actum quemlibet huic amori repugnantem. Voluntas enim vi-

dentis Deum, ex necessitate amat, quidquid amat sub communi ratione boni, quam novit. Nec valet, si dicas, quod praeter scientiam beatam, qua fruebatur, (Christus) habebat scientiam tum *infusam* tum *acquisitam*, quae non est comprehensoris, in quantum huiusmodi et libertatem contrarietatis non tollit. Hoc enim nihil est, nam profecto, homo uno solo vinculo ligatus non ideo dici potest expeditus, quia duobus vel tribus non impeditur; quippe sufficit vinculum unum, si semper actu ligat. *Atqui* scientia beata semper in actu est et semper necessitat voluntatem ad amorem divini boni (1).

f) Universim inconveniens esse videtur, ut Filio Dei naturali praecepta et mandata stricte dicta imponantur; nam Christus, etiam ut hic homo, filius Dei *naturalis* erat, filius paratissimus, promptissimus ad explenda omnia vel minima desideria Patris. Tali filio mandata dare, minime conveniebat.

II. Christus est liber, quamvis mandatum moriendi acceperit.

Commentatores S. Thomae sive Ordinis Praedicatorum, sive Scotistae sive Societatis Iesu communius contra Petavium affirmant: Iesum Christum accepisse a Deo Patre mandatum stricte dictum moriendi. Mandato igitur Christi Domini admisso; variis modis atque rationibus ipsius libertatem in patiendo et moriendo explicare satagunt. *Prius* ergo argumenta communia pro existentia mandati stricte dicti in Christo videbimus; *post haec* varia conamina conciliationis libertatis, impeccabilitatis et visionis beatificae cum eiusmodi mandato breviter perstringemus.

---

(1) Cfr. Billot, Op. Cit., pg. 316, 317. Sed qui nimis probat, nihil probat. Si scientia infusa nihil ad libertatem et possibilitatem meriti iuvaret, meritum *absolute* in Christo esset impossibile.

A. Christus ex mandato passionem et mortem subiit.

1. Christus dicit: se mandatum patiendi et moriendi accepisse. *Atqui* hoc mandatum patiendi et moriendi est mandatum stricte dictum. *Ergo* tale mandatum patiendi et moriendi Christus accepit.

Ad mai. Ioan. 10, 18; *Nemo tollit eam* (i. e. vitam) *a me: sed ego pono eam a meipso et potestatem habeo ponendi eam et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo. Ioan.* 14, 31; *Sed, ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite eamus hinc.*

Prob. min. a) A sensu obvio S. Scripturarum non est recedendum, nisi sensus obvius evidenter contradicat alicui veritati certae. *Atqui* mandatum in Christo, sensu obvio sumptum, nimirum, ut mandatum stricte dictum, obligans subditum: nulli veritati certae evidenter contradicit, ut probant Theologi communius contra Petavium. *Ergo* mandatum patiendi et moriendi, Christo impositum, est mandatum stricte dictum.

b) *Vox* « mandatum », ἐντολή, in Novo Testamento est terminus technicus ad exprimendum mandatum stricte dictum, subditum obligans. *Mt.* 5, 19; 15, 3. 6.; 19, 17; 22, 36. 38. 40; *Mc.* 7, 8; 12, 29. 30. 31; *Lc.* 1, 6; 18, 20; *Rom.* 7, 12; 13, 9; I *Cor.* 7, 19; 14, 37; *Ephes.* 6, 2. Non alium sensum S. *Ioannes* voci « mandatum » tribuit, cum Iesum sic loquentem faciat; *Ioan.* 15, 10; *Si praecepta,* ἐντολάς, *mea servaveritis, manebitis in mea dilectione, sicut et ego Patris mei praecepta servavi et maneo in eius dilectione.* Cum de hominibus sermo est, vox « praeceptum », procul dubio, mandatum stricte dictum significat. Quo iure ergo, cum Christus asserit, se a Patre praecepta accepisse, in eodem contextu, eadem vox prorsus diversam significationem induit? De caetero apud S. Ioannem « mandatum » constanter sensu stricto sumitur: *Ioan.* 12, 49. 50; 13, 34; 14, 15. 21; *I. Ioan.* 2, 3. 4. 7. 8; 3, 22-24; 4, 21; 5, 2. 3; *II. Ioan.* 4. 5. 6.; *Apoc.* 12, 17; 14. 12.

Dices 1°: Christus est subiectum incapax praecepti stricte dicti. At hoc gratis et a priori asseritur. Christus non erat quidem subiectus Deo qua persona divina et ratione divinae naturae, sed erat subiectus qui erat persona divina ratione humanitatis, ad hypostasim divinam assumptae. (Cfr. *S. Th.*, 3. P., q. 20, a. 1).

Dices 2°: Praeceptum moriendi non erat rigorosum, quia in eodem versu et praeceptum resurgendi Christo datum asseritur. Sed humanitati Christi, quae potentiam resurgendi non habuit, praeceptum resurgendi dari non potuit. Ergo praeceptum patiendi et moriendi non est stricte dictum.

Resp. Negando maiorem; distinguimus minorem. Humanitas ex se sola non habuit potestatem resurgendi, sicut humanitas ex se sola non habuit etiam potestatem adimendi sibi vitam, «*ponendi animam*». *Conc. min.* Humanitas Verbi, quae et quatenus Verbo hypostatice erat unita, virtute a Verbo sibi communicata, non habuit potestatem resurgendi, *N. Min.*

Dices 3°: Apud *Mt.* 19, 7; *Mc.* 10, 3. vox «mandatum» non praeceptum, sed permissionem significat. Non semper ergo vox mandatum significat praeceptum stricte dictum.

Resp. Obiectio non multum valet. Nam Moyses quidem *permisit* dimittere uxores propter duritiam cordis Iudaici; sed *mandatum tulit* de dando «libello repudii» ad frenandam libidinem.

2. Christus non semel confessus est; se voluntati Patris, ut legi et normae obliganti suam vitam et mortem conformare. *Atqui* hi textus, numero haud exigui, iterum sensu improprio et translatitio interpretandi essent, si Deus Pater dumtaxat suum beneplacitum atque desiderium manifestasset, quoad vitam et mortem pro hominibus offerendam. *Ergo* non potest cum Petavio, Franzelin et sequacibus affirmari: in Christo impeccabili impossibile esse quodvis praeceptum stricte dictum.

Ad mai. Ioan. 6, 38. 39; *Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Haec est autem voluntas eius, qui misit me, Patris: ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.* Cfr. *Ioan.* 4, 34; 5, 30; *Hebr.* 10, 7-10; *Ecce venio: in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam... Hostias et oblationes et holocautomata pro peccato noluisti. tunc dixi: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam... In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Chri-*

sti. Mt. 26, 39. 42; *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtatem non sicut ego volo, sed sicut tu. Iterum secundo abiit et oravit, dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Cfr. *Lc.* 22, 42.

Apposite *S. Thomas*, 3. P. q. 20, a. 1. Specialiter humana natura Deo subiicitur, quantum ad proprium suum actum; in quantum scilicet propria voluntate obedit mandatis eius. Et hanc subiectionem attribuit sibi (Christus *Ioan.* 8.) dicens: *Quae placita sunt ei. facio semper*: et haec est subiectio obedientiae Patris usque ad mortem: unde dicitur (*Philip.* 2.) quod *factus est obediens Patri usque ad mortem.*

3. Christus in morte subeunda proprie et stricte obediens fuit. *Atqui* obedientia propria et stricte dicta mandatum strictum vel voluntatem superioris obligantem subditum supponit. *Ergo* Christus tale mandatum et voluntatem Patris sese ad moriendum obligantem, communicatam habuit.

Ad mai. Phil. 2, 8: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Hebr.* 5, 8. 9; *Et quidem, cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quae passus est, obedientiam: et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae. Rom.* 5, 19; *Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita per unius obeditionem, iusti constituentur multi.* In textibus allatis sermo est de obedientia Christi sensu stricto, nam per hanc obedientiam Christus meruit, exemplar factus est obedientiae; denique, obedientia Christi opponitur inobedientiae Adami, qui, voluntatem divinam transgrediendo, peccavit.

Prob. min. S. Thom., 2. 2ae q. 104, a. 2, c. et ad 1 et 2. Obedientia est specialis virtus et eius *speciale obiectum* est praeceptum *tacitum vel expressum*: voluntas enim superioris quocumque modo innotescat, est quoddam tacitum praeceptum et tanto videtur obedientia promptior, quanto *expressum* praeceptum obediendo praevenit, *voluntate* superioris intellecta. Sic ergo, si obedientia *proprie* accipiatur, secundum quod respicit per intentionem formalem rationem praecepti, erit specialis virtus et ino-

bedientia peccatum speciale... Obedientia non est virtus theologica; non enim per se obiectum eius est Deus, sed praeceptum superioris cuiuscumque *vel* expressum *vel* interpretativum, scl. simplex verbum praelati *eius indicans voluntatem*, cui obedit promptus obediens.

Dices: Ad obedientiam non requiritur praeceptum sive expressum sive tacitum; sufficit voluntas superioris, quomodocumque manifestata; sufficit simplex desiderium vel beneplacitum. Et revera obedientia eo perfectior est, quo perfectius subditus omne desiderium omneque praeceptum praevenit. *Atqui* Christus perfectissime obediens fuit. *Ergo* nullum umquam praeceptum a Patre accepit.

Resp. Dist. mai. Sufficit voluntas superioris ut superioris subdito manifestata, *C. mai.* Non requiritur voluntas superioris ut superioris vel tacite praesupposita, *N. mai.* Obiectum obedientiae est voluntas *superioris*, ut a non-superiori distinguitur: at in voluntate *simplici* non differt superiori a non-superiori, sed solum in voluntate obligante, quae proprie praeceptum est. Etenim et simplex homo, collega aequalis, immo inferior velle, desiderare, consulere potest; et quivis huic voluntati se conformare potest. At conformatio tali voluntati ad rationem virtutis obedientiae non pertingit. Verum est: eo perfectiorem esse obedientiam, quo diligentius subditus omne praeceptum superioris praevenit; sed voluntas superioris obligantis praesupponitur semper et huic se perfecte obediens conformare studet.

S. Thomas *a*) certe mandatum moriendi in Christo Domino admisit. 3 P., q. 47, a. 2 ad 1 et 2. Dicendum, quod Christus mandatum accepit a Patre, ut pateretur; dicitur enim (*Ioan.* 10): *Potestatem habeo ponendi animam meam et potestatem habeo iterum sumendi eam; et hoc mandatum accepi a Patre meo*, scilicet ponendi animam et sumendi eam, ex quo, ut *Chrysost.* dicit, (*Hom.* 59 *in Ioan. inter princ. et med.*), non est intelligendum, quod prius expectaverit audire et opus ei fuerit discere: sed voluntarium monstravit processum et contrarietatis ad Patrem suspicionem destruxit. Dicendum, quod obedientia, etsi importat *necessitatem* respectu eius, quod praecipitur, tamen importat *voluntatem* respectu *impletionis praecepti*: et talis fuit obedientia Christi; nam ipsa passio et mors, secundum se considerata, naturali vo-

luntati repugnabat: volebat tamen Christus *Dei voluntatem* circa hoc implere, secundum illud (*Ps.* 39): *Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui.*

3 Dist., 18, q. 1, a. 6, *exp. test;* «*Impleto autem Dei decreto aperire voluit*». Decretum dicitur Dei praeceptum, quod Adam transgressus est, quod Christus, obediendo, implevit. *In Ep. ad Rom. Cap.* 5 *Lect.* 5; Obedientia hic dicitur, secundum quam praecepto Patris obediens, mortem sustinuit pro salute nostra. Nec est contrarium, quod alibi dicitur, Christus ex caritate mortuus est, quia hoc ipsum, quod obedivit, processit ex dilectione, quam habuit ad Patrem et ad nos. Et est attendendum, quod per obedientiam et inobedientiam probat nos per unum peccatores effici et per unum iustificari: quia *iustitia legalis*, quae est omnis virtus, attenditur *in observatione praeceptorum legis*, quod pertinet ad rationem obedientiae; *iniustitia* autem legalis, quae est omnis malitia, attenditur *in transgressione mandatorum* legis, quae pertinet ad rationem inobedientiae. Sic ergo convenienter dicitur, quod per obedientiam constituuntur homines iusti et per inobedientiam peccatores.

b) Conciliatio libertatis cum praecepto moriendi constanter *a S. Thoma* haec datur. Christus *libere* mandata Patris explevit, quia Deus talem caritatem voluntati humanae Christi inspiravit, ut haec infallibiliter libere mandata Dei expleret.

3 P., q. 47, a. 3; Christus passus est voluntarie *ex obedientia* Patris; unde Deus Pater *tradidit* Christum passioni: *uno* quidem *modo*, secundum quod sua aeterna voluntate praeordinavit passionem Christi ad humani generis liberationem... *Secundo*, in quantum inspiravit ei voluntatem patiendi pro nobis, infundendo ei charitatem: unde ibidem sequitur: *Oblatus est, quia ipse voluit. Ibid.* ad 2: Christus secundum quod Deus, tradidit semetipsum in mortem eadem voluntate et actione, qua et Pater tradidit eum; sed in quantum homo, tradidit seipsum voluntate a Patre inspirata: unde non est contrarietas in hoc, quod Pa-

ter tradidit Christum et ipse tradidit seipsum. 3 P., q. 47, a. 2, ad 3; Eadem ratione Christus passus est ex charitate et obedientia; quia et praecepta charitatis ex obedientia implevit et obediens fuit ex dilectione ad Patrem *praecipientem*. 3 Dist., 20, q. 1, a. 5, sol. 1, ad 1; Deus Pater non tradidit Christum in mortem, quasi *cogendo* ipsum mori, sed dando ei voluntatem bonam, qua mori vellet. *In Ep. ad Rom. Cap.* 8, *Lect.* 6; Tradidit eum Deus Pater in mortem, eum incarnari et pati statuendo, et humanae eius voluntati inspirando caritatis affectum, qua passionem *spontaneus* subiret: unde ipse seipsum tradidisse dicitur.

Obiicies 1°: Talis explicatio, quae etiam apud *S. Bonaventuram et Scotum* invenitur, velamen mysterii, (quo pacto scl. libertas cum praecepto amice conveniat), non aufert et conciliationem libertatis cum mandato ad efficaciam gratiae reducit.

Resp. Concedo totum! Melior tamen nobis haec explicatio videtur prae aliis, quae vel nova « mysteria » introducunt et obscurum quandoque obscuriori dilucidant; vel contra quasdam veritates theologicas intangibiles offendere videntur.

Obiices 2°: Quid nos auctoritas S. Thomae iuvabit, si contra militat auctoritas plurium S. Patrum, qui mandatum stricte dictum a Christo removent, negantque: Christum tale mandatum accepisse.

Resp. a) In pluribus textibus a Petavio et Franzelin adductis, (quorum specimen habes pg. 333) non est sermo de Christo ut est hic homo, sed de Verbo, *ut Verbo, ut persona divina*, Patri consubstantiali. Filio Dei, ita considerato, nullum mandatum stricte dictum dari potuit. Patres frequenter, e rationibus polemicis, contra Arianos, qui ex voce « mandatum », « factus obediens » contra consubstantialitatem Filii arguebant: reponunt: Filium Dei, *ut Verbum* « mandata » Patris accepisse i. e. essentiam divinam et cum essentia divina omne Patris desiderium.

b) Cum vero Patres de Filio Dei *incarnato* loquuntur; vindicant contra Arianos: Christum *non coacte, non violente, non serviliter*, « ex mandato » mortuum esse. Contextus ergo consulendus [1].

---

[1] Cfr. Galtier, Op. Cit., pg. 323, 324; Pesch, Op. Cit., n. 339; Janssens, *Sum. Theol.*, 5, pg. 736 seq.

B) Variae explicationes Theologorum, qui mandatum moriendi in Christo admittunt, recensentur.

1. Gregorius de Valentia (*De Incarn.*, Disp. 1, q. 19, punct. 2), Vasquez (Disp. 74, c. 5), Lessius (*De Summo Bono*, 2, n. 185), Th. Raynaud (*Christus Homo-Deus*, 4, Sect. 2, c. 6) Ysambert (*De Incarnat.*, q. 18, Disp. 2, a. 6), docent: Christum *quoad substantiam* passionis, quoad *mortem ipsam* a Deo mandatum accepisse; quoad speciem, modum executionis, motivum, intensitatem, tempus, adiuncta et circumstantias passionis omnino *liberum* fuisse. Audiatur *Ysambertus*: Res contentae praeceptis impositis Christo Domino ea tantum ratione fuerunt ab illo ex necessitate observatae, *qua fuerunt illi praeceptae* et quando res eiusmodi sunt liberae, quoad gradum specificum et individuum, tunc praecepta data de illis dicuntur libere observari etiam quoad substantiam. *Atqui* res contentae praeceptis a Deo impositis Christo Domino *non* fuerunt illi praeceptae *quoad totam rationem substantialem*, prout illa coalescit ex gradu specifico et individuo, sed solummodo iuxta gradum genericum. *Ergo* res contentae praeceptis a Deo impositis Christo Domino fuerunt ab illo libere observatae etiam quoad suam substantiam et aliquot illorum circumstantias. (*Ibid.* a. 8).

a) Debilitas huius explicationis illico percellit oculos. Si enim conceditur: Christum *necessario* mortuum fuisse, cum *mors ipsa* Christo per mandatum imposita esset; quomodo tunc Christus, *necessario moriens*, per mortem suam quidquam mereri et Deo satisfacere potuit? Iamvero in Scripturis nostra redemptio et iustificatio morti Christi tribuitur. Ergo in morte subeunda Christus liber fuit.

b) Falsum praeterea est hoc principium morale, in quo tota hypothesis innititur; arbitrantur enim hi Theologi: opus aliquod intrinsece quoad substantiam necessarium, ad quod ex necessitate adigimur; *liberum* et meritorium fieri posse, modo voluntas in illo exsequendo quoad accidentales circumstantias libera fuerit.

c) Secundum Scripturas non solum mors, verum etiam minimae quaeque *circumstantiae* in passione et morte Iesu Christi *praedefinitae* fuerunt. *Mt.* 26, 54. 56; *Ioan.* 13, 1; 19, 24; 19, 36.

2. De Lugo (Disp. 26, sect. 7, n. 82), Legrand (*Cursus Theol.*, Migne t. 9, pg. 767), Tepe (*Inst. Theol.* 3, pg. 599), Otten (Op. Cit., pg. 248), putant Christum habuisse praeceptum moriendi *dispensabile*, ita, ut, licet vi istius praecepti vere teneretur mori, posset tamen quovis momento efficaciter impetrare praecepti dispensationem. Libere abstinendo ab impetratione dispensationis, libere quoque subiit mortem, etsi ex praecepto mori teneretur. « Licet iam esset, ait *Lugo*, positum praeceptum, et in sensu composito praecepti non posset non pati; poterat tamen ipse Christus tollere illum sensum compositum et impetrare a Deo praecepti dispensationem et mortem simpliciter impedire iuxta illud *Mt.* 26: *An putas, quia non possum rogare Patrem et exhibebit mihi plus quam duodecim legiones angelorum* »? (*Ibid.*, sect. 8, n. 102).

a) Explicatio haec magis subtiliter excogitata, quam solide est fundata. In verbis Christi ex *Mt.* 26, 53 adductis minime asseritur *possibilitas postulandi* dispensationem, sed possibilitas obtinendi externum auxilium efficax contra violentiam Iudaeorum. Nam per illa verba voluit Christus dumtaxat imprudentem et inoportunum zelum Petri cohibere, qui gladium arripiens, armis Iesum defendere studuit. Cui Christus, « *an putas* », inquit, « *quia non possum rogare* » etc. i. e. si vellem me *ab hac turba defendere*, non indigerem duodecim apostolorum auxilio, qui possum habere duodecim legiones angelici exercitus.

b) Amplius, suppositio Lugoniana, ac si Christus posset a Deo Patre dispensationem petere, contradicit *v.* 54, in quo Christus Apostolis declarat: suam passionem fieri secundum *voluntatem* et *ordinationem* divinam: *quomodo ergo*, ait Iesus, *implebuntur Scripturae, quia sic oportet fieri?* In Scripturis enim mors violenter ab Iudaeis Messiae illata praedicitur; (*Isai.* c. 53; *Dan.* 9, 26; *Ps.* 21). ([1]).

([1]) Cfr. J. Knabenbauer, *Com. in Ev. Sec. Matthaeum*, II. Paris 1903², pg. 471, 472.

c) Denique, aut hoc praeceptum erat absolutum aut non. Si erat *absolutum* praeceptum, ut Christus in cruce moreretur; Christus non potuit *absque magna imperfectione morali* dispensationem petere. Si vero praeceptum hoc *non erat absolutum*, sed hac condicione affectum, «nisi dispensationem petieris», tunc non erat *proprie* praeceptum, sed desiderium, beneplacitum paternum et redeunt omnes difficultates, quae contra hypothesim Petavii moventur.

3. Thomistae O. P., ut puta: B. Medina (In 3. P., q. 47, a. 2), Alvarez (*De Incarn.*, Disp. 46, n. 18-20), Ioannes a S. Thoma (Disp. 17, a. 4, n. 17 seq.), Gonet (Disp. 21, a. 3, § 3), Billuart (Disp. 18, a. 4), Hugon (q. 11, a. 3, n. 7), Salmanticenses Carmelitae, (Disp. 27, Dub. 6, § 2) libertatem Christi sub mandato stricte dicto explicant eodem modo, quo libertatem creatam universim sub motione gratiae efficacis ab intrinseco.

Libertas Christi sub mandato stricte dicto moriendi intacta servatur, quia potentia *transgrediendi mandatum* non est de essentia libertatis, sed liberae voluntatis imperfectio. Praeceptum moriendi liberam electionem Christo non sustulit, quia eius humana voluntas, gratia efficaci confortata, actualiter eligendo mortem sibi praeceptam, habuit simul et retinuit *potentiam ad negationem mortis* divisim a praecepto. Famosam distinctionem sensus compositi et divisi, explicent nobis ipsi Thomistae. Ordine chronologico a Salmanticensibus incipiemus.

Salmanticenses (Disp. 27, Dub. 6, § 2, n. 101 et 102). Ita proportionaliter explicanda est libertas Christi in adimplendo praecepto, sicut libertas hominis in exequendo rem a Deo efficaciter praedefinitam, vel ad quam movet per auxilium ab intrinseco efficax. Sicut enim Christus est ab intrinseco impeccabilis, cum quo *minime cohaerere videtur* potestas ad omittendum rem praeceptam; quia, si omitteret, peccaret: sic etiam decretum Dei est ab intrinseco efficax et auxilium, quo movet, est essentialiter infrustrabile; cum quo *conciliari non videtur facultas hominis* ad omittendum actum a Deo praedefinitum, ad quem efficaciter movet. Sed quod homo sit liber in eliciendo actum a Deo praedefinitum et ad quem efficaciter movetur; consistit in eo, quod ad-

huc suppositis praedefinitione et auxilio efficaci ad actum potest illum omittere in sensu diviso, sive consideratum *secundum se*. Ergo pari ratione quod Christus fuerit liber in exequendo res sibi praeceptas, non obstante quod supponatur impeccabilis, consistit in eo, quod *potuit ea, quae sibi praecipiebantur*, omittere in sensu diviso, sive considerata secundum se.

Sensus huius distinctionis *nullatenus est*: quod, *stante* atque urgente praecepto, non stet simul *potestas omittendi* et quod, praecepto *ablato*, adsit haec potestas. Si enim res ita se haberet, plane praesentia praecepti excluderet libertatem in agendo, sicut et potestatem ad omittendum. Sed sensus est: Christum, stante praecepto, *non potuisse omittere*, coniugendo omissionem cum illo: *potuisse* tamen, etiam stante praecepto, omittere omissione secundum se accepta, quo pacto praescindit tam a praecepto, quam a coniunctione cum illo. Sicut amans, dum amat, nequit non amare in sensu composito; potest tamen non amare in sensu diviso, quia, licet non habeat potestatem ad coniungendum *amorem et omissionem* amoris: tamen cum amore exercito coniungit potestatem *ad omissionem amoris secundum se*.

Gonet (Disp. 21, a. 3, § 3, n. 84 et 87). Modus vere conciliandi in Christo circa praeceptum mortis, ei a Patre impositum, libertatem a necessitate cum omnimoda ipsius impeccabilitate in eo consistit, quod, licet *non potuerit* Christus velle non mori *in sensu composito*, hoc est velle coniungere *negationem mortis* cum praecepto obligante ad mortem; bene tamen in sensu diviso, id est velle negationem mortis, ut abstractam a praecepto.

Sicut ergo in sententia Thomistarum divinum decretum ita causas liberas ad agendum determinat, ut nedum substantiam, sed etiam *modum* operum attingat, ita, ut causae liberae faciant, quod Deus vult fieri et eo modo, quo fieri vult, id est *libere*; et ita agant unum, ut possint agere oppositum; ita *similiter* praeceptum moriendi Christo impositum, ipsum ad substantiam et modum operis moraliter *determinavit*, ut nempe moveretur eo modo, quo Pater voluit, scl. *libere*, sive cum potentia non moriendi. Et sicut docuimus: ex efficaci divinae voluntatis decreto, non sequi necessario, sed tantum *infallibiliter*, ipsam operationem et hanc solum infallibilitatem esse requisitam ad efficaciam illius. Ita pariter, nunc dicimus; quod ut praeceptum moriendi Christo impositum esset efficax, satis erat, quod infallibiliter mortem Christi inferret, licet *non necessario*. Unde tale praeceptum infallibiliter mortem inferendo, reddidit Christum impeccabilem; et non inferendo necessario, reliquit eum liberum. libertate indifferentiae.

Billuart (Dis. 18, a. 4, § 2) indicat rationem, cur haec ad libertatem servandam et cum impeccabilitate conciliandam sufficiant. Suppono, inquit, solam libertatem exercitii *seu contradictionis* sufficere ad

salvandam essentiam liberi arbitrii, quia per illam homo est sufficienter dominus sui actus et reperitur perfecta libertas *in Deo et angelis* quoad bonum, in quibus non est libertas contrarietatis. Suppono potentiam seu libertatem peccandi, quae est *contrarietatis* ad libertatem bene agendi, non requiri ad veram libertatem arbitrii sed potius naevum et defectum esse libertatis.

Christus itaque *libere obedivit*, non hoc sensu, quod potuerit facere contra obedientiam seu contra praeceptum, sed hoc sensu, quod *potuerit non facere*, quod aliunde praecipiebatur: sicut dicimus hominem posse potentia *antecedente* resistere gratiae efficaci, non hoc sensu, quod possit impedire directe efficaciam gratiae, sed hoc sensu, quod possit non facere id, ad quod determinatur per gratiam; quia remanet indifferentia iudicii et Deus vult id, quod fit, per gratiam libere fieri: ita in nostro casu non obstante praecepto.

Hugon (q. 11, a. 3, n. 7) denique audiatur. Iuxta Thomistas praeceptum est rigorosum et absolutum, sive quoad mortem sive quoad circumstantias et difficultas praesens eodem modo solvitur, quo generatim componitur libertas creata cum praescientia aeterna et concursu divino. Si *gratia praedeterminans et praemotio physica* in libero arbitrio impressae libertatem non auferunt, a fortiori praeceptum divinum voluntati extrinsecum nequit libertatem laedere. Poterat ergo Christus componere potentiam non moriendi cum praecepto moriendi, licet non posset componere de facto non mortem cum praecepto; sicut praemotus ad standum habet sub ipsa praemotione veram potentiam sedendi, licet de facto numquam uniri queat actus sedendi cum praemotione ad standum. Actus quippe standi cum actu sessionis numquam componitur, sed potentia sedendi est simul cum potentia standi et cum actu stationis; ita in Christo potentia non moriendi bene componitur cum *praecepto moriendi*, sed de facto et attenta gratia, quae in ipso semper fuit efficax, *non mori* componi nequit cum praecepto moriendi.

a) Quibus perspectis, neminem fugit: problema libertatis Christi in morte crucis subeunda solvi a Bannezianis iuxta normas generales, quae de libertate creata ab ipsis statuuntur. Cum autem, iuxta hos Theologos, decreta divina ad unum praedeterminantia et praemotio physica ad unum praedeterminans causa sint *liberae determinationis*, creaturarum rationalium; nil mirum, quod etiam electionem liberam mortis in Christo *gratia efficax ab intrinseco causare dicitur*. Molinistis tamen haec praesupposita et asserta Bannezianorum plus sunt quam *problematica*; adeoque neque lucem magnam affe-

runt. Si enim mysterium aliquod novo, profundiori mysterio explicatur; abyssus abyssum invocat.

b) Secundo, magnam difficultatem in explicatione Thomistica creat distinctio sensus compositi et divisi, ope cuius obiectiones contra libertatem in eligenda morte solvere conantur. Conceditur nempe a Bannezianis: Christum potuisse non mori *in sensu diviso* praecepti seu habuisse potentiam non-moriendi *universim, abstracte, secundum se;* non potuisse vero non mori *in sensu composito* praecepti seu non habuisse potentiam non-moriendi *ita, in his circumstantiis,* sub praecepto. Haec distinctio vana est. Non disputatur enim de possibilitate non moriendi *universim, abstracte, absolute loquendo,* sed de potentia non moriendi sub praecepto, sub his circumstantiis; nam talis potentia ad liberam determinationem requiritur. Si autem conceditur Christum *talem* potentiam non habuisse, de libertate eius in cruce amplectenda actum est.

4. L. Molina (*Concordia*, q. 14, a. 13, Disp. 54, membr. 4 sub finem), Toletus (In 3. P., q. 19, a. 4, concl. 5), B. R. Bellarminus (*De Iustific.*, 5, c. 11), Lessius (In 3. P., q. 18, a. 4), Becanus (*Theol. Schol.*, II. tract. 4 *De gratia* c. 5, q. 1), Pesch (th. 26), Galtier (th. 27) ita libertatem Christi in adimplendo mandato moriendi explicare conantur. Distingunt in Christo *duplicem seriem actuum*, nempe actus Christi ut comprehensoris et viatoris. Illi scientia beata, hi scientia infusa vel acquisita regebantur. Actus Christi, *ut erat comprehensor*, non erant liberi, neque meritorii; actus *viatoris* cum plena libertate arbitrii ponebantur. Quatenus ergo Christus ope scientiae infusae praeceptum moriendi cognovit, *liberrime sese illi subiecit;* nam Deus illi tot tantasque gratias praeparavit, quibuscum, ope scientiae mediae, humanam voluntatem Christi mandato moriendi consensuram praevidit.

Toletus (q. 19, a. 3, concl. 5). In Christo *duos actus* ponimus caritatis: unum quo ferebatur *in Deum visum;* et in hoc non est meri-

tum, quia est actus beatitudinis: alter est, quo dilexit nos propter Deum et acceptavit praeceptum mortis a Patre et alia voluit exequi; et in hoc consistit meritum et talis non est necessarius necessitate contradictionis.

B. Bellarminus (*De Iustif.*, 5, 11 ad 2) Christus *simul viator fuit et comprehensor* et ideo duplex in eo dilectionis actus inveniri poterat, unus *consequens ad visionem* Dei, qui necessarius erat, alter consequens *ad cognitionem infusam*, qui liber et voluntarius erat. Deinde, quamvis Christus non posset non diligere Deum, tamen poterat ex actibus caritatis imperatis alios facere, alios omittere pro arbitrio; quemadmodum caeteri tum angeli, tum homines, qui Deum vident et etiam ipse Deus, non possunt quidem peccare, aut Deum non semper diligere: tamen possunt in aliis multis rebus pro arbitrio agere. Itaque electionem passionis, qua nos Christus redemit, liberam voluntariamque fuisse, testatur Isaias. c. 53.

Lessius (In 3 P., q. 18, a. 4). Deus proponens animae Christi hoc praeceptum (moriendi) ita excitabat eius intellectum et afficiebat voluntatem per gratiam pravenientem, sicut *noverat* eam libere consensuram.

Hanc explicationem, ut *probabilem* admittendo, non contendimus: per illam et in illa omnem mysterii umbram dissipari. Et in hac enim explicatione Molinistica, similiter ac in sistemate Banneziano, ad efficaciam gratiae et ad inspirationem *efficacis amoris* tamquam ad ultimam radicem liberae electionis recurritur. Sed quia in systemate Molinistico gratia est efficax *ex libero consensu* voluntatis, *ope scientiae mediae praeviso;* ideo consequenter in sententia Molinistica libertas Christi, mortem praeceptam voluntarie eligentis, facilius intelligitur.

PARS II.

DE REDEMPTIONE HOMINUM SEU SOTERIOLOGIA

1. Quae Verbum Dei Incarnatum, uti est in se, spectant, summatim iam exposuimus i. e. *Christologiam* absolvimus. Quaedam nunc de opere Dei Incarnati agemus i. e. *Soteriologiam* incipimus. Cum perfectam in Christo humanitatem vindicabamus, aliquam habitudinem Verbi Incarnati ad nos indicavimus; Christum nimirum nobis *consubstantialem* esse. Nunc vero exactius arctissimam Christi ad genus humanum relationem, quae ex illius opere soteriologico exurgit, scrutabimur. Opus autem Christi i. e. vita, passio et mors Iesu sub diverso aspectu considerari potest; quatenus scl. hoc opus *vicarium, propitiatorium* et *satisfactorium* valorem habet; vi cuius inter genus humanum et Deum Christus mediator constitutus est; mediator non tantum physicus, verum etiam moralis, qui pro hominibus condigne satisfecit hominesque e servitute daemonis redemit. Per mortem suam in cruce Christus insuper omnes gratias ordinis supernaturalis hominibus meruit. Iure merito ergo nomen redemptoris, salvatoris, restauratoris nactus est [1]. Quoniam vero

[1] Plaudimus sincere Cl. *Janssens,* cui potius nomen Salvatoris quam *Servatoris* placet. Non idem est, inquit, *servare* et salvare; quare nequit esse idem Salvator et Servator. Plus enim dicit Salvator: affirmat ruinam, a qua Christus humanum genus eripuit. Et sane, si Adamus stetisset, fuisset sibi et nobis originalis iustitiae servator. Cecidit et cum eo nos cecidimus omnes in mortem, unde oportuit, ut veniret Homo-Deus-Salvator. Absit! ut vocabulo, tam alti sensus, usu Ecclesiae per tot saecula sacrato, verbum inefficax (Servator) praeponamus, quia tullianum. Christum, si agnovisset ipse Tullius, tot novorum vocabulorum fictor, *non Servatorem* sed Salvatorem appellasset. Janssens, *Tractatus de Deo-Homine, Soteriologia.* Friburgi 1902, pg. 560, 561.

satisfactio et redemptio per modum cruenti sacrificii peracta est, Christo etiam nomen summi Sacerdotis tribuitur. Salvator et Redemptor iure merito generis humani rex et caput appellatur.

2. Tractatus soteriologicus quaedam supponit: *a*) Genus humanum in Adamo ad ordinem supernaturalem elevatum fuisse; sed per peccatum primorum parentum gratiam sanctificantem et varia originalis iustitiae dona amisisse. *b*) Homines, qua peccatores, gratia sanctificante orbatos, servitutis diabolicae iugo teneri. Lucifer enim diabolus veluti princeps damnatorum creditur, cuius nefando imperio omnes damnati subduntur. Insuper supponimus; *c*) omne peccatum grave gravissimam, immo quodammodo infinitam offensam Dei esse, pro qua nulla creatura condigne satisfacere potest. *d*) Incarnatio et passio Filii Dei, quamvis absolute ad redimendum genus humanum necessaria non fuisset; tamen in hypothesi condignae satisfactionis, pro peccatis hominum Deo praestandae, necessaria erat. *e*) Denique supponimus: Iesum Christum Nazarenum sub Pontio Pilato vere passum, crucifixum, mortuum, et sepultum fuisse.

Quibus praesuppositis; de valore morali et charactere vicario, satisfactorio, meritorio, sacrificali passionis et mortis Iesu Christi agemus. Ad quem scopum perutiles esse possunt, praeter Veteres et Recentiores Commentatores S. Thomae, quaedam opera specialia, necnon dissertatiunculae recentissimae.

G. Pell, *Das Dogma von der Sünde und Erlösung*, Regensburg 1886; B. Dörholt, *Die Lehre von der Genugtuung Christi*, Paderborn 1891; A. Ritter, *Christus der Erlöser*, Linz 1903; Hehn, *Sünde und Erlösung nach biblischer und babylonischer Anschauung*, Leipzig 1903; Muth, *Die Heilstat Christi als stellvertretende Genugtuung*, München 1904; C. van Crombrugghe, *De Soteriologiae Christianae primis fontibus*, Lovanii 1905; J. Rivière, *Le dogme de la rédemption, Etude historique*, Paris 1905 et *Etude théologique*, Paris 1914; J. Wirtz, *Die Lehre von der Apolytrosis*, Trier 1906; J. Stufler, *Die Erlösungstat Christi in ihrer Beziehung zu Gott*, « Zeit-chr. f. k. Theol. », Innsbruck 1906, pg. 385-407, 625-649; K. Staab, *Die Lehre von der Stellvertretenden Genugtuung Christi*, Paderborn 1908; J. Lamine, *La Rédemption*, Paris 1911; E. Hugueny, O. P., *La Rédemption*, « Rev. d. Sc. Phil. et Théol. », 1911, pg. 299-320; Lesêtre, *Rédemption*, Dict. de

la Bible. 5, 1007-1016; ZANECCHIA, O. P., *Il Sacrifizio redentivo a Gerusalemme*, Roma 1913; G. PELL, *Der Opfercharakter des Erlösungswerkes*, Regensburg 1916; HUGON, O. P., *Le mystère de la rédemption*, Paris 1916[2]; PESCH, *Das Sühneleiden des göttlichen Erlösers*, Freiburg 1916; MÉDEBIELLE, *La vie donnée en rançon*, « Biblica », Romae 1923, pg. 3-40; IDEM, *L'expiation dans l'Ancien et le Nouveau Testament*, I. II., Romae 1924; L. RICHARD, *La rédemption, mystère d'amour*, « Rech. d. Sc. Rel. », 1923, pg. 193-217, 397-418; IDEM, *Péché et rédemption*, « Rev. Apol. », 1930, pg. 385-408; LATTEY, *Theses Paulinae, Christus sacrificium propitiatorium Deo pro hominibus obtulit*, « Verbum Domini », Romae 1925, pg. 111-119; IORET, O. P., *Par Jésus Christ notre Seigneur*, Paris 1925; R. G. BANDAS, *The Master-Idea of Saint Paul's Epistles or the Rédemption*, Bruges 1925; P. BATIFFOL, *L'idée de rédemption dans le christianisme primitif*, « La Scuola Cattolica », 1925, pg. 321-336; MINOCCHI, *Dogma della Redenzione*, « Studi Religiosi », 1926, pg. 540-587; M. CORDOVANI, O. P., *Il Salvatore*, Roma 1928; J. B. COLON, *La conception du salut d'après les évangiles synoptiques*, « Rev. des Sc. Rel. », 1930, pg. 1-39.

Cap. 1. — De Satisfactione et Redemptione.

Thes. 18. — Christus per passionem et mortem suam pro peccatis hominum Deo satisfecit hominesque redemit.

S. TH., q. 47, a. 3; q. 48, a. 2, 4, 5; q. 49, a. 1-4; FRANZELIN, th. 46; STENTRUP, *Soteriologia*, I., th. 7, th. 19-23; JANSSENS, *Soteriologia*, q. 18, a. 2, 4, pg. 763 seq.; MUNCUNILL, Disp. 16, a. 1; PESCH, th. 33; BILLOT, th. 51; DIEKAMP, *Katholische Dogmatik*, II., Münster 1921[5], § 35, 36. pg. 285 seq.; OTTEN, th. 32; GALTIER, th. 30, 32; HUGON, q. 15, a. 1, 3, 4.

STATUS QUAESTIONIS.

Christo munus mediatoris inter Deum et creaturas aliqua ratione convenire, nemo est, qui negaverit. Mediator enim universalissime ille est, qui medius stat inter duo extrema, illaque coniungit. « In mediatore, inquit S. *Thomas*, q. 26, a. 2. duo possumus considerare: *primo* quidem rationem medii; *secundo* officium coniungendi. Est autem de ratione medii, quod distet ab utroque extremorum; coniungit autem mediator per hoc, quod ea, quae unius sunt, defert ad alterum... Sed utrumque convenit ei, in quantum est homo: quia secundum quod est

homo, distat a Deo in natura et ab hominibus in dignitate gratiae et gloriae; in quantum etiam est homo, convenit ei coniungere homines Deo ». In *S. Scripturis munus* mediatoris perspicuis verbis tribuitur Christo. I. *Tim.* 2, 5; *Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Iesus. Hebr.* 9, 15: *Et ideo novi testamenti mediator est.*

Duplex mediatio distingui potest: mere *ontologica* et *moralis. Mere* ontologica mediatio datur, si aliquid *sua natura* medium locum tenet inter duo extrema v. g. homo natura sua medius est inter animal et purum angelum. Christus ratione naturae humanae, sibi hypostaticae unitate, inter naturam divinam et mere humanam medius constituitur. Mediatio moralis in ordine morali obtinet et varia esse potest. Christus mediator moralis iure merito dici potest; quatenus ut divinus *legatus, magister* et *propheta* humano generi plurima divinitus revelavit. Mediat ut *exemplar* sanctitatis, cum vita sua intemerata homines ad meliorem revocat frugem. *Sensu strictissimo mediator moralis* est Christus, si et in quantum sua vita et morte genus humanum cum Deo reconciliavit, si pro peccatis hominum satisfecit, si homines ab interitu aeterno sanguine suo redemit, iisque iustificationem in Adamo perditam denuo meruit atque recuperavit. Et hoc est, quod multi inficiantur, cum sic dictam mediationem moralem Christi seu redemptionem obiectivam generis humani negant; nos vero eam in thesibus, quae sequuntur vindicabimus.

Duo in thesi 18ª asserimus: *a*) Christus pro hominibus Deo satisfactionem debitam dedit (*pars* Iª). *b*) Christus genus humanum e servitute daemonis redemit (*pars* IIª).

Explicatur Pars Iª.

1. *Supponimus*: Omne peccatum grave, quatenus est voluntaria aversio a Deo fine ultimo et illicita conversio ad creaturam, Creatori optimo, maximo gravissimam iniuriam irrogare et duplicem *reatum* involvere: scl. reatum *culpae* seu offensae divinae maiestatis et reatum *poenae*, qua transgressio praecepti plectitur.

Consequenter peccatori grave incumbit officium iniuriam laesae maiestatis reparandi i. e. pro offensa satisfaciendi et poenam pro transgressione legis statutam sustinendi. Porro condignam satisfactionem, pro offensa et iniuria Deo illata, nulla creatura praestare potest. Omnes proinde homines infermi poenas subire debuissent, nisi Christus pro ipsis Deo satisfecisset. *Affirmamus* in parte I[a]: Christum per suam passionem et mortem pro peccatis hominum satisfactionem plenam et condignam Deo praestitisse.

2. Satisfactio universim definitur: iniuriae alteri illatae *compensatio*. Concrete satisfactio est aliquod opus seu obsequium, quod offenso exhibetur ad offensam resarciendam. Offensus gravissime supponitur Deus per peccata hominum; obsequium praestatur a Christo, qui passionem suam et mortem offert, ad Deum placandum et ad offensam, peccatis hominum illatam, reparandam.

Satisfactio est *condigna*, si valor moralis operis adaequat gravitatem iniuriae, sin autem, satisfactio est *congrua*; modo offensus opus satisfactorium accipiat. Satisfactio est vicaria, si opus aliquod cum intentione resarciendi iniuriam perficitur ab alia persona non vero ab ipso offendente. In hac parte thesis probamus: Christum *vicariam* satisfactionem pro hominibus Deo dedisse, honorem laesum Deo restituisse, Deumque hominibus placatum atque propitium reddidisse. Haec satisfactio vicaria est quoque satisfactio *obiectiva*, quae a satisfactione *subiectiva* contradistinguitur; quamque unusquisque actibus subiectivis, vi et intuitu illius satisfactionis obiectivae praestare potest et debet.

Ad rem perbelle *P. Galtier*: « Vicaria satisfactio differt a satisfactione in genere per hoc tantum, quod qui poenam subit, non ipse eam meruit: qui debitum solvit, non ipse illud contraxit; qui offensam compensat, non ipse illam intulit. Reus ergo non est; at vices agit rei in satisfactione praestanda. *Definiri* ergo potest (satisfactio vicaria): Voluntaria perpessio alicuius mali, ex intentione impetrandi alteri alicuius debiti condonationem. Debitum illud potest esse *vel* offensae resarciendae *vel* poenae ob delictum luendae; intentio vero potest esse vel compensandi *offensam*, vel placandi eum, qui indixit *poenam*, ut reo condonet, vel etiam, ut accidit in Christo, obtinendi utrumque simul... Hinc apparet, (quod satisfactio vicaria) *non est assumptio debiti* vel culpae

unius ab altero; *non est proprie et formaliter poena* aut punitio innocenti pro reo inflicta, (nam puniri proprie et formaliter dicitur reus). Ille proinde, qui sine ullo suo debito, poenam assumit ex mera pro reo charitate, dici sane potest aliquomodo puniri pro alio; nam patitur *materialiter* poenam alii debitam, sed tamen illa poena non habet pro illo rationem poenae ».

Denique (rectissime animadvertit idem *P. Galtier*): satisfactio vicaria *supponit* aliquam veram solidaritatem inter reum et satisfacientem; quae solidaritas potest esse *naturalis* (vg. inter cognatos eiusdem familiae), vel *moralis* (per unionem voluntatum, si amans pro amato poenam subire est paratus). Demum vicaria satisfactio, ut sit valida, debet esse *acceptata*. (Cfr. GALTIER, Op. Cit., pg. 397, 398).

3. Characterem satisfactorium passionis et mortis Christi negabant olim Pelagiani, quia peccatum originale inficiati sunt. Eandem qualitatem satisfactoriam et redemptoriam passionis Iesu Christi non agnovit medio aevo Abaelardus (Cfr. *DB*. 371). Veteres Reformatores ut: *Calvinus*, *Gerhard* et *Quensstedt*, in aliud extremum incidendo, putarunt: Christum etiam inferni poenas omnium damnatorum in passione sua sustinuisse et autumant: Christi mortem potius quandam *satispassionem* quam satisfactionem fuisse, cum Christus in se poenas debitas pro peccatis hominum luisset. Thesi nostrae imprimis adversabantur Sociniani, qui contendebant: satisfactionem Christi sensu improprio intelligendam esse. Christus videlicet *condonationem* omnium peccatorum nobis impetravit, quin ullam *compensationem* Deo obtulisset. A peccatis nos redemit, quatenus *exemplo* suae vitae et mortis heroicae viam salutis omnibus monstravit.

A doctrina Socinianorum non multum differt doctrina Hermes, Guenther et Schell. In negatione characteris satisfactorii cum Socinianis conveniunt Rationalistae et praesertim Neo-Protestantes Liberales. Vario autem modo ipsam redemptionem concipiunt. Schleiermacher vg. cum suis sequacibus efficaciam « redemptionis » Iesu in arctissima coniunctione conscientiae Christi cum Deo = universo collocat. Christus ad altissima cacumina huius fiducialis coniunctionis cum Deo conscendit et fidelibus eximium exemplum dedit: quomodo sese a peccatis « redimere » deberent; coniungendo nimirum suas conscientias per affectus et sensus religiosos

cum Deo = universo. Ritschl, Sabatier, Harnack paulo aliter de satisfactione et redemptione ratiocinantur. Deus, inquiunt, amor et misericordia infinita, nullam satisfactionem, nullam expiationem exigit. Ad obtinendam salutem sufficit inconcussa fides atque fiducia in immensam bonitatem Dei-Patris, qui nobis semper propitius est futurus. Christus genus humanum « redemit », quatenus hanc pietatem et misericordiam Dei-Patris indesinenter praedicavit; nosque docuit: quomodo omnem anxiam haesitationem quoad nostram reconciliationem cum Deo = misericordia deponere debeamus.

Schismatici Russi et Graeci admittunt: Christum pro genere humano mortem subiisse seseque in hostiam placationis in cruce Deo pro hominibus obtulisse; haud pauci tamen ex eis negant: Christum pro nobis *satisfecisse*, nam conceptus « satisfactionis », secundum *Malinowskij*, *Swetlow*, *Orfanickij*, *Sergium* (metrop. Finlandiae), *Androutsos*, *Amphiteatrov*, ad divina translatus et applicatus, iuridismum et legalismum romanum, immo crassum anthropomorphismum sapit ([1]).

Theosophi moderni et ex Liberalibus Criticis W. Bousset docent: redemptionem a Christo effectam nihil aliud esse quam illustrationem salutiferam obiective oppositionis, quae inter bonum et malum morale intercedit ([2]). Modernistarum prop. 38 asserit: doctrinam de morte piaculari Christi non esse evangelicam, sed tantum Paulinam. *DB*. 2038.

([1]) Cf. Placide de Meester, O. S. B., *Le dogme de la rédemption ou sotériologie. Etude de théologie orthodoxe.* « Ephem. Theol. Lovan », 1927, pg. 576-612.

([2]) Cfr. Plura apud J. Rivière, *Le dogme de la rédemption. Etude théologique*, Paris 1914. pg. 381-497; D'Alès, *Rédemption*, DAFC. 4, 564-581.

Probatur thesis.

Pars I. Christus pro hominibus mortem obeundo, pro peccatis hominum Deo satisfecit.

Arg. 1. (E symbolis fidei). *a*) Ad normam symbolorum fidei credimus: Christum pro hominibus salvandis mortuum esse. *Nicaeno-Constpl.* Qui propter nos homines et salutem nostram descendit de coelis. Et crucifixus est pro nobis sub Pontio Pilato (passus) et sepultus est. *DB.* 86. « *Quicumque* ». Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis. *DB.* 40.

Ephes. can. 10. Si quis dicit (Pontificem et Apostolum nostrum, Christum) pro se obtulisse semetipsum et non potius pro nobis solis. A. S. *DB.* 122. *Tolet XI.* Solus pro nobis *peccatum factus est* (2 *Cor.* 5, 21), id est, sacrificium pro peccatis nostris. Et tamen *passionem* ipsam, salva divinitate sua, pro delictis nostris sustinuit, mortique adiudicatus et cruci veram carnis mortem excepit. *DB.* 286. *Later. IV.* Qui pro salute humani generis in ligno crucis passus et mortuus. *DB.* 429.

b) *Tridentinum* definivit: Christum pro omnibus hominibus mortuum esse, (ses. 6, c. 3); nos cum Deo reconciliasse (ses. 5, c. 3); et pro nobis satisfecisse, (ses. 6, c. 7; ses. 14, c. 8).

Ses. 5, c. 3. Si quis Adae peccatum per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Iesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, *factus nobis iustitia, sanctificatio et redemptio.* A. S. *DB.* 790. *Ses. 6, c. 3.* Verum etsi ille *pro omnibus mortuus est* (2 *Cor.* 5, 15), non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt. *DB.* 795. *Ses. 6, c. 7.* (Causa) meritoria (est) dilectissimus Unigenitus suus, Dominus noster Iesus Christus, qui sua sanctissima passione in ligno crucis pro nobis Deo Patri satisfecit. *DB.* 799. *Ses. 14, c. 8.* Dum satisfaciendo patimur pro peccatis,

Christo Iesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, conformes efficimur. *DB.* 904.

N. B. - Quae Conc. Tridentinum *in obliquo* docuit; directe *Catechism. Conc. Trid.*, praedicanda praecepit, (De 4 art. symboli, q. 14 et 25), Christum scl., « integram atque omnibus numeris perfectam satisfactionem pro peccatis nostris Deo Patri persolvisse ».

Conc. Vatic. praeparavit schema, in quo *explicite definitur* vicaria satisfactio et redemptio. C. 14 legitur: « Satisfactionem vero pro peccatis totius mundi et meritum et redemptionem humani generis lapsi Filius Dei consummavit secundum naturam suam humanam passione ac morte in ara crucis. Damnamus (proinde) doctrinam haereticam, si qui dixerint, non ipsum Verbum per suam humanam naturam assumptam vere pro nobis satisfecisse Deo offenso nobisque meruisse passione et morte sua; vel omnino ausi fuerint affirmare, huiusmodi satisfactionem vicariam unius mediatoris pro omnibus repugnare divinae iustitiae » (1).

Leo XIII in encycl. « *Tametsi futura* » docet: Filium Dei violato Patris numini cumulatissime pro hominibus uberrimeque satisfecisse de sanguine suo (2).

Arg. 2. (E. S. Scripturis). Secundum S. Scripturas Christus pro peccatis hominum Deo satisfecit, si 1° ad peccata hominum compensanda mortem vicariam subiit; si 2° passione cruenta et morte sua homines cum Deo reconciliavit, amicitiam inter Deum et homines restituit; si 3° sanguinem suum et vitam pro peccatis hominum offerendo, pretium magnum Deo exsolvit. *Atqui*, testantibus S. Scripturis, Christus ita et ob hunc finem passus et mortuus est. *Ergo*, testantibus S. Litteris, Christus pro peccatis hominum satisfecit.

Ad mai. Concedimus assertum: « Christus pro peccatis hominum Deo satisfecit », formaliter explicite i. e. terminis expressis non inveniri in S. Scripturis; et nihilominus de satisfactoria passione et morte Christi formaliter implicite, terminis aequivalentibus per S. Litteras certi reddimur. Satisfactionem enim

(1) Cfr. Collectio Lacensis, *Acta et Decreta*, VII, 515.
(2) Cfr. Acta S. Sedis, 33, 275.

vicariam praestat, qui *vice* et *loco* offendentis offenso vitam suam offert ad compensandam offensam. Satisfactio vicaria ratihabetur, acceptatur, si offensus pretio vitae et mortis substituti placatur, offendentem ad pristinum amicitiae statum recipit et cum illo reconciliatur. Haec ad rationem formalem satisfactionis requiri atque sufficere, nemo, nisi pervicax, negabit.

Prob. min. Ad 1um: Christus ad peccata hominum compensanda mortuus est.

a) Isaias (c. 53, v. 1-12) praedixit: Messiam, qua victimam piacularem, pro peccatis moriturum hominibusque iustitiam recuperaturum. (v. 4) *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit et nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum.* (v. 5) *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostrae super eum et livore eius sanati sumus.* (v. 6) *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit; et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* (v. 8) *Propter scelus populi mei percussi eum.* (v. 10) *Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate.* (v. 11) *In scientia sua iustificabit ipse iustus servus meus multos et iniquitates eorum ipse portabit.* (v. 12) *Ideo dispertiam ei plurimos et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam et cum sceleratis reputatus est et ipse peccata multorum tulit et pro transgressoribus rogavit.*

In textu adducto sermo est de Messia, viro singulari, non vero de populo Israël, collective spectato; nam « Servus Domini » opponitur populo, propter scelus enim populi percussit Deus « servum » illum. Libri Sacri Novi Testamenti testantur: prophetiam Isaiae in Christi passione et morte verificatam esse. *Mc.* 15, 28; *Et impleta est Scriptura, quae dicit: Et cum iniquis reputatus est; Lc.* 22, 37; *Mt.* 8, 17; *Act.* 8, 32.

b) Christus ipse docuit: passionem et mortem suam vicariam, redemptoriam, pro peccatis hominum fore.

Mt. 20, 28; *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis.* Cfr. *Mc.* 10. 45. *Lc.* 22, 19. 20; *Hoc est corpus meum, quod pro vobis*

datur... Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. Mt. 26, 28; *Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Ioan.* 10, 15. 17; *Sicut novit me Pater et ego agnosco Patrem et animam meam do pro ovibus meis. Proptera diligit me Pater: quia ego pono animam meam; ut iterum sumam eam.*

c) Idem tradiderunt nobis Apostoli: Paulus, Petrus et Ioannes.

I Cor. 15, 3; *Tradidi vobis imprimis quod et accepi: quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas. Rom.* 5, 7-9; *Christus, cum adhuc infirmi essemus secundum tempus pro impiis mortuus est. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* Cfr. 2 *Cor.* 5, 14. 15; 8, 9; *Gal.* 1, 4; 2, 20. 21; *Eph.* 5, 25. 26; *I. Thes.* 5, 10.

I Petri 2, 21. 24; *In hoc vocati estis: quia Christus passus est pro nobis... Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, cuius livore sanati sumus.*

I. Ioannis 3, 16. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.*

Prob. min. Ad 2um: Per Christi mortem Deo reconciliati sumus.

Rom. 5, 9. 10; *Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii eius; multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius.* Cfr. *Rom.* 3, 24-26. 2 *Cor.* 5, 18-20; *Omnia ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum: et dedit nobis ministerium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum. Col.* 1, 20; *Complacuit... per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, sive quae in terris, sive quae in caelis sunt.* Cfr. *I Ioan.* 1, 7; 4, 10.

Prob. min. Ad 3um argumenta dabuntur in parte 2a, in qua probabitur: Christi sanguinem pretium esse redemptorium.

Arg. 3. (E doctrina S. Patrum). Tam Patres Apostolici quam antiquissimi Scriptores ecclesiae vicarium et satisfactorium characterem passionis Christi efferunt et commendant.

S. Clem. Rom., *Ad Cor.*, 7, 4. Sanguinem Christi intentis oculis intueamur et cognoscamus, quam pretiosus sit Deo Patri eius, qui propter nostram salutem effusus toti mundo paenitentiae gratiam obtulit. *RJ.* 12. *Ad Cor.*, 49, 6. In caritate nos Dominus sibi assumpsit; propter caritatem, quam erga nos habuit, Dominus noster Iesus Christus voluntate divina sanguinem suum pro nobis tradidit et carnem pro carne nostra et animam pro animabus nostris. *RJ.* 26.

Ps-Barnaba, *Ep.*, 7, 2. 3. Si ergo Dei Filius, qui est Dominus; passus est, ut plaga ipsius vividos nos redderet, *credamus non potuisse Filium Dei pati,* (nisi propter nos. Quia ipse pro peccatis nostris vas spiritus oblaturus erat in hostiam, ut et impleretur figura facta in Isaac, qui super altare erat oblatus. *RJ.* 33.

S. Ignatius M., *Ep. ad Smyrn.*, 1, 2; 2, 1. Plena firmaque fide credentes in Dominum nostrum, vere sub Pontio Pilato et Herode tetrarcha clavis confixum pro nobis in carne, (ex cuius fructu nos sumus, e divine beata passione eius). Omnia autem haec passus est propter nos, ut salutem consequeremur et vere passus est. *RJ.* 62, 63.

S. Iustinus *M.*, *Dial. c. Tryph.*, 95. Omne humanum genus maledictioni obnoxium reperietur. Igitur, si pro hominibus ex omni genere suum etiam Christum Parens universorum *maledictiones omnium in se suscipere voluit,* cum futurum sciret, ut eum crucifixum et mortuum suscitaret ad vitam, cur de eo, qui secundum Patris voluntatem haec pati non refugit, quasi is maledictus fuisset, ita loquimini, ac non potius vosmetipsos lugetis? Etsi enim ab ipso etiam illius Patre *perfectum est,* ut haec pro humano genere pateretur, nequaquam vos id fecistis, ut Dei consilio inserviretis. *RJ.* 140.

Origenes, *In Ioan.*, 28, 18, 160. Pro populo moritur hic homo omnibus animantibus purior, qui peccata nostra tulit et infirmitates, utpote potens universum totius mundi peccatum in se receptum solvere et consumere et delere, quoniam *peccatum non fecit neque inventus est in ore eius dolus,* neque agnovit peccatum. *RJ.* 482.

S. Cyprianus, *De Lapsis*, 17. Solus Dominus misereri potest. Veniam peccatis, quae in ipsum commissa sunt, solus potest ille largiri, qui peccata nostra portavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis nostris. *RJ.* 552.

Euseb. Caesar., *Dem. Evang.*, 10, 1. Patientium membrorum labores in se ipsum (Christus) assumpsit et nostras infirmitates suas fecit et secun-

dum leges amoris erga homines pro omnibus nobis et dolores et labores sustinuit. Neque solum haec faciens Dei agnus, verum etiam pro nobis tormenta, passus supplicioque affectus, quo non ipse dignus erat, sed nos ob multitudinem peccatorum, ut peccata nobis dimitterentur, auctor extitit, utpote qui pro nobis et mortem subierit atque verbera et probra et contumelias, *quibus nos digni eramus in se ipsum transtulerit* atque exsecratio pro nobis factus exsecrationem, quae nobis debebatur, ad se ipsum attraxerit. *RJ.* 673.

S. Athanasius, *De Incarn. Verbi.* 9. Corpus, quod sibi ipse accepit velut hostiam et victimam omni puram macula morti offerendo, mortem statim ab omnibus similibus, suo pro aliis oblato, propulsavit. Sic enim Dei Verbum superius in omnibus existens, suum templum et corporeum instrumentum pro omnibus, uti decebat, devovendo, et offerendo, id quod debebatur, *in morte solvit,* atque ita omnibus per simile corpus coniunctus, incorruptus Dei Filius omnes resurrectionis promissione incorruptos iure et merito reddidit. *RJ.* 751. *Or. adv. Arian.*, 2, 69. Neque pars aliqua creatae naturae salutem illi posset afferre, cum ipse salute quoque indigeat. Quod ne fieret, Deus sui ipsius Filium misit, qui creata carne assumpta factus est filius hominis, ut, quoniam omnes rei essent mortis, ille, qui alius est ab omnibus proprium corpus pro omnibus morti offerret, atque ita, omnibus veluti per ipsum mortuis, sententia adversum nos lata compleretur et omnes deinceps a peccato et maledictione, quae ex eo secuta est, per ipsum fierent liberi. *RJ.* 767.

S. Cyril. Hieros., *Catech.*, 13, 33. Sustinuit haec Salvator, pacificans per sanguinem crucis, quae in caelis et quae in terra sunt. Inimici enim Dei per peccatum eramus et definivit Deus peccantem mori oportere. Ex duobus igitur alterum fieri necesse erat: ut aut Deus sibi constans omnes interimeret aut clementia usus datam sententiam dissolveret. Verum Dei sapientiam conspicare: suam servavit et sententiae firmitatem et bonitati efficaciam. Assumpsit Christus peccata in corpore super lignum, ut nos per mortem eius peccatis mortui iustitiae viveremus. *Non minimi pretii erat,* qui pro nobis moriebatur; non erat ovis sensibilis, non erat nudus homo, non erat solummodo angelus, sed Deus inhumanatus. Non tanta erat peccantium iniquitas, quanta eius, qui *nostri gratia moriebatur* iustitia, non tantum peccavimus, quantum ille iustitia excelluit, qui pro nobis animam posuit. *RJ.* 831.

Arg. 4. (E ratione theologica) *a*) Ille pro peccatis hominum satisfacere potest, qui ex ordinatione divina est totius generis humani caput, quique operationes, valore morali infinito praeditas, possidet. *Atqui* Christus, ut hic homo, tam generis

humani caput est, quam operationes, valore infinito praeditas, possidet. *Ergo* Christus potest pro peccatis hominum satisfacere.

Ad. mai. Caput et membra, ait S. *Thomas*, q. 48, a. 2 ad 1, sunt quasi una persona mystica et ideo satisfactio Christi ad omnes fideles pertinet, sicut ad sua membra: in quantum etiam duo homines sunt unum in charitate, unus pro alio satisfacere potest. *Ad. min.* Christum caput esse ecclesiae, constans est doctrina S. Pauli: *Eph.* 1, 22; 4, 15: *Colos.* 1, 18; 2, 10.

b) Christus pro hominibus satisfacere potuit, si ad reparandam iniuriam, Deo per peccata illatam, plus obtulit exhibuitque, quam damnatio totius generis humani Deo gloriae attulisset. *Atqui* Christus plus obtulit exhibuitque, quam damnatio totius generis humani Deo gloriae attulisset. *Ergo* Christus pro hominibus satisfacere potuit.

Prob. min. Primo quidem, argumentamur cum S. *Thoma*, q. 48, a. 2, propter magnitudinem charitatis, ex qua (Christus) patiebatur. *Secundo* propter dignitatem vitae suae, quam pro satisfactione ponebat, quae erat vita Dei et hominis.

Nota: Haec argumenta nonnisi possibilitatem et quandam *convenientiam* satisfactionis evincunt; Deum autem passionem et vitam Christi ut pretium satisfactorium acceptasse, revelatione divina positiva edocemur.

Explicatur Pars IIª.

1. Quoniam operationes suas infiniti valoris moralis ad satisfaciendum pro genere humano Christus ordinavit et, in cruce moriendo, poenas hominibus pro peccatis debitas in se suscepit, Deusque per passionem Christi placari voluit; iure merito asseritur: a Christo vicariam satisfactionem Deo datam esse. Insuper, vita et mors Christi pro hominibus Deo oblata redemptionis nomine insignitur. Etenim secundum Scripturas status peccati est *servitus diabolica*; nam *a quo quis superatus est, huius et servus est* (*II Petri*, 2. 19); *qui facit peccatum, servus est peccati* (*Ioa.* 8, 34). Quia igitur, homo graviter peccans, diabolicis instigationibus succumbit, servus fit diaboli. Praeterea dia-

bolus inferni princeps est ac tyrannus; quare omnes damnati, ut mancipia crucianda, ipsius imperio subduntur; peccatores autem poenae in inferno luendae expectant. Sicut ergo in peccato tria considerari possunt: *Deus*, qui peccato offenditur; *homo*, qui, peccando a Deo recedit; *diabolus*, cuius instigationi et voluntati homo sese subiicit; similiter in morte piaculari Christi triplex ille respectus invenitur. Per passionem Christi *honor Deo* restituitur, *Deus* generi humano propitius redditur; ex inimico fit amicus (*satisfactio-reconciliatio*); *homo*, excusso peccati iugo, in pristinam libertatem filiorum Dei restituitur; *diabolus* vero ius ad torquendum hominem, qui cum Deo reconciliatus est, amittit, (*redemptio*).

2. Redemptio est liberatio a servitute et restitutio in libertatem, pretio soluto. Vox graeca λύτρωσις, ἀπολύτρωσις a λύτρον derivatur, quod technice pretium solvendum pro liberatione servi a servitute significat. In versione LXX vox λύτρον pretium solvendum pro liberatione servi (*Lev.* 19, 20; 25, 46-51), vel captivorum (*Isai.* 45, 13), vel ad evitandam poenam mortis (*Ex.* 21, 30; *Num.* 35, 31. 32) designat.

In Libris sacris N. T. et in traditione catholica redemptio sensu stricto significat: liberationem hominum a statu peccati, restitutionem in statum filiorum et amicorum Dei, soluto pretio, vitae, passionis et sanguinis Iesu. Valor moralis operum, passionis et mortis Christi, pro peccatis hominum in cruce oblati, est *redemptio obiective, in actu 1° spectata.* Haec redemptio obiectiva distinguitur a redemptione, *in actu 2° spectata*; seu acceptata a Deo ut pretium redemptorium; et distinguitur etiam ab applicatione eiusdem singulis individuis.

3. In parte 2ª thesis vindicamus characterem redemptorium passionis et mortis Iesu Christi seu *existentiam* sic dictae *redemptionis obiectivae.* Cum asserimus a Christo pro hominibus redimendis pretium solutum fuisse, pretium illud non diabolo solvi intelligitur; vita enim Iesu crucifixi Deo Patri offertur ad remissionem peccatorum obtinendam, ad Deum placandum, ad restituendam hominibus iustitiam; per quod *conse-*

quenter homo a servitute peccati liberatur et diabolus omne ius ad homines in inferno torquendos amittit.

4. Characterem redemptorium passionis Christi iidem adversarii negant, qui etiam satisfactorium inficiantur. Redemptio generis humani per Christum est *dogma fidei catholicae*.

PROBATUR THESIS.

Pars II. — Christus homines redemit.

ARG. 1. (EX AUCTORITATE MAGISTERII VIVI).

Clem. VI, (« Unigenitus Dei Filius »). Unigenitus Dei Filius... pretioso sanguine nos redemit, quem in ara crucis innocens immolatus non guttam sanguinis modicam, quae tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse. *DB*. 550.

Decretum pro Iacob., Firmiter credit et profitetur et docet, *neminem* unquam ex viro feminaque conceptum *a diaboli dominatione fuisse liberatum*, nisi per meritum mediatoris Dei et hominum Iesu Christi, qui humani generis hostem, peccata nostra delendo, solus sua morte prostravit. *DB*. 711.

Trident., ses. 6, c. 2. Caelestis Pater Filium suum ad homines misit, ut et Iudaeos, qui sub lege erant redimeret, et *gentes, quae non sectabantur iustitiam, iustitiam apprehenderet*, (Rom. 9, 30) atque omnes adoptionem filiorum reciperent. *DB*. 794.

Paulus IV. In Constitutione « *Cum quorundam* », ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, apostolica auctoritate damnat errores *Socinianorum*, qui asserebant: « Dominum ac Deum nostrum Iesum Christum non subiisse acerbissimam crucis mortem, ut nos a peccatis et aeterna morte redimeret et Patri ad vitam aeternam reconciliaret ». *DB*. 993. Cfr. *DB*. 2195.

Arc. 2. (E. S. Scripturis). *a*) Per Christum redempti sumus a peccato. *Mt.* 20, 28; *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam, redemptionem pro multis.* Cfr. Mc. 10, 45. *Rom.* 3, 24-26; *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiae suae propter remissionem praecedentium delictorum. Ephes.* 1, 7. 8; *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundum divitias gratiae eius.* Cfr. *Colos.* 1, 14; I. *Tim.* 2, 6; *Tit.* 2, 14; *Expectantes adventum Salvatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret sibi populum acceptabilem.* Cfr. *Hebr.* 9, 15. 16. I *Petri* 1, 18. 19; *Scientes, quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis; sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* Cfr. *Apoc.* 5, 8-10.

b) Per Iesum Christum liberati sumus a poena inferni atque a potestate diaboli. *Colos.* 2, 13-16; *Et vos cum mortui essetis in delictis, convificavit cum illo, donans vobis omnia delicta: delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod contrarium erat nobis et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: et expolians principatus et potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. Colos.* 1, 12-14; *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum filii dilectionis suae, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum.* Cfr. *Eph.* 2, 14-17. *Hebr.* 2, 14-16; *Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini et ipse similiter participavit eisdem: ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum: et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.*

ARC. 3. (E DOCTRINA S. PATRUM).

Nota: Liberales Critici contendunt: antiquissimos Apologetas et S. Patres conceptum « redemptionis » vel ignorasse vel crasso modo explicasse. S. *Irenaeus*, vg. accusatur, ac si dumtaxat aliquam « *mysticam* » redemptionem admisisset, quae iam per solam incarnationem et carnis humanae a Verbo assumptionem perfecta est; ita etiam Christus omnia in se « recapitulavit ». *Apologetae*, insuper: *Origenes*, S. *Basilius*, S. *Gregorius Nyss.*, S. *Ambrosius et Hieronymus* perhibentur in eo errasse, quod putarint: pretium ipsi diabolo fuisse solutum, cum Christus principi tenebrarum suam vitam et sanguinem obtulisset, ad genus humanum e iugo diabolico liberandum. Diabolus tamen vehementer deceptus atque delusus est; quia Christus gloriose resurrexit.

Non negamus aliquos textus huius tenoris allegari posse. At, qui contenderet; antiquissimos Patres dumtaxat exclusive ita doctrinam soteriologicam concepisse, is longissime a tramite veritatis aberrasset ([1]). Nam antiquissimi Patres et Scriptores ecclesiastici recte notionem redemptionis a peccato, morte, inferno exponebant et credendam inculcabant.

EPIST. AD DIOGNET., 9, 2-4. Deus... nos odio non habuit, neque reiecit, neque ultus est; sed patienter tulit, sustinuit, miserans ipse peccata nostra suscepit, ipse proprium Filium dedit pretium redemp-

---

([1]) Plura de his habes apud: J. RIVIÈRE, *Le dogme de la rédemption. Essai d'étude historique*, Paris. 1905. IDEM, *Le démon dans l'économie rédemptrice d'après les apologistes et les premiers Alexandrins.* « Bulletin de Litt. eccl. ». Toulouse 1930 pg. 5-20; J. WIRTZ, *Die Lehre von der Apolytrosis, untersucht nach den hl. Schriften und griechischen Schriftestellern bis auf Origenes einchliesslich*, Trier 1906; GALTIER, *La rédemption et les droits du démon dans S. Irénée*, « Rech. de sc. rel », 1911 pg. 1 sq.; IDEM, *Les droits du démon et l'obéissance du Christ*, Ibidem 1912 pg. 345 seq.; 1913 pg. 263 seq.; D'ALÈS. *La doctrine de la récapitulation en S. Irénée*, « Rech. de sc. rel » 1916, pg. 185 seq.; CHAINE, *Le Christ Rédempteur d'après S. Irénée*, Le Puy 1919; BATIFFOL, *L'idée de la rédemption dans le Christianisme primitif*, « La scuola cat. » Milano 1925, pag. 321 seq.

tionis pro nobis, sanctum pro iniquis, mali expertem pro malis, iustum pro iniustis. Quid enim aliud peccata nostra potuit tegere quam illius iustitia? In quo alio iniqui nos et impii iustificari potuimus quam in solo Filio Dei? *RJ.* 99.

S. Ignatii Martyrium, 2, 4. 5. Ignatius ait: Est unus Christus Iesus! Traianus dixit: Illum dicis, qui sub Pontio Pilato crucifixus est? Ignatius respondit: Eum, qui in crucem sustulit peccatum cum eius inventore *et omnem daemoniacam malitiam damnans, subiecit pedibus* eorum, qui ipsum in corde gerunt. *RJ.* 69.

S. Iustinus, *Apol.* II, 6. Filius Christus vocatur. Iesus autem et hominis et Salvatoris nomen et significationem habet; nam et homo factus pro credentibus hominibus et *ad daemonum eversionem.* *RJ.* 130. Cfr. *RJ.* 140.

S. Irenaeus, *Adv. Haer.*, 5, 16, 3. Semetipsum manifestavit Dominus etiam per passionem. Dissolvens enim eam, quae ab initio in ligno facta fuerat, inoboedientiam hominis, *obediens factus est usque ad mortem, mortem autem crucis,* eam quae in ligno facta fuerat inobedientiam, per eam, quae in ligno fuerat obedientiam sanans. *Adv. Haer.* 5, 17, 3 et 4. Beatus homo, (inquit David), cui non imputavit Dominus peccatum, eam, quae per adventum eius est, *remissionem praemonstrans,* per quam *delevit* chirographum debiti nostri et affixit illud cruci, uti quemadmodum per lignum facti sumus debitores Deo, per lignum accipiamus nostri debiti remissionem. Quoniam enim per lignum amisimus illud, per lignum iterum manifestum omnibus factum est, ostendens altitudinem et longitudinem et latitudinem in se; et quemadmodum dixit quidam de senioribus, per extensionem manuum, duos *populos ad unum Deum congregans.* Duae quidem manus, quia et duo populi dispersi in fines terrae. MG. 7, 1168-1172.

Demonstratio Ap. Praed., 2, 2, n. 53, -54, 57, 69, 72. Et redemptor (nominatus est) ex eo, quod redemptionis causa factus est eorum, qui ab eo illo tempore liberati sunt ab omnimodis morbis et a morte illo tempore et illorum, qui post hos crediderunt in eum futurorum, etiam aeternae redemptionis acquisitor. Ergo propter haec *redemptor* (nominatus est). Et vestimentum eius, sicut et pallium (sunt), qui credunt in eum, quos et mundavit, redimens nos per sanguinem suum. Quae igitur Isaias (dicit) haec (sunt): *Vulneribus eius sanati sumus omnes nos,* sicut oves erravimus: homo in via sua erravit et *Dominus tradidit eum in peccata nostra.* Itaque manifestum est, quod voluntate Patris, ut haec in eo essent, accidit propter nostram redemptionem. *Erit pax sepultura eius*; annuntiat, quomodo propter nostram redemptionem mortuus sit, nam in pace est redemptio-

nis et quod huius morte, qui prius inter se hostes et adversarii erant, unanimiter in eum inter se pacem habebunt (1).

Tertullianus, *De fuga in pers.*, 12. Ut redimas hominem tuum nummis, quem sanguine suo redemit Christus, quam indignum Deo et dispositione eius, qui *Filio suo non pepercit* (*Rom.* 8, 32) pro te, ut fieret maledictum pro nobis; quia *maledictus, qui pependit in ligno* (*Dt.* 21, 23) et traditus in mortem, mortem autem crucis, totum hoc, ut nos a peccatis lucraretur. Et Dominus quidem illum (hominem) redemit *ab angelis mundi* tenentibus potestatibus, a spiritalibus nequitiae, a tenebris huius aevi, *a iudicio aeterno a morte perpetua. RJ.* 370.

Clemens Alex., *Quis dives salv.*, 23. Inducit Christum sic loquentem: Ego te liberavi, sanavi, redemi. Pro te cum morte certamen desudavi, ac, cuius reus poenae eras ob patrata delicta Deoque negatam fidem et incredulitatis crimen, ego exsolvi. MG. 9, 628 D.

Origenes, *In Rom. Comment.*, 3, 8. Cum superius (Paulus) dixisset, quod pro omni genere humano redemptionem semetipsum dedisset, ut eos, qui in peccatorum captivitate tenebantur, redimeret. Nunc addit aliquid sublimius et dicit, quia *proposuit eum Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius* (*Rom.* 3, 25); quo scl. per hostiam sui corporis propitium hominibus faceret Deum et per hoc ostenderet iustitiam suam, dum iis remitteret pracedentia delicta, quae pessimis tyrannis serviendo contraxerant eo tempore, quo sustinebat et patiebatur Deus haec fieri. *RJ.* 498. *C. Cels.*, 7, 17. Ac nihil absurdum est: hominem esse mortuum et eius mortem esse non modo exemplum mortis pro pietate obeundae, sed etiam causam, quae incepit et pergit dissolvere malum et diabolum, qui sibi terram universam subiecerat. *RJ.* 533.

Euseb. Caesar., *Demonstr. Evang.*, 4, 12. Non unam causam (mortis Christi), qui vult quaerere, inveniet plures. Primam illam ipsum Verbum docet, ut tam in mortuis quam in vivis dominaretur: alteram, ut nostras abstergeret maculas peccatorum, qui pro nobis sacrificatus et exsecratio factus sit...; ut sic fallaciosae et daemoniacae efficaciae eversionem moliretur. *RJ.* 669.

S. Basilius, *Ep.* 261, 2. Si Domini in carne adventus non fuit, non dedit redemptor pro nobis pretium morti, nec per se ipsum mortis regnum resecuit. Si enim aliud esset, quod mortis imperio subiectum erat, aliud quod assumptum a Domino, non desiisset mors ea, quae sua sunt, operari... non interemisset peccatum in carne. *RJ.* 928.

S. Greg. Nyssen., *Adv. Apollin.*, 17. In illo, qui pro nobis mortuus est et resurrexit, mundum sibi ipsi reconciliavit unigenitus Deus, omnes nos,

---

(1) S. Weber, *S. Irenaei Demonstratio Ap. Praedicationis*, Frib. 1917 pg. 80, 84, 95, 99.

qui communem cum illo habemus carnem et sanguinem, tamquam captivos quosdam redimens per suum sanguinem, qui eiusdem naturae est ac noster. *RJ.* 1052.

S. Ioan. Chrys., *In Ep. ad Gal.*, 2, 8. Cum essemus obnoxii sententiae damnationis, liberavit nos Christus; omnes enim perierant, si non facto, saltem iudicio: et *plagam expectantes liberavit.* Victima ergo pro tota natura oblata est et omnibus salvandis par erat; non autem profuit beneficium nisi solis credentibus. *RJ.* 1201.

S. Ambrosius, *De Ioseph Patr.*, 4, 19. *Peccatis vestris venditi estis.* Et ideo suo sanguine redemit, quos propria peccata vendiderant. Sed venditus Christus conditionis susceptione, non culpae peccati pretio tenetur; qui peccatum ipse non fecit. Pretio igitur nostrum debitum, non sua aera contraxit, chirographum sustulit, feneratorem removit, exuit debitorem: unus exsolvit, quod ab omnibus debebatur. Non licebat nobis exire servitio. Suscepit hoc ille pro nobis, ut servitutem mundi repelleret, libertatem paradisi restitueret, gratiam novam consortii sui honore donaret. Hoc de mysterio. ML. 14, 649 B. Cfr. *In Psal.* 48, n. 14-15. ML. 14, 1160, 1161.

S. Augustinus, *Sermo*, 344, 4. Redemit te a barbaris argentum tuum, redemit te a prima morte pecunia tua, redemit te a secunda morte sanguis Domini tui. Habuit sanguinem ille, unde nos redimeret: et ad hoc accepit sanguinem, ut esset quem pro nobis redimendis effunderet. *RJ.* 1527.

S. Ioan. Damasc., *De Fide Orth.*, 3. 27. Moritur itaque, mortem salutis nostrae causa suscipiens, ac seipsum Patri offerens pro nobis hostiam. In eum enim deliqueramus eumque proinde oportebat redemptionis nostrae pretium accipere, ut ita a condemnatione liberaremur. Absit enim, ut Domini sanguis oblatus tyranno fuerit. MG. 94, 1096. C.

Arg. 4. (E ratione theologica). Per passionem suam et mortem Christus vere genus humanum redemit, si illud tum a servitute peccati tum a debito poenae, peccatis destinatae et a peccatoribus sustinendae, liberavit. *Atqui* Christus per passionem et mortem suam ab utraque specie servitutis genus humanum liberavit. *Ergo* Christus genus humanum redemit.

Ad mai. S. Thomas, q. 48, a. 4. Ad servitutem enim pertinet, quod aliquis patiatur, quod non vult, cum liberi hominis sit uti seipso, ut vult; quia igitur passio Christi fuit sufficiens et superabundans *satisfactio* pro peccato et reatu poenae generis humani, eius passio fuit quasi quoddam *pretium*, per quod

liberati sumus ab utraque obligatione; nam ipsa satisfactio, qua quis satisfacit, sive pro se sive pro alio, pretium quoddam dicitur, quo seipsum vel alium redimit *a peccato et poena*. Christus autem satisfecit, non quidem pecunias dando, aut aliquid huiusmodi, sed dando, quod fuit maximum, seipsum scl. pro nobis et ideo passio Christi dicitur esse nostra redemptio.

Schol. 1. Pro omnibus hominibus mortuus est Christus.

Catholica doctrina est: Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, necnon omnes sincere salvare voluisse passionemque Christi ita a Deo acceptatam fuisse. Universalitatem salutiferae mortis Christi negabant olim *Praedestinatiani, Gottschalk, Lutherani, Calvinistae et Iansenistae.*

Dogma fidei est: Christum mortuum fuisse, *saltem pro omnibus fidelibus,* ut patet ex symbolis fidei: « Qui propter nos homines et propter nostram salutem » etc. Non fuisse mortuum pro solis praedestinatis, sed etiam pro aliis, liquet ex damnatione prop. 5ae Iansenii. *DB.* 1096. Christum autem pro omnibus omnino hominibus, nullo excepto, mortuum esse i. e. omnibus et singulis hominibus conferri vere sufficientia auxilia ad aeternam salutem consequendam; *saltem proximum fidei est,* quin immo communis doctrina catholica.

Plures textus S. Scripturarum sensu obvio sumpti hanc universalem extentionem passionis Christi sat clare proponunt. I. *Ioan.* 2, 2; *Ipse* (Christus) *est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.* II. *Cor.* 5, 14. 15; *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: et pro omnibus mortuus est Christus.* I. *Tim.* 4, 10; *Qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium.* Cfr. I.*Cor.* 15, 21. 22; II. *Petri* 3, 9.

Traditionis patristicae testis S. *Augustinus* esto. Ecce, inquit, Christus passus est, sanguis eius fusus est: ecce redemptor noster, ecce pretium nostrum. Quid emit; dicatur mihi. Quid interrogamus? Codicem (Scripturarum) portas, ibi habes unde emit, ibi quaere, quid emit. Ecce ibi habes:

Convertentur ad Dominum universi fines terrae. Sed haeretici obliti sunt et ideo audiunt omni anno. Putas ibi ponunt aures, quando lector ipsorum dicit: *Convertentur ad Dominum universi fines terrae?* Eia! forte unus versus est? Aliunde cogitabas, cum fratre tuo fabulabaris, quando illud dixit: attende, quia repetit et surdos pulsat: *Et adorabunt in conspectu eius universae patriae gentium.* Adhuc surdus est, non audit, pulsetur iterum: *Quoniam Domini est regnum et ipse dominabitur gentium.* Tres istos versus tenete, fratres. Si est adhuc, quod dicant, nescio: litigent cum Scripturis, non nobiscum. (*Enar. in Ps.*, 21, v. 29, 30. ML. 36, 179).

Theologi catholici, qui universalem extensionem redemptionis et satisfactionis Christi agnoscunt; universalitatem seu sufficientiam passionis ab eius *efficacia* distinguunt. Nam Deus sincere omnium et singulorum hominum vult salutem; serio et abundanter in passione Christi media sufficientia ad salutem omnibus omnino providit; simul tamen voluit, *ut actu* salvarentur omnes, qui mediis praeparatis atque in hunc finem provisis uterentur. Ideoque *efficacia* passionis Christi a bona voluntate hominum pendet. Ad rem *S. Thomas* (*C. Gent.*, 4, 55). « Quamvis sufficienter pro peccatis humani generis sua morte satisfecerit, sunt tamen unicuique remedia propriae salutis quaerenda. Mors enim Christi est quasi quaedam universalis causa salutis, sicut peccatum primi hominis fuit quasi universalis causa damnationis. Oportet autem universalem causam applicari ad unumquodque specialiter, ut effectum universalis causae participet. Effectus igitur peccati primi parentis pervenit ad unumquemque per carnis originem; *effectus* autem *mortis Christi pertingit ad unumquemque per spiritualem regenerationem*, per quam homo Christo quodammodo coniungitur et incorporatur: et ideo oportet, quod unusquisque quaerat regenerari per Christum et alia suscipere, in quibus virtus mortis Christi operatur ».

Schol. 2. De applicatione passionis Christi.

Sicut sol quaedam universalis causa illuminationis nostrae terrae dici potest, quatenus in se virtutem illuminandi omnia corpora habet, dummodo haec soli approximentur eiusque ra-

diis exponantur; ita similiter passio Christi quaedam virtus universalis est, vi cuius omnes homines salvari possunt, dummodo haec ipsis actu communicetur atque applicetur. Quidam effectus redemptionis hominibus *sine eorum cooperatione* applicantur; quidam vero hominum adultorum cooperationem requirunt.

Sine cooperatione hominum Deus universo generi humano iam est placatus, propitius, *paratus ad dandas* omnibus gratias sufficientes; sine eorum cooperatione ecclesiam et sacramenta instituit, quorum ope virtus redemptoria passionis Christi singulis actu applicari potest.

Ut adulti effectuum redemptionis participes fiant, libera cooperatio exigitur ab eis. Praeprimis fides, sed *non sola*, ut volunt Protestantes; Christus enim inquit: *Mc.* 16, 16; *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* I. *Petri* 1, 10; *Quapropter, fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.*

Profunde et succinte S. *Thomas*, 3 P., 49, a. 1 ad 3. « Christus sua passione nos a peccatis liberavit causaliter, i. e. instituens causam nostrae liberationis, ex qua *possent* quaecumque peccata quandocumque remitti, vel praeterita vel praesentia, vel futura: sicut medicus faciat medicinam, ex qua possint quicumque morbi sanari, etiam in futurum ». Haec vero medicina, ut effectum exerat, ab homine sumi seu applicari debet; quod si homo omittit, medicinae virtus non minuitur, immerito tamen voluntas Dei salvifica accusatur.

Schol. 3. Satisfactio Christi erat condigna, superabundans, infinita.

Satisfactio, ut iam innuimus, considerari potest aut in actu 1° aut in actu 2°. Si opera Christi, quae pro nostra cum Deo reconciliatione ordinare dignatus est, in se, obiective considerantur, satisfactionem *in actu 1°* constituunt. Si eadem opera ut a Deo acceptata spectantur, satisfactio *in actu 2°*

dicuntur. In hoc scholio de valore morali satisfactorio in actu 1° omnium operum Christi agimus. Porro valor moralis, satisfactorius operum Christi (prout ab entitate *physica* actuum distinguitur) in illa operum *aestimabilitate* consistit, quae provenit ex dignitate personae, cui actus tribuuntur. Quo maior dignitas personae eo maior valor moralis actuum, quantumvis minimorum. De valore igitur morali operum Christi in ordine ad satisfactionem praestandam asserimus: illum, independenter a divina acceptatione, (seu in actu 1°), condignum, superabundantem, immo infinitum esse.

1° Satisfactio censetur condigna, si tantum habet valorem in compensando, quantum peccatum habet in offendendo. Iam vero S. Scripturae docent: opera satisfactoria Christi *pretium adaequatum* nostrae redemptionis esse. Rursus pretium adaequatum, eo quod adaequatum est, aequat debitum et in huiusmodi aequalitate reponitur *condignitas* satisfactionis. *I. Cor.* 6, 20. *Empti estis pretio magno. Ibid.* 7, 23; *Pretio empti estis.* Graecum τιμή ex communi usu significat valorem adaequatum rei emptae. Cfr. *I Petri* 1, 18. 19. Praeterea, secundum S. Paulum (*Hebr.* 1, 1-20) sacrificium Christi id potest, quod sacrificia Veteris Testamenti non valebant. *Atqui* sacrificia Veteris Foederis absque acceptatione divina non valebant impetrare remissionem peccatorum. *Ergo* id valet sacrificium Christi iam ante acceptationem divinam seu habet valorem satisfactorium condignum.

2. Satisfactio Christi in actu 1° non solum condigna, verum etiam superabundans est, excedens scl. offensam peccati. Etenim secundum S. Paulum in satisfactione Christi maior est vis atque efficacia ad salvandum, quam in peccato Adami ad perdendum: maiorque nobis gratia concessa est ob mortem et passionem Christi, quam perdidimus ob peccatum Adae. (*Rom.* 5, 15-21). Insuper mors Christi multo firmior est sponsio nostrae salutis quam fuisset oboedientia Adami. (*Ioan.* 10, 10; *Ephes.* 1, 7-13). Ratio theologica idem evincit. Satisfactio vi sui, intrinsece est superabundans, si ex se exhibet offenso aliquid, quod ipsi magis placet quam displicuit offensa. *Atqui* satisfactio

Christi ex sese exhibet aliquid, quod Deo magis placet, quam displicuit offensa. *Ergo* satisfactio Christi, in actu 1° spectata, est superabundans.

3. Satisfactio Christi est valoris infiniti. Actus humanos Christi *entitative* spectatos non esse infinitos, evidens est. Quia tamen principium *quod* operationum humanarum divina hypostasis erat, ideo operationes humanae Christi summopere dignificabantur; quin immo operationes hae valorem moralem et dignitatem moralem infinitam habebant. Valor enim moralis actionis alicuius praesertim ex dignitate suppositi, *quod* operatur, desumitur. Quo maior dignitas personae operantis eo maior valor moralis ipsius operationis. Iam vero dignitas moralis personae Christi est simpliciter infinita. *Ergo* et valor operationum humanarum Christi simpliciter infinitus est.

Dices: sicut maiestas divina offensa per actionem finitam peccatoris non efficit peccatum simpliciter infinitum; ita infinita dignitas personae Verbi non potest dare infinitum valorem operationibus humanis, entitative finitis.

Respondeo, negando paritatem. Dignitas maiestatis divinae a peccatore offensae influit in malitiam actus *per modum obiecti*, dum Verbum influit in operationes humanas Christi per modum formae physicae. Homo peccans cognoscit maiestatem divinam modo finito, ideo peccatum habet malitiam non simpliciter infinitam, sed infinitam secundum quid. Dignitas autem personae operantis non influit in operationem ipsius dumtaxat per modum obiecti cogniti, sed per modum formae operantis. Ideo peccatum alicuius hominis aut aliquis actus virtutis theologicae non est actus infinitus, vel divinus; humani autem actus Christi, *utpote actus personae divinae*, vere et proprie operantis per naturam humanam, vere elicientis actus humanos per facultates et potentias humanas; dici debent et sunt actus vere et proprie divini. *Deus* patitur, moritur pro nobis in natura humana; adeoque actus humani Christi valore morali infinito sunt praediti.

Cap. 2. — De Merito Christi.

Thes. 19. — Christus sibi gloriam corporis et exaltationem nominis; generi autem humano omnes gratias ordinis supernaturalis meruit.

S. Th., q. 19, a. 3. 4; q. 48, a. 1; q. 49, a. 6; Suarez, Disp. 39, sect.1-3; Disp. 40, sect. 1-3; Disp. 41, sect. 1-4; Janssens, *Soteriologia*, q. 48, a. 1, pg. 757 seq.; q. 49, a. 6, pg. 802 seq.; Muncunill, Disp. 17, a. 1-3, pg. 466 seq.; Pesch, th. 36; Billot, th. 51-52; Otten, th. 36; Galtier, th. 31; Hugon, q. 11, a. 5, pg. 609 seq.; q. 15, a. 1, pg. 669 seq.; A. Michel, *Le mérite du Christ*, DTC. 8, 1325 seq.

Status quaestionis.

1. Hucusque valorem satisfactorium et redemptorium operis Christi perpendimus; in thesi, quae sequitur, eiusdem operis soteriologici valorem meritorium considerabimus. Quid meritum? Meritum *est ius aut titulus ad retributionem* bonorum supernaturalium seu est opus retributione et praemio supernaturali dignum. Meritum *abstracte* est valor moralis operis, vi cuius alicui retributio debetur; *concrete* meritum est aliquod opus tali valore vestitum. Si remuneratio debetur ex iustitia, meritum est *de condigno;* si ex decentia et quadam convenientia meritum est *de congruo.*

Satisfactio *formaliter* differt a merito; nam satisfactio iniuriam illatam atque creditorem, cui debitum est solvendum, supponit; tendit vero ad debitum reddendum et ad reconciliationem cum offenso obtinendam. Meritum offensam non supponit: tendit autem ad praemium acquirendum. Per opus ergo meritorium alter debitor constituitur et ad dandum praemium obligatur. *Materialiter* meritum et satisfactio non necessario differunt; quoniam eadem actio satisfactoria et meritoria esse potest; quatenus et iniuriam illatam compensat et simul digna est aliqua retributione.

2. Quaeritur in thesi: utrum et quid Christus *sibi*, quidve *aliis* meruerit per suam vitam, passionem et mortem. Omnes,

qui satisfactorium characterem passionis Christi admittunt; simul etiam contendunt: eandem meritoriam quoque fuisse. Affirmamus duo in thesi: *a*) Christum sibi gloriam corporis et nominis exaltationem (*pars I*ª); *b*) nobis autem omnes gratias ordinis supernaturalis meruisse (*pars II*ª). Anima Christi, in quantum visione intuitiva Dei fruebatur, essentialem beatitudinem possidebat; sed eadem anima Christi adhuc passibilis, passibile et mortale corpus informabat. Accidentali ergo beatitudine carebat. Hanc Christus sibi promeruit i. e. *impassibilitatem animae et gloriam corporis*. Gloria corporis formaliter consistit in eiusdem impassibilitate, claritate, agilitate, subtilitate. *Exaltatio nominis Christi* complectitur ea omnia, e quibus Christo specialis honor accrescit; ut puta: agnitio eius divinitatis, diffusio ecclesiae, tributum laudis et amoris, sessio ad dextram Patris.

3. *Calvinus* docuit: amorem Christi erga homines tam intensum fuisse, ut sibi nihil quaereret, et sibi nihil mereretur. Attamen *fide certum* est: Christum sibi accidentalem gloriam meruisse; nostram iustificationem, salutem, gratias ordinis supernaturalis ex merito Christi esse, *dogma est fidei definitum*.

Probatur thesis.

Pars I. — Christus meruit sibi gloriam accidentalem nominisque exaltationem.

Arg. 1. (E S. Scripturis). Christus ipse declarat discipulis suis redivivus: passionem atque mortem suae gloriae causam esse. *Lc.* 24, 26; *Nonne haec oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam?* Ante passionem in coenaculo petiit a Patre manifestationem gloriae suae. *Ioan.* 17, 4-5; *Ego te clarificavi super terram; opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te.*

S. Paulus testatur: Deum Patrem id Christo concessisse: *Phil.* 2, 8-12; *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad*

mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Hebr. 2, 9; *Eum autem qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis, gloria et honore coronatum.*

Arg. 2. (E ratione theologica). Christo homini tribuenda est omnis perfectio, quam alii homines possident, quaeque perfectioni eius gratiae non derogat. *Atqui* possibilitas merendi perfectio est; quin immo perfectius est: sibi gloriam accidentalem nominisque exaltationem mereri, quam illam e pura liberalitate divina accipere; rursus, meritum gloriae accidentalis et externae perfectioni gratiae Christi minime derogat. *Ergo* Christus tum gloriam accidentalem tum nominis sui exaltationem per crucem sibi meruit.

Ad mai. Principium in maiori enuntiatum, aliis verbis, implicite proponitur a S. Paulo in Ep. ad *Colos.* 1, 18-20; *Et ipse est caput corporis ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum tenens. Quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare.*

Prob. min. S. Th., 19, a. 3. « Habere aliquod donum *per se* est nobilius quam habere illud *per aliud*; semper enim causa, quae est per se, potior est ea, quae est per aliud: hoc autem dicitur aliquis habere per seipsum, cuius est sibi aliquomodo causa; prima autem causa omnium bonorum nostrorum per auctoritatem est Deus: et per hunc modum nulla creatura habet aliquid boni per seipsam. Potest tamen secundario aliquis esse causa sibi alicuius boni habendi, in quantum scl. in hoc ipso Deo cooperatur: et sic ille, *qui habet aliquid per meritum proprium, habet quodammodo illud per seipsum;* unde nobilius habetur id, quod habetur per meritum, quam id quod habetur sine merito; quia autem *omnis perfectio et nobilitas Christo est attribuenda*, consequens est, quod ipse per meritum habuerit illud, quod alii per meritum habent: nisi

sit tale quid, cuius carentia magis dignitati Christi et perfectioni praeiudicet, quam per meritum accrescat: unde nec gratiam, nec scientiam, nec beatitudinem animae, nec divinitatem meruit: quia cum meritum non sit, nisi eius quod nondum habetur, oporteret, quod Christus aliquando istis caruisset; quibus carere magis diminuit dignitatem Christi, quam auget meritum: sed gloria corporis vel si quid aliud huiusmodi est, minus est, quam dignitas merendi, quae pertinet ad virtutem charitatis: et ideo dicendum est, quod Christus *gloriam corporis et ea, quae pertinent ad exteriorem eius excellentiam, sicut est ascensio, veneratio et alia huiusmodi,* habuit per meritum ».

Pars II. — Christus meruit nobis omnes gratias ordinis supernaturalis.

Arg. 1. (E doctrina conciliorum). Salus et liberatio a dominatione daemonis contingit nobis per meritum Christi. *Decret. pro. Iacob,* Neminem umquam ex viro feminaque conceptum a diaboli dominatione fuisse liberatum, nisi per meritum mediatoris Dei et hominum Iesu Christi. *DB.* 711. Peccatum originale remittitur per meritum Christi. *Trid.* ses. 5, c. 3. Si quis hoc Adae peccatum, quod... omnibus inest unicuique proprium, vel per humanae naturae vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini N. Iesu Christi, A. S. *DB.* 790.

Iustificationis nostrae adeoque remissionis peccatorum, infusionis gratiae et donorum *causa meritoria* est item Iesus Christus. *Trid.* ses. 6, c. 7. Causa meritoria autem (iustificationis est) dilectissimus Unigenitus suus, Dominus N. Iesus Christus qui... sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit. *DB.* 799. *Can.* 10. Si quis dixerit, homines sine Christi iustitia, *per quam nobis meruit,* iustificari A. S. *DB.* 820.

Arg. 2. (E S. Scripturis). *a*) Docente S. Paulo, passio et mors Christi inverso ordine se habet ad iustificationem atque peccatum Adami ad amissionem iustitiae supernaturalis. *Iam vero* iustitiam amisimus *per demeritum Adae. Ergo* iustitiam acquisivimus per meritum Christi.

Ad mai. Rom. 5, 17-20; *Si enim unius delicto mors regnavit per unum; multo magis abundantiam gratiae et donationis et iustitiae accipientes, in vita regnabunt per Iesum Christum. Igitur per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae. Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita per unius obeditionem, iusti constituentur multi.*

b) Christus meruit nobis omnes gratias ordinis supernaturalis, si intuitu mortis et passionis eius, ob et per hanc, omnia dona supernaturalia Deus nobis largitur. *Atqui* testantibus S. Litteris, intuitu passionis et mortis Christi, ob et per hanc, omnia dona supernaturalia Deus nobis largitur. *Ergo* Christus meruit nobis omnes gratias ordinis supernaturalis.

Prob. min. Ephes. 1, 3-8; *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in charitate. Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum... In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundum divitias gratiae eius, quae superabundavit in nobis.* Cfr. *Rom.* 3, 24. *Phil.* 1, 28-29: *In nullo terreamini ab adversariis: quae illis est causa perditionis, vobis autem salutis et hoc a Deo: quia vobis donatum est pro Christo,* τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ, *non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.* 2 *Tim.* 1, 9-11: *Qui nos liberavit et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam, quae data est nobis in Christo Iesu..., qui destruxit mortem, illuminavit autem vitam.* Cfr. *Hebr.* 5, 8.

Arg. 3. (E ratione theologica). Christus per passionem et mortem meruit nobis gratias supernaturales vitamque aeternam, si, qua caput corporis mystici, una cum hominibus unam personam moralem constituebat. *Atqui* Iesus Christus, qua caput corporis mystici, una cum hominibus unam personam moralem constituit. *Ergo* Christus per passionem et mortem meruit nobis gratias supernaturales vitamque aeternam.

Ad mai. Homo iustus meretur per suas operationes ex caritate elicitas. Iamvero in Christo Iesu iustitia, gratia, caritas perfectissimae inerant. Ergo Christus per suas operationes et praesertim per passionem, quam ex intensissima caritate Dei et hominum subiit, perfectissime merebatur.

Ad min. S. Th., q. 48, a. 1. « Christo data est gratia, non solum sicut singulari personae, sed in quantum est caput ecclesiae: ut scl. ab ipso redundaret in membra: et ideo opera Christi hoc modo se habent tam ad se, quam ad sua membra, sicut se habent opera alterius hominis in gratia constituti ad ipsum; manifestum est autem, quod quicumque in gratia constitutus propter iustitiam patitur, ex hoc ipso meretur sibi salutem secundum illud *Matth.* 5, *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam;* unde Christus per suam passionem non solum sibi, sed etiam omnibus membris suis meruit salutem ».

Schol. 1. De principio subiectivo meriti in Christo.

1. Obiectum meriti in Christo positive satis iam in thesi determinavimus. *Sibi* meruit Christus: impassibilitatem animae, gloriam corporis et nominis exaltationem. *Nobis* promeruit: salutem aeternam, iustitiam omniaque dona supernaturalia. Negative innuimus (pg. 259, 260); quid Christus sibi non meruerit. Inprimis gratis, sine ullis meritis, *gratiam unionis* a Deo obtinuit. Cum insuper gratia habitualis omnis actus meritorii principium sit et principium meriti sub merito non cadat, evidens est: *habitualem gratiam* quoque gratis Christo collatam fuisse. Nec *visionem beatificam* Christus sibi me-

ruit; nam quod per meritum obtinetur, aliquando nondum habetur. Iamvero visione beatifica Christus a primo instanti vitae terrestris et indesinenter fruebatur. Ergo visionem Christus non meruit.

2. Si quaeris, quando et per quales actus Christus meruerit; respondent Theologi communiter: Christum a primo momento incarnationis, per totum decursum vitae terrestris; sine ulla intermissione, usque ad mortem meruisse et quidem per omnem actum entitative supernaturalem. Etsi quoad haec Theologi unanimiter conveniant, non una tamen est illorum sententia, cum de principio subiectivo meriti in Christo disserunt. Si unum alterumve excipies (*Vasquez*, Disp. 74, cc. 2 et 3), fere omnes huic quidem thesi subscribunt: nempe, *caritatem Dei principium esse meriti supernaturalis*, sicut in aliis hominibus ita pariter in Christo. Quomodo autem caritas Dei in Christo principium meriti esse potuerit, non omnes eadem ratione explicant. Communis, ab omnibus solvenda difficultas haud exigua est. Nam, si caritas Dei etiam in Christo principium meriti fuit, si caritas Dei e cognitione Dei intuitiva procedens, necessaria est; quomodo Christus, Deum intuitive videns, per caritatem Dei mereri potuit?

3. Schell cum Guentherianis problema solvere studuit, negando visionem beatificam. P. Vasquez (Disp. 74, c. 3) potius nodum quaestionis abrumpit, quam solvit; quia concedit: Christum *per caritatem Dei nihil meruisse*, sed merita acquisivisse per actus caritatis proximi aliarumque virtutum, praeter et extra caritatem Dei, quae in Christo necessaria erat, adeoque principium meriti esse non potuit. *Scotistae*, ut puta: Ioannes de Rada (Controv., 12, a. 1, concl. 2), Mastrius (Disp. 3, q. 10, a. 2), docent: Christum per ipsum amorem Dei beatificum meruisse, quia *amor beatificus*, iuxta hos et multos alios Scotistas, *non est physice necessarius*; ideoque Christus, Deum libere amando, meruit. Alii Scotistae putant: Christum potius per miraculum et speciale divinum privilegium meruisse. Cfr. *Hieronymum de Montefortino*, In 3. P., q. 49, a. 6 ad 2.

In castris Thomisticis O. Pr. praevalet explicatio propugnata ab Alvarez (In 3. P., Disp. 45) et Gonet (Disp. 21, a. 2, n. 49), qui affirmant: Christum meruisse formaliter per actum caritatis beatificae, secundum quod hic terminatur immediate ad ipsum Deum. Bonitas autem divina per actum dilectionis beatificae ab anima Christi dupliciter attingi potuit: 1° *secundum se et absolute* et secundum hanc rationem anima Christi per amorem beatificum necessario diligebat Deum; 2° bonitas divina attingi potuit *secundum quod* in actuali exercitio *erat ratio formalis diligendi creaturas* et sub hac idemmet actus dilectionis beatificae erat liber. Salmanticenses (Disp. 27, Dub. 3, sect. 4, n. 53) distinguunt in Christo *duplicem actum amoris divini*, visione beatifica regulatum: alterum scl. entitative et terminative *necessarium*, cuius terminus est ipse Deus, in se consideratus; alterum vero entitative et terminative *liberum*, cuius terminus est Deus, tamquam finis ultimus rerum et ratio illas amandi.

P. Suarez (Disp. 39, sect. 2), Greg. de Valentia (3. P., q. 19, Punct. 2), Pesch (th. 36, n. 458), Otten (th. 36, n. 452), duos similiter distinguunt actus amoris in Christo, sed ob diversam rationem. *Amor* Dei, qui in Christo *ex visione beata* oriebatur; necessarius erat; ideoque hic actus amoris non potuit esse principium meriti. Alter actus amoris divini in anima Christi *scientia infusa regulabatur;* hic prorsus liber erat (1). Multitudo et varietas opinionum arduitatem huius quaestionis ostendit, quae tamen consequenter ad principia admissa de merito supernaturali solvi debet.

Schol. 2. Christus viator et comprehensor.

Cum ex dictis de passibilitate (pg. 319-324) atque cruenta passione, necnon de merito Filii Dei constet: Christum revera sibi et aliis meruisse; eo ipso etiam constat: Christum viatorem fuisse. Nam viator dicitur, qui actibus meritoriis ad Deum

(1) Plura si vis, Cfr. apud Szabo, *Scientia Beata*, Op. Cit., pg. 104 seq.

finem ultimum tendit. At in thesi 14ª probavimus: Christum, utpote visione beatifica praeditum, simul in termino fuisse, Deum ab initio itineris terrestris possedisse. Quomodo ergo, cum comprehensor fuisset, simul viator erat?

Respondemus: nullam hic *contradictionem*, sed mysterium adesse; sub alio enim respectu viator, sub alio comprehensor erat.

Comprehensor erat Christus, quatenus per visionem beatificam *essentiali* beatitudine fruebatur; *viator* autem erat, quatenus quibusdam bonis, quae ad *accidentalem* beatitudinem pertinent, privabatur. Perfecta et plena beatitudo, (essentialis et accidentalis), non solum in visione et fruitione spirituali consistit, sed insuper totum hominem i. e. totam animam et totum corpus impassibile et gloriosum reddit. Christi anima Deum quidem intuitive videbat eoque fruebatur, i. e. beatitudinem essentialem possidebat: sed simul eadem anima, prout corpus passibile informabat, patiebatur et per passionem merebatur; proindeque accidentali beatitudine carebat.

Duplicem hunc statum (comprehensoris et viatoris) repugnare, nemo ostendet umquam. Nam Deum intuitive videbat eoque fruebatur anima Christi, *prout est substantia spiritualis*, quae intrinsecus in quibusdam suis operationibus a materia non dependet. Visione ergo intuitiva frui potest anima, etiam corpus informans, dummodo a lumine gloriae elevetur ad Deum videndum.

Connaturaliter quidem essentialis beatitudo in partem sensitivam animae et in appetitum sensitivum atque in corpus redundat; illudque impassibile reddere deberet. Sed hoc in Christo non obtinuisse; ex positiva revelatione constat; *qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta*. (*Hebr.* 12, 2). *Virtute* autem divina *Verbi* illa *reduntia visionis beatae cohiberi potuit;* nam eius voluntati subiectus est ordo naturae, « unde poterat hoc contingere, ut non fieret praedicta redundantia sive ex anima in corpus vel e converso, sive ex superioribus viribus in inferiores vel e converso. Sic ergo patet quod, cum in ratione esset summum gaudium, inquantum per eius opera-

tionem anima Deo fruebatur, ipsum gaudium in superiori ratione persistebat et non derivabatur ad inferiores vires animae, nec ad corpus; alias nullus dolor nec passio in eo esse potuisset. Et sic effectus fruitionis non pervenit ad essentiam animae, *in quantum est forma corporis,* nec in quantum est radix inferiorum virium ». S. *Thomas,* De Verit., q. 26, a. 10.

Vicissim, ob eandem rationem dolor et passio corporalis, tristitia et timor non potuerunt disturbare et impedire beatitudinem essentialem. Quoniam « *dolor,* pergit Angelicus, qui erat ex laesione corporis in ipso et essentia animae in quantum est forma corporis in inferioribus viribus, *non poterat pervenire ad superiorem rationem,* secundum quod per actum suum in Deum convertitur ». (*Ibidem*). Patiebatur ergo Christus secundum totam suam animam, ut anima est essentia quaedam, *non* vero *secundum omnes suas potentias;* quia in ratione *simpliciter* superiori, qua Deum clare videbat eoque fruebatur, nullus dolor adesse poterat, nec ex parte obiecti, ut patet; quia in Deo clare viso nullum malum apprehendi potest; nec ex parte subiecti seu potentiae, quia ratio ista simpliciter superior operatur sine corporis organo. Secundum partem inferiorem, cum anima consideratur *ut actus corporis,* in omnibus potentiis intellectivis, sensitivis et pure corporalibus patiebatur anima Christi.

Concludimus ergo cum S. *Thoma,* quod, « quamvis status viatoris et comprehensoris sint quasi contrarii, tamen in Christo simul inesse poterant, non secundum idem, sed secundum diversa. Nam *status comprehensoris inerat* ei secundum quod per fruitionem adhaerebat Deo secundum superiorem rationem; *status* vero *viatoris* secundum quod naturali coniunctione anima corpori passibili iungebatur et superior ratio ipsi animae; ut sic status comprehensoris pertineat ad actum rationis superioris; status vero viatoris ad corpus passibile et ad ea, quae ad hoc consequuntur ». (*De Verit.*, 26, a. 10 ad 15). Utique hoc fuit in Christo prorsus singulare, nam virtus divina Verbi ita disponebat, ut nec dolor corporis contemplationem mentis impediret, nec fruitio mentis dolorem corporis minueret.

Cap. 3. — De sacrificio Christi in cruce.

Thes. 20. — Christus, Novae Legis sacerdos, verum sacrificium in cruce obtulit.

S. Th., q. 22, a. 1-6; q. 48, a. 3; q. 63, a. 5; Suarez, Disp. 46, Sect. 1-4; Franzelin, th. 48-50; Janssens, q. 48, a. 3, pag. 768 seq.; Muncunill, Disp. 18, a. 2, pag. 500 seq.; Pesch, th. 42-43; Otten, th. 37; Galtier, th. 37-38; Hugon, q. 12, a 3, pag. 621; q. 15, a. 2, pag. 677 seq.; I. Grimal, *Le sacerdoce et le sacrifice de N. S. Jésus-Christ*, Paris 1908; Zanecchia O. P., *Il sacrifizio redentivo a Gerusalemme*, Roma 1913; C. Pell, *Opfercharakter des Erlösungswerkes*, Regensburg 1915.

Status Quaestionis.

Passio Christi non solum opus satisfactorium, redemptorium et meritorium erat; nam Salvator mundi in cruce moriens, seipsum ut veram hostiam atque victimam, Deo Patri obtulit. De hoc igitur charactere *sacerdotali* Christi hominis et *sacrificali* passionis eius in hac thesi agemus, duo asserendo: *a*) Christus est verus sacerdos Novae Legis (*pars I*ª); *b*) qui seipsum Deo in cruce ut victimam obtulit (*pars II*ª).

Explicatur Pars Iª.

1. *Quid sacerdos?* Sacerdos est ille, qui a legitima potestate deputatus et consecratus est, ut sit mediator inter Deum et hominem, tradendo sacra et sacrificium offerendo. Cum sacerdos non nomine proprio tantum sed qua deputatus et persona publica agat, a legitima potestate deputari debet. *Deputatur* vero in oeconomia Novi Foederis per consecrationem sacerdotalem in sacra ordinatione. Duo igitur elementa dignitas sacerdotalis includit: *a*) auctoritativam *designationem*, vi cuius aliquis ad munus mediatoris inter Deum et homines destinatur atque dedicatur; *b*) *potestatem*, quae in unctione sacerdotali divinitus datur, ad sacrificium Deo offerendum.

Sacer-dos; est sacer, sacratus, consecratus; et dat sacra

hominibus. Porro res sacrae sunt, vel quia a Deo descendunt, vel quia ad Deum diriguntur. Sacerdotis est dare sacra: quatenus hominibus praebet dona, quae a Deo descendunt et Deo offert, quae ab hominibus Creatori referri debent. *A Deo* descendit doctrina sacra, revelatio et gratia supernaturalis. Sacerdos dat sacra; communicando fidelibus doctrinam revelatam, docendo sub ductu magisterii vivi: administrando sacramenta, quae rite suscipientibus confuerunt gratiam. *Deo offert*, nomine ecclesiae litando. Praecipua functio sacerdotalis est oblatio sacrificii. Cum igitur sacerdos tradat res Dei hominibus et hominum sacrificia offerat Deo, vi sui muneris *mediator* est Dei et hominum.

2. *Asserimus* in 1ª parte Christum, ut hic homo est, verum sacerdotem Novae Legis esse. Huic parti adversantur praeprimis Sociniani, qui docebant: Christum *non in terris*, non ante resurrectionem et in caelos ascensionem sacerdotem fuisse. Modernistae pariter, qui sacrificalem characterem passionis et mortis Christi negant, dignitatem eius sacerdotalem pariter inficiantur.

Si de causa et ratione formalissima, per quam Christus, ut hic homo, sacerdos constitutus est, quaeris: reperies: *Salmanticenses*, vg. (Disp. 31, Dub. 1, § 4, n. 16) rationem formalem sacerdotii Christi in gratia habituali, creata collocavisse. Putarunt enim potestatem sacerdotalem Christo communicari cum gratia et per gratiam, quae ei conveniebat qua capiti corporis mystici. Probabilius tamen ratio et causa formalis, qua Christus sacerdos constitutus est, gratia unionis fuit. Sacerdos enim essentialiter est *mediator* inter Deum et homines. Christus proinde sacerdos constituitur per eandem gratiam, vi cuius est mediator. Iam vero Christus per prius et formaliter mediator constituitur vi gratiae unionis. Ergo per gratiam unionis essentialiter constituitur sacerdos [1].

3. Iesum Christum sacerdotem esse, *definitum est*.

---

[1] Cfr. Garrigou-Lagrange O. P., *Sacerdoce du Christ*, « La Vie Spir. » 1926 (14) pg. 484 seq.; E. Hugon O. P., *De Formali Constitutivo Sacerdotii Christi*, « Angelicum » 1926 pg. 462 seq.

PROBATUR THESIS.

Pars I. — Christus est Novae Legis sacerdos.

ARG. 1. (E. DEFINITIONIBUS). *Ephesin. Can. 10. Pontificem et Apostolum confessionis nostrae* (*Hebr.* 3, 1) factum esse Christum, divina Scriptura commemorat. *Obtulit* autem *semetipsum pro nobis in odorem suavitatis Deo* (*Ephes.* 5, 2) et Patri. Si quis ergo Pontificem et Apostolum nostrum dicit factum non ipsum Dei Verbum, quando *caro factum est* (*Ioan.* 1, 14). A. S. *DB.* 122.

Trid. Ses. 22, c. 1. Quoniam sub priori Testamento (teste Ap. Paulo), propter Levitici sacerdotii imbecillitatem consummatio non erat, oportuit (Deo Patre misericordiarum ita ordinante), sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere, Dominum nostrum Iesum Christum, qui posset omnes, quotquot *sanctificandi* essent, *consummare* (*Hebr.* 10, 14) et ad perfectum adducere. *DB.* 938. Cfr. 2195.

ARG. 2. (E. S. SCRIPTURIS). 1. Psalmista (*Ps.* 109, 4) praedicit Messiam sacerdotem fore. *Iuravit Dominus et non poenitebit eum: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Atqui prophetia Psalmistae in Christo verificata est: *Mt.* 22, 44; *Act.* 2, 34; *Hebr.* 1, 13; 5, 6; 10, 13. *Ergo* Christus est verus sacerdos.

2. S. Paulus frequenter *a*) asserit: Christum sacerdotem esse. *Hebr.* 3, 1; *Considerate Apostolum et Pontificem confessionis nostrae Iesum. Hebr.* 4, 14. 15; *Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit caelos, Iesum filium Dei: teneamus confessionem. Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris. b*) Paulus demonstrat superioritatem sacerdotalis dignitatis Christi prae sacerdotio Aāronitico; nam Christus vocatus est a Deo ad sacerdotium novi ordinis scl. Melchisedech. *Cap.* 5. v. 5 et 6; *Sic Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quem-*

admodum et in alio loco dicit: Tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech. Cfr. *Hebr.* 5, 10; 6, 20; 7, 11-20. Per iusiurandum et aeternum sacerdotium contulit Deus filio suo; ergo prorsus novum sacerdotium. *Cap.* 7, 20-25; *Et quantum est non sine iureiurando (alii quidem sine iureiurando sacerdotes facti sunt; hic autem cum iure iurando per eum, qui dixit ad illum: Iuravit Dominus et non poenitebit eum: tu es sacerdos in aeternum:) in tantum melioris testamenti sponsor factus est Iesus. Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium.* Cfr. 7, 28 (1).

Arg. 3. (E doctrina S. Patrum).

S. Polycarpus, *Ep. ad Phil.*, 12, 2. Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi et ipse sempiternus pontifex, Dei Filius Iesus Christus, aedificet vos in fide. *RJ.* 76.

S. Athanasius, *Or. 2. c. Arian.* 7. Ipse quoque Dominus *in principio* quidem *erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum* (*Ioan.* 1, 1): cum autem voluit Pater, ut pretium pro omnibus redimendis solveretur et gratia in omnes conferretur, tunc Verbum carnem, ut Aaron poderem, accepit e terra et Mariam, rudis instar terrae, corporis sui matrem habuit, ut quid ad offerendum, tamquam pontifex, habens, seipsum offerret Patri omniumque peccata proprio ablueret sanguine. MG. 26, 162 B.

S. Greg. Naz., *Orat.* 38, 16. Videbis Iesum in crucem tolli et peccatum meum secum crucifigentem, ut agnum offerri et ut sacerdotem offerre, ut hominem sepeliri et ut Deum resurgere. *RJ.* 1007.

S. Greg. Nys., *In Christi Resur.*, 1. Qui potestate sua cuncta disponit..., consilio suo antevertit et arcano sacrificii genere, quod ab hominibus cerni non poterat, seipsum pro nobis hostiam offert et victimam immolat, sacerdos simul existens et agnus Dei. *RJ.* 1063.

S. Ioan. Chrys., *In Ep. ad Hebr.*, 17, 2. Sic et Christus semel oblatus est. A quo oblatus? A seipso. Hic (S. Paulus) non solum eum dicit sacerdotem, sed et hostiam et sacrificium. Deinde causam affert, cur sit oblatus: *semel*, inquit, *oblatus ad multorum exhaurienda peccata. RJ.* 1221.

---

(1) Fr. Prat, *La théologie de Saint Paul, Paris.* 1927[16] I. p. 445-452; I. Vosté O. P., *Studia Paulina,* Romae 1928 p. 104-134.

S. Ambrosius, *De Fide*, 3, 11, 87. Sacerdos enim aliquid debet offerre et secundum legem in sancta intrare per sanguinem: ergo, quia sanguinem taurorum hircorumque repudiaverat Deus, hunc utique sacerdotem per suum sanguinem, sicut legisti, in sancta sanctorum caeli summa penetrantem oportebat intrare, ut aeterna nostrorum esset oblatio peccatorum. Idem ergo sacerdos, idem hostia et sacerdotium tamen et sacrificium humanae condicionis officium est; nam et agnus ad immolandum ductus est et sacerdos secundum ordinem Melchisedech. *RJ.* 1268.

S. Augustinus, *Confes.*, 10, 43, 69. In quantum enim homo, in tantum mediator. In quantum nos amasti, Pater bone! *qui Filio tuo unico non pepercisti*, sed pro nobis impiis tradidisti eum... Pro nobis tibi victor et victima et ideo victor, quia victima; pro nobis tibi sacerdos et sacrificium et ideo sacerdos, quia sacrificium, faciens tibi nos de servis filios, de te nascendo, tibi serviendo. *RJ.* 1595. *De Cons. Evang.*, 1, 3, 6. Secundum hominem Christus et rex et sacerdos effectus est, cui dedit Deus sedem David patris sui, et ut regni eius non esset finis et esset ad interpellandum pro nobis, *RJ.* 1608.

S. Cyril. Alex., *Adv. Nestor.*, 3, 1. Qua de causa metuis eum pontificem propter humanitatem appellare? Nam et nos offert in sacrificium odoremque suavitatis per fidem et seipsum Patri pro nobis tamquam odoratissimam victimam obtulit. *RJ.* 2129.

Arg. 4. (E ratione theologica). Proprium officium sacerdotis est mediatio inter Deum et homines per sacrificii oblationem. *Hebr.* 5, 1: *Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. Atqui* Christus est verus inter Deum et homines mediator, verumque pro hominibus sacrificium obtulit. *Ergo* Christus est verus sacerdos.

Prob. min. Clare id proponit Paulus cum ait, *I. Tim.* 2, 5: *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Iesus.* Cfr. *Hebr.* 8, 5; 9, 15; 12, 24. « Christus mediator est, inquit S. *Thomas*, q. 22, a. 1., nam per ipsum divina bona hominibus sunt collata, secundum illud 2. Petri 1: *per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hoc efficiamini divinae consortes naturae*: ipse etiam humanum genus Deo reconciliavit. Unde Christo maxime convenit esse sacerdotem ». In 2ª parte probabitur: a Christo sacrificium fuisse Deo oblatum.

Explicatur Pars IIª.

1. Affirmamus in parte 2ª: a Christo verum sacrificium Deo oblatum fuisse in cruenta passione et morte in cruce. Generaliter sacrificium est actus externus, quo res sensibilis, ex intentione religiosa Deo offertur. S. *Thomas* (II. IIᵃᵉ q. 85, a. 3 ad 3) ait sacrificia proprie dicuntur, quando circa res oblatas aliquid fit; sicut quod animalia occidebantur et comburebantur, quod panis frangitur et comeditur. Illud dictum S. Thomae, « *quando circa res oblatas aliquid fit* », foecundum semen variarum opinionum fuit.

Alii ad essentiam veri sacrificii realem immutationem hostiae oblatae *per* eiusdem *realem destructionem requirunt.* Alii putant: sufficere rei oblatae immutationem mysticam i. e. *in melius;* proindeque negant: destructionem rei oblatae ad essentiam sacrificii requiri. Ad mentem fautorum utriusque opinionis sacrificium definiri posset: *oblatio rei sensibilis a competente ministro soli Deo facta* per realem vel aequivalentem rei destructionem ad agnoscendum supremum Dei dominium, legitime instituta. *Tertia classis* opinionum essentiam sacrificii in oblatione hostiae *sive* immolatae *sive* immolandae reponit; nam sacrificium in genere donationis collocat. « Sacrificium ergo *integratur* proprie ex duobus: nimirum et actu (externo) offerendi et immolatione, quia victima vel offeratur immolanda vel offeratur immolata. Neque oblatio, neque immolatio, secundum se *solam* sumpta, sufficit ad statum victimae conferendum, sed requiritur utraque... Vox quippe *sacrificare* nominat actum sacerdotis sacrificantis, id est donum facientis aut deferentis Deo et pro tanto *ponit in recto* oblationem, nec nisi *in obliquo* immolationem seu mactationem. Ad verum igitur sacrificium sufficiet, ut offeratur aliquid *aut* tanquam immolandum *aut* tanquam immolatum » (¹).

(¹) M. de la Taille, S. I., *Mysterium Fidei,* Paris 1924², pg. 11. 12. Abundantem de hac controversia bibliographiam invenies apud: M. Lepin,

2. Utrum ad essentiam omnis sacrificii *immutatio*, (destructio, immolatio) requiratur nec ne, in hac thesi *praescindimus* et ex fontibus revelationis positive probamus: passionem atque mortem in cruce Iesu Christi rationem veri sacrificii habere; i. e. Iesus Christus in cruce Deo ut hostia et offertur et immolatur. Scopus principalis partis 2ae est; *characterem sacrificalem* passionis et mortis Christi in cruce contra *Socinianos* et *Protestantes Liberales* vindicare. Veritatem et realitatem sacrificii Christi in cruce oblati demonstrando, item *praescindimus* a quaestione inter Theologos disputata; nempe, utrum nec ne Christus Dominus sacrificium in cruce ita cummulate ac complete perfecerit atque absolverit, ut resurrectio et in caelos gloriosa ascensio ne perfective quidem ad sacrificium crucis pertineat. « Abstrahentium non est mendacium »; quin immo in demonstratione dogmatis capitalis nostrae fidei satius est a disputatis praescindere. Iam vero haec quaestio potissimum ad explicationem essentiae sacrificii missae necnon habitudinis sacrificii eucharistici ad sacrificium cruentum pertinet et in tractatu eucharistico resolvi solet. Nobis, hic interim, ut dixi. omnino sufficit; si e fontibus revelationis constat: Christum potissimum, (saltem) essentialiter, in cruce verum sacrificium obtulisse. Utrum resurrectio ad hoc sacrificium perfective pertineat, utrum Christus etiam in caelis sit in statu hostiae, nec ne, item abstrahimus (1).

3. Christum in cruce verum sacrificium Deo obtulisse, est *dogma fidei definitum*.

L'idée du sacrifice de la messe d'après les théologiens. Paris 1926, pg. 335 seq.; 357 seq.; 375 seq.; 393 seq.; 441 seq.; A. Michel, *Messe d'après les théologiens*, DTC. 10, 1144 seq.

(1) Cfr. M. de la Taille, Op. Cit., pg. 131 seq.; A. Barrois, O. P., *Le sacrifice du Christ au Calvaire*, « Rev. d. Sc. Ph. et Theol. », 1925, pg. 145 seq.; Galtier, Op. Cit., pg. 426 seq.

PROBATUR THESIS.

Pars II. — Iesus Christus in cruce verum sacrificium obtulit.

ARG. 1. (E DEFINITIONIBUS) *Ephesin. Can.* 10. *Obtulit* autem *semetipsum pro nobis in odorem suavitatis Deo* (*Ephes.* 5, 2) et Patri. Si quis ergo Pontificem, et Apostolum nostrum dicit *pro se* obtulisse semetipsum et non potius pro nobis solis, (non enim eguit oblatione, qui peccatum omnino nescivit), A. S. *DB.* 122.

Trid., *Ses.* 22, c. 1. Is igitur Deus et Dominus noster, etsi semel seipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut aeternam illis redemptionem operaretur,... in coena novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectae sponsae suae Ecclesiae visibile relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur,... corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit. *DB.* 938. *Cap.* 2. Et quoniam in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit: docet sancta Synodus, sacrificium istud vere propitiatorium esse. *DB.* 940.

ARG. 2. (E S. SCRIPTURIS). 1. In S. Scripturis voce: προσφορά, θυσία, ἱλαστήριον, ἱλασμός vera hostia Deo oblata verumque sacrificium designatur (*Num.* 5, 8; *Lev.* 16, 27; *Ez.* 44, 27). *Atqui* Iesus Christus id fuisse et esse dicitur. *Ergo* Iesus Christus est vera hostia a seipso in vero sacrificio oblata.

Prob. min. Rom. 3, 25; *Iustificati... per redemptionem, quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem* ἱλαστήριον, *per fidem in sanguine ipsius.* Cfr. *I. Ioan.* 2, 2; 4, 10. *Ephes.* 5, 2; *Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem,* προσφορὰν, *et hostiam,* θυσίαν, *Deo in odorem suavitatis. II. Cor.* 5, 21; *Eum, qui non noverat peccatum, pro*

nobis peccatum fecit; i. e. hostiam pro peccato. *I. Cor.* 5, 7; *Etenim Pascha nostrum* (agnus paschalis) *immolatus est Christus.*

2. S. Paulus in Ep. ad Hebr. probat: Christum sese ut hostiam propitiatoriam Deo in cruce sacrificaliter obtulisse.

a) Christus enim est verus sacerdos, (quod Paulus demonstravit). Porro omnis sacerdos, aliquid quod offerat, habere debet (8, 7); igitur et Christus. Sed quia Christus scivit: Deo displicere sacrificia Veteris Foederis, nam per haec peccatorum remissio obtineri non potuit; ideo carnem, quam Deo offerre posset, assumpsit. *Cap.* 10, 4-7; *Impossibile enim est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio.* Caro igitur Christi a Deo praeparata et a Christo acceptata erat, ut pro peccatis immolaretur. Quod intentum, opere completum est.

b) Sicut enim summus pontifex die expiationis, mactatis victimis, in sancta sanctorum ingrediens, sacrificaliter aspergebat arcam sanguine (c. 9, 7); ita Christus, pontifex futurorum bonorum, per tabernaculum non manufactum (hoc est per caelum visibile, creatum), transivit penetravitque ad sedem maiestatis Dei, non cum sanguine occisorum hircorum, sed cum proprio sanguine, quem Deo ut sacerdos obtulit, ad expianda non sua, sed aliorum peccata. *Cap.* 9, 11-14; *Christus autem assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non huius creationis; neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, aeterna redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi?* Christus obtulit Deo suum sanguinem semel. Cfr. 9, 25-28; *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.*

c) Si quaeris, quando Christus sacrificaliter fudit sanguinem suum; respondet Paulus; *dum extra muros Ierusalem cruci affixus est. Cap.* 13, 11-13. *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod et Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Cfr. Hebr. 7, 27. 28. (1).

Arg. 3. (E doctrina S. Patrum).

Clem. Alex., *Pedag.*, 1, 5, 23, 1. Est quoque Isaac typus Domini; puer quidem, ut filius (erat enim filius Abrahae, sicut Christus Dei) hostia quoque sicut Dominus. Sed non *immolatus* est sicut Dominus; tantummodo portavit ligna sacrificii Isaac, sicut lignum Dominus. *RJ.* 406.

Origenes, *Hom. in Numer.*, 24, 1. In Paschae festivitate agnus scribitur esse, qui purificat populum, in aliis vitulus, in aliis hircus aut aries vel capra vel vitula, sicut ex iis, quae recitata sunt, didicistis. Unus ergo ex iis animalibus, quae ad purificandum populum sumuntur, esse dicitur Dominus et Salvator noster. Sic enim intellexit Ioannes, qui est maior omnium prophetarum et signavit de ipso dicens: *Ecce agnus Dei; ecce qui tollit peccata mundi* (Ioan. 1, 29). In his omnibus hostiis unus est agnus, qui totius mundi potuit auferre peccatum et ideo cessaverunt ceterae hostiae, quia talis haec fuit hostia, *ut una sola sufficeret* pro totius mundi salute. *RJ.* 492. Cfr. *RJ.* 498.

Tertullianus, *Adv. Iud.*, 13. Christum oportebat pro omnibus gentibus fieri sacrificium, qui tamquam ovis ad victimam ductus est. ML. 2, 636.

Euseb. Caesar., *Demonstr. Evang.*, 1, 10. Ubi vero quod perfectum erat advenit, priora illa desierunt et praestantiore et veriore sacrificio illico sublata sunt. Hic autem fuit Christus Dei, is qui antiquitus, a primis temporibus dictus est ad homines esse venturus atque *pecudis instar pro toto genere humano interficiendus.* Quando igitur secundum testimonia prophetarum inventum est magnum magnique aestimandum pro redimendis Iudaeis atque Graecis, pretium, illud videlicet pro toto mundo piaculum, illud pro cunctorum hominum animis piaculum, illa pro omni macula et peccato hostia purissima, ille utique agnus Dei, illa Deo accepta et mundissima *ovis*, ille *agnus*, de quo prophetae tam multa di-

---

(1) Cfr. Prat, Op. Cit. I., 152 seq.; II[14], pg. 215 seq.; Vosté, Op. Cit., pg. 135-179.

xerunt non amplius fas esse putamus in prima illa et infirma elementa recidere. *RJ.* 664. Cfr. *RJ.* 669.

S. Athanasius, *De Incarn. Verbi,* 9. Hinc (Verbum) *corpus,* quod sibi ipse accepit velut hostiam et victimam omni puram macula morti offerendo, mortem statim ab omnibus similibus, *suo* (*corpore*) *pro aliis oblato,* propulsavit. *RJ.* 751.

S. Hilarius, *Tract. s. Psal.,* 53, 13. Maledictorum se ergo obtulit morti, ut maledictum legis dissolveret, hostiam se ipse Deo Patri voluntarie offerendo, ut per hostiam voluntariam maledictum, quod ob hostiae necessariae et intermissae reatum erat additum, solveretur; cuius sacrificii alio loco meminit in psalmis: *Hostiam et oblationem noluisti, perficis autem mihi corpus* (Ps. 39, 7), Deo Patri, legis sacrificia respuenti, hostiam placentem suscepti corporis offerendo; cuius oblationis beatus Apostolus ita meminit: *Hoc enim fecit semel seipsum offerens hostiam Deo* (Hebr. 7, 27), omnem humani generis salutem oblatione sanctae huius et perfectae hostiae redempturus. *RJ.* 889,

S. Augustinus, *De Civit. Dei,* 10, 20. Verus ille mediator, in quantum formam servi accipiens mediator effectus est Dei et hominum, homo Christus Iesus, cum in forma Dei cum Patre sacrificium sumat, quo et unus Deus est, tamen in forma servi sacrificium maluit esse quam sumere. Per hoc et sacerdos est, ipse offerens, ipse et oblatio. ML. 41, 298. *De Trin.,* 4, 14, 19. Ut quoniam quatuor considerantur in omni sacrificio; *cui* offeratur, *quid* offeratur, *a quo* offeratur, *pro quibus* offeratur: idem ipse unus verusque Mediator per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, unum cum illo maneret, cui offerabat, unum in se faceret pro quibus offerebat, unus ipse esset, qui offerebat et quod offerebat. ML. 42, 901.

Arg. 4. (E ratione theologica). Verum sacrificium adest, si res sensibilis, immolata vel immolanda, a sacerdote legitimo, Deo offertur, ad Deum honorandum et placandum. *Atqui* in cruce corpus Iesu Christi immutatum et immolatum per cruciatus fuerat; a legimo sacerdote i. e. ab ipso Christo oblatum est, (saltem in coena ultima; si non post coenam iterum v. g. in agonia et post agoniam in horto); oblatum vero ad Deum honorandum et placandum. *Ergo* Christus in cruce seipsum in sacrificium Deo obtulit.

Schol: De regia potestate Christi.

Coronidis instar totius tractatus quaedam de potestate regia Iesu, ut hic homo est, subnectemus.

Rex vocatur ille, qui in societate civili suprema potestate legislativa, iudiciaria et coactiva pollet. *Affirmamus* Christo, ut hic homo est, hanc supremam potestatem competere; seu clarius et exactius dicendo; asserimus: *a*) Christum universorum regem esse; *b*) et quamvis potestas eius regia spiritualis sit *in regno spirituali;* tamen in actu primo etiam ad regna *temporalia* extenditur.

Assertum 1um: Christus, ut hic homo, est universorum rex; *fide divina certum*, doctrina est catholica, ut patet ex encyclica Pii XI « *Quas primas* » a. 1925 (1).

1. Iam *Psaltes* non solum regiam potestatem Messiae celebrat, sed illam cum filiatione divina connectit. Ait ergo Messiam ideo regem fore, quia est Filius Dei naturalis. *Ps.* 2, 6-10: *Ego institui regem meum super Sion, montem sanctum meum! Sinite narrem de decreto: Dominus dixit ad me: Filius meus es: ego hodie genui te. Postula a me, et faciam gentes hereditatem tuam et possessionem tuam fines terrae. Regere eos poteris sceptro ferreo, ut vasa figlina eos confringere* (2). *Angelus Gabriel* similiter annuntiat Mariae, *Lc.* 1, 32-34; *Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius et regnabit in domo Iacob in aeternum et regni eius non erit finis.*

Dominus quoque Pilato interroganti, *Ioan.* 18, 37; *Ergo rex es tu?* — respondit: *Tu dicis, quia rex sum ego.* Item Paulus regiam potestatem Christi signanter effert; *I. Cor.* 15, 25-27; *Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius... Omnia enim subiecit sub pedibus eius.* Cfr. *Hebr.* 2, 5-8. Speciatim S. Ioannes exaltat regiam potestatem Chris-

---

(1) Cfr. Acta Ap. Sed., 1925, pg. 593 seq.

(2) Cfr. Fr. Zorell, S. I., *Psalterium ex hebraeo latinum,* Romae 1928, pg. 2.

ti, *Apoc.* 1, 5; *qui est princeps regum terrae*; 19, 15-16; *Et ipse reget eas* (i. e. gentes) *in virga ferrea. Et habet in vestimento et in foemore suo scriptum: rex regum et dominus dominantium.*

2. Ratio quoque theologica idem evincit. Etenim ille est rex verus, qui in societate civili habet supremam potestatem legislativam, iudiciariam et coactivam. *Atqui,* testantibus Scripturis, Christo competit potestas talis. *Ergo* Christus est rex.

Prob. min. Christus vindicat sibi illimitate omnem potestatem, *Mt.* 28, 18. Nova mandata, novas leges condidit, (*Ioan.* 13, 34; 14, 15. 21), quae Apostolis praedicanda praecepit (*Mt.* 28, 20). Paulus vero docet: legem veterem, quae gratiam non dabat, abrogatam esse per legem Christi (*I. Cor.* 9, 20. 21; *Gal.* 6, 2). Iudiciaria potestas tota in manus Christi reposita est. (*Ioan.* 5, 22-27; *Act.* 10, 42; 17, 31). Potestatem coactivam Christi manifestat atque revelat finalis retributio, in qua unicuique reddet Dominus secundum merita et demerita (*Mt.* 25, 34-46; 2 *Thes.* 1, 6-10; *Apoc.* 1, 17. 18).

Assertum 2um: Quamvis potestas regia Christi sit spiritualis, nihilominus in actu primo ad regna quoque temporalia extenditur.

Christus ipse categorice et non semel declaravit, *Ioan.* 19, 36; *Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Iudaeis; nunc autem regnum meum non est hinc.* Quare noluit sese terrestribus negotiis immiscere (*Lc.* 12, 13. 14); libri autem sacri regnum Christi, ut regnum spirituale, ad quod per fidem, baptisma et poenitentiam intratur, (*Ioan.* 3, 3; 5, 16; *Mt.* 3, 2. 3) describunt.

Quo non obstante, Filius Dei, Redemptor generis humani etiam in regna temporalia ius directum habet. In societate civili potest aliquis supremam potestatem habere aut in actu 1° aut in actu 2°. Potestas regia *in actu 1°* est ius ad gubernacula; potestas suprema *in actu 2°* est actuale exercitium supremae potestatis legislativae, iudiciariae et coactivae. B. R. Bellarminus (*De Rom. Pont.*, V, cap. 4 et 5), Billuart (*De Iustitia,* Dis. 3, a. 6) negarunt Christo in regna temporalia po-

testatem competere. *Communius* Theologi alii vindicant ius regium Christi in mundum universum. Et rectissime; nam Christus (*Mt.* 28, 18) inquit: *Data est mihi omnis potestas.* Si omnis, tunc ergo et temporalis in regna saltem *quoad ius.* seu in actu 1°. In Apocalypsi (1, 5) vocatur Christus « *princeps regum terrae* »; (19, 16) « *rex regum et dominus dominantium* »; (*Hebr.* 1, 2), « *heres universorum* »; ergo Christo convenit ius regium etiam in regna huius mundi. Illudque congruit Christo vi unionis hypostaticae; quia *filio Dei naturali* omnes reges terrae et omnia regna universi subiiciuntur. Iam vero Christus, ut hic homo, est filius Dei naturalis. « Cum autem Christus et ecclesiam *Redemptor* sanguine suo acquisiverit et *Sacerdos* se ipse pro peccatis hostiam obtulerit perpetuoque offerat, cui non videatur regium ipsum munus utriusque illius naturam muneris induere ac participare? » (1).

Sit igitur hoc omnium ardentissimum omne atque votum, ut omnes quantocius suavissimo eius subdantur imperio. O! qua frui liceret beatitate, si a Christo et singuli homines et familiae et civitates se gubernari sinerent! « Restituenter, inquit Leo XIII, ornamenta pacis, atque excident gladii fluentque arma de manibus, cum Christi imperium omnes accipient libentes eique parebunt, atque omnis lingua confitebitur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris » (2). Faxit Rex pacificus! cui laus et gloria perennis sit in aevum!

---

(1) Cfr. Encycl. « *Quas primas* », Acta Ap. Sed., pg. 600.
(2) Cfr. Ibidem, pg. 603.

INDEX

PAG.

PRAENOTANDA

1. Tractatus Christologici et Soteriologici Argumentum et Momentum 1-3
2. Insigniores Tractatus Christologici 3-7
3. Summa Totius Tractatus 7-9

PARS I.

De Incarnatione Verbi Seu Christologia.

SECTIO 1ª.

Deus et Homo.

CAP. 1. — DE DIVINITATE IESU CHRISTI.

Thes. 1. — Libri Sacri Novi Testamenti testantur Iesum Christum esse verum Deum 11-32

Thes. 2. — Traditio quoque ante-nicaena testatur Christum esse verum Deum 33-52

CAP. 2. — DE HUMANITATE IESU CHRISTI.

Thes. 3. — Iesus Christus animam habet rationalem verumque corpus humanum, quod e Maria traxit Virgine: adeoque est homo verus, qui ex stirpe Adami originem ducit 52-74

SECTIO 2ª.

Deus Homo.

CAP. 1. — DE UNIONE HYPOSTATICA.

Thes. 4. — In Christo Iesu una est persona divina Verbi; humanitas autem divinitati hypostatice unitur 75-97

PAG.

CAP. 2. — DE MODO UNIONIS.

Thes. 5. — Quoniam subsistentia neque in mera negatione assumptibilitatis vel assumptionis, neque in totalitate entis in se formaliter consistit; unio hypostatica inexacte explicatur, cum tantum dicitur: « humanitas a Verbo est assumpta », « a Verbo non divisa est », « non tota in se existit. » 97-114

Thes. 6. — Item subsistentia non est modus substantialis, superadditus naturae individuae; quare humanam naturam Christi ideo Verbo hypostatice unitam esse putamus, quod per esse personale Verbi existit 115-154

Thes. 7. — Humanitas et divinitas Iesu Christi in unam communem naturam non coalescunt, sed inconfuse, immutabiliter, salva utriusque proprietate, perseverant 155-166

Schol. 1. — Utrum persona Christi simplex an composita sit? 166-167

Schol. 2. — Utrum unio hypostatica aliquid substantiale an aliquid accidentale sit? 167-168

Schol. 3. — In quo unio hypostatica cum unione naturali animae et corporis convenit atque differt? 168-169

Schol. 4. — Utrum unio hypostatica aliquid creatum sit nec ne? 169-170

Thes. 8. — Duae sunt in Christo operationes secundum totidem operatrices naturas et duae pariter voluntates 171-179

Schol. 1. — De operatione theandrica Christi 180-183

Schol. 2. — De conformitate voluntatis humanae cum voluntate divina 183-185

CAP. 3. — DE EXTENSIONE ET DURATIONE UNIONIS.

Thes. 9. — Verbo secundum hypostasim non solum corpus animatum sed etiam partes integrantes naturae humanae, immo et sanguis inseparabiliter unita sunt 187-202

Schol. 1. — Utrum secundum aliquem ordinem natura humana assumpta sit? 202-203

Schol. 2. — De natura assumptibili 203-205

Schol. 3. — De persona assumente 206-212

SECTIO 3ª.

De Consectariis Unionis.

CAP. 1. — DE COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

Thes. 10. — Unionem hypostaticam duarum naturarum in Christo vera et propria idiomatum communicatio consequitur . . . 213-219

Schol. 1. — Regulae pro recta communicatione idiomatum . 219-221

PAG.

Schol. 2. — Exempla quaedam pro illustrandis regulis . . . 221-223
Schol. 3. — In quantum Christus homo sit servus Dei? . . 223-225

CAP. 2. — DE UNICA NATURALI FILIATIONE DIVINA.

Thes. 11. — Iesus Christus, etiam ut hic homo, est filius Dei naturalis, nulloque modo filius adoptivus dici potest 225-232
Schol. 1. — De fundamento atque ratione filiationis divinae Christi hominis 232-235
Schol. 2. — De praedestinatione Christi 235-236

CAP. 3. — DE ADORATIONE CHRISTI.

Thes. 12. — Eodem cultu latriae, quo Verbum adoratur, Christus, etiam ut hic homo, adorandus est eiusque Cor sacratissimum speciatim 238-255
Schol. — Utrum humanitati Christi cultus duliae praestari possit nec ne? 255-256

SECTIO 4ª.

De Perfectionibus Humanitatis Christi.

CAP. 1. — DE GRATIA HUMANITATIS CHRISTI.

Thes. 13. — Humanitas Christi tam per gratiam unionis quam per gratiam habitualem sanctificata est 257-276
Schol. 1. — Utrum humanitas Christi sanctificatur a personalitate Verbi an a natura divina? 269-270
Schol. 2. — Utrum sanctitas substantialis humanae naturae Christi est increata, infinita, an creata et finita? 270-271
Schol. 3. — De plenitudine gratiae Christi 277
Schol. 4. — De gratia Christi capitis. 277-278

CAP. 2. — DE SCIENTIA HUMANA CHRISTI.

Thes. 14. — Christus in terris degens, ut hic homo, visione beatifica fruebatur 281-288
Schol. — De obiecto scientiae beatae Christi 288-289
Thes. 15. — Habuit insuper scientiam per se infusam et acquisitam 292-302
Schol. 1. — De obiecto scientiae Christi per se infusae . . . 302-303
Schol. 2. — De immunitate Christi ab errore et ignorantia . 303-305

PAG.

Cap. 3. — De Impeccabilitate Et Libertate Christi.

Thes. 16. — Voluntas humana Iesu Christi numquam peccavit, immo peccare non potuit 307-317
Schol. 1. — In Christo homine non aderat fomes peccati . . 318-319
Schol. 2. — De defectibus humanitatis Christi 319-322
Schol. 3. — In Christo aderant passiones 322-324
Thes. 17. — Humana voluntas Christi libertate indifferentiae pollebat 324-328
Schol. — De libertate Christi in morte subeunda 329-347

PARS II.

De Redemptione Hominum Seu Soteriologia.

Cap. 1. — De Satisfactione Et Redemptione.

Thes. 18. — Christus per passionem et mortem suam pro peccatis hominum Deo satisfecit hominesque redemit 348-369
Schol. 1. — Pro omnibus hominibus mortuus est Christus . 369-370
Schol. 2. — De applicatione passionis Christi 370-371
Schol. 3. — Satisfactio Christi erat condigna, superabundans, infinita 371-373

Cap. 2. — De Merito Christi.

Thes. 19. — Christus sibi gloriam corporis et exaltationem nominis; generi autem humano omnes gratias ordinis supernaturalis meruit 374-379
Schol. 1. — De principio subiectivo meriti in Christo . . . 379-381
Schol. 2. — Christus viator et comprehensor 381-383

Cap. 3. — De Sacrificio Christi In Cruce.

Thes. 20. — Christus, Novae Legis sacerdos, verum sacrificium in cruce obtulit 384-394
Schol. — De regia potestate Christi 395-397

233
L 833

7613

AUTHOR
LOHN, Ladislaus

TITLE
De Verbo Incarnato

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Ryan	FEB 19
	McCarthy	JUN
	Fr. O'Neill	AUG
	Fr. L. Sull	
	Noble	
	Spra	
	O'Br	
	3	

7613